Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXIV. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXXI.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

QH 7 .C66 v.24 Pa13-3 SCNHRB

I.

Journal de Médécine, Chirurgie, Pharmacie etc. Tome XLVII. à Paris 1777. 8. c. f. pagg. 576. et Tome XLVIII. ibid. eod. pagg. 576. c. f.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam et pharmaciam pertinens etc.

Menſe Ianuario. Tom. XLVII.

1. *Quomodo aduerſus variolas quilibet homo, et* p. 21.
quicunque pagus, ciuitas, prouincia et regnum ſeſe tueri poſſit? decima tertia commentatio aduerſus Cl. PAVLET. Quinque ſectionibus haec conſtat, 1) agit de aëre non inficiando contagio varioloſo. 2) de modo ipſo, quo ab illo contagio immunes p. 30.
nos reddere poſſimus, et quo progreſſus variolarum penitus inhibendus ſit. 3) de ratione, qua p. 34.
morbus hic in ea deueniat loca, quae libera ab contagio huc vſque fuerint. 4) de more Lutetiis p. 36.
Pariſiorum recepto, quo infectis omne commercium cum vicinis interdicitur. 5) de variis infectio- p. 37.
num generibus, et quomodo hominibus ab illis ſit praecauendum.

2. *Epiſtola ad diarii huius Auctores a Cl.* BE- p. 42.
AUVAIS DE PREAU, *obſeruationes practicas quinque continens.* 1) commemorat puellam caligine oculorum, vociſque raucedine correptam; 2) hydropicum vocis vſu deſtitutum; 3) aegrum omni motu ac ſenſu priuatum; 4) hominem febri maligna in-

feſtatum et 5) feminam ingentibus ſtomachi doloribus vexatam.

p. 48. 3. Cl. LIEAUTAUD *obſeruatio de ſpina ventoſa*, rariſſime hunc morbum curandum eſſe aſſerit, ſanari tamen repetitis purgationibus per omnes ſaltem menſes, lacteis et demulcentibus remediis, et neceſſitate ſic exigente, narcoticis, fomentationibus ex herbis et floribus aromaticis coctis, et factis cauterio in ſuris aperturis.

p. 52. 4. *Noua lithotomiae methodus deſcripta a Cl.* C. A. GOVBELLY, cuius delineationem hic, quia nouitatis prae ſe fert ſpeciem, ſuppeditamus. Si nimirum lithotomia ſalutari effectu gaudere debet, tota proſtata ita eſt incidenda, vt inciſio recta progrediatur linea a veſica vſque ad anum, et parum diſtet a commiſſura ſuperiori vulneratae cutis verſus ſuturam. Situs ipſe ſit ſimillimus puerperae ſitui in obſtetricio negotio. Inſtrumentis vero tribus Cl. Auctor vtitur, videlicet cathetere, cyſtotomo et forcipe, ſic quidem vt aeger in ſitu ſupra deſcripto collocatus a duobus robuſtis viris reflexis cruribus teneatur, itidemque a duabus manibus retineatur, et ſcrotum ipſum recta ſubleuetur. Anus ipſe ita iaceat expanſus, vt neque directio, neque ſitus naturalis ſuturae aliquam ſubeat mutationem. Operator autem teneat manu ſiniſtra catheterem, ſuperficie eius mediocriter verſus aegri partem dextram inclinata, concauitas vero ipſius applicetur ante et ſubter oſſium pubis ſymphyſin. Praeprimis vero cura eius omnis verſetur in eo, vt catheteris roſtrum ſit ita directum, vt peluis diametrum ab oſſe ſacro ad os pubis vſque parallelo modo tranſeat. Ita conſtituto cathetere, adhibeat cyſtotomum hoc modo, vt eius capulum verſus

dextram

DSI

dextram conſpici poſſit partem. Indicet denique vngue digiti indicis ſiniſtram tegumentorum partem in tranſuerſo pubis ligamento ad vnius et dimidiae lineae ſpatium in ſutura. Cuſpidem cyſtotomi manus dextrae ope huic integumentorum tandem applicet parti, ipſumque ita teneat, vt eius latitudo parallelo aſcendat ad iſchium modo; deinde incidat integumenta deſuper ad duorum pollicum latitudinem. Quo facto cum cuſpide canalis catheteris in inferiori curuaturae parte inquirat, et partibus diſſectis ſibi ex aduerſo poſitis, in hoc canali laminam cyſtotomi parallele tranſmittat ad catheteris roſtrum. Cuſpide demum ſi attigerit collum ſpecilli, retrahat illum, et externam inciſionem dilatet ſufficienter, et capulo ſucceſſiue, ſi ab initio non iuſtam habuerit magnitudinem, ampliet, tandemque immittat proſtatam inter ac veſicam vulgari modo forcipem. Praemiſſa hac deſcriptione de methodo p. 59. MOREAVII, COSME, CHESELDENII, et HAWKINII verba Cl. Auctor facit, componendoque illas cum ſua docet, qua potiſſimum in re praeſtet illis ſuum inuentum. Inſtrumentorum icones hic ſunt additae.

5. *Deſcriptio machinae ad formandum anum* p. 64. *artificialem a* IUVILLE, quae, praemiſſis eius vſu et praeſtantia, commendatur.

6. *Continuatio obſeruationum de apoplexia.* p. 70. Commemorantur hic cauſae producentes illam, quorſum ſpectant morbi, quorum ſedes in remotis a capite partibus eſt, metaſtaſis humoris arthritici in aliqua corporis parte, aliae metaſtaſes, interceptae tranſmiſſiones fluidi neruoſi ad organa ſenſus, et motus voluntarii, et ea omnia, quae afficiunt ſenſorium commune. His potiſſimum medullaris cerebri ſubſtantia afficitur, verum etiam corticalis

per intereeptam ſecretionem fluidi neruei, quae ex defectu variarum ſecretionum oritur.

Menſis Februarius.

p. 99. 1. Cl. VICQ D'AZYR *remediorum, quibus morbi contagioſi boum poſſunt caueri et curari, collectio*, quae tribus abſoluitur ſectionibus, quarum prior remedia, quibus perſanantur morbi, ſiſtit. Medicinam aliquam aduerſus lues boum contagioſas ex comparatione cum morbis generis humani ipſis propius accedentibus beſtiis parare ſtudet. Non nuper autem eodem modo haec res tractata eſt a IOACH. PHIL. INGRASSIA in peculiari *) libro. Deinde deſcribit morbos et ſymptomata in Galliae prouinciis inter pecudes graſſantes, et ope Zootomiae cauſas et ſedes morborum, quibus cognitis eo facilius curandum eſt, indagat, qua quidem in re MORGAGNIVS **) multa cum ſtudii aſſiduitate iam collegit exempla. His addit obſeruationes ab aliis artis veterinariae doctoribus congeſtas, et tandem remediorum formulis in eorum gratiam conſcriptis, pri-
p. 110. mam ſectionem finit. Poſterior de remediis praeſeruatoriis agit, quae et diaetae rationem et purificationem locorum infectorum concernit, quorſum pertinet aqua pura impraegnata acido quodam aut alcalino, et vapores ex ſulphure et nitro permixti.
p. 113. Et vltima de praeſcriptis in Francogallia artis veterinariae cauſa differit.

2. Cl.

*) cuius titulus eſt: *quod veterinaria medicina formaliter vna eademque ſit cum nobiliore hominis medicina, materiae duntaxat nobilitate differat, exſtat* cum quaeſtione *de purgatione per Medicamenta*, Venetiis 1568, quaternis.

**) vid. *de ſedibus et cauſſis morborum per anatomen indagatis*, ſic enim ſimiliter eae per Zootomiam ſunt inueſtigandae in arte veterinaria.

2. Cl. DESESSARTS *obſeruationes de infantibus magno praeditis capite.* p. 114. Tales infantes in dentitione difficili conuulſionibus et deliriis quam maxime obnoxii ſunt, febribuſque inflammatoriis aut bilioſis haud raro corripiuntur. In priori morbo potionum et puluerum antiſpaſmodicorum vſum proſcribit penitus, atque loco eorum praecipit, vt extremitates iuſto foueantur, vt aluus maneat aperta, omneque praeſidium in clyſmatibus et fomentationibus emollientibus collocat. In febribus vero eadem remedia ſuadet et reiteratam venaeſectionem. Quodam exemplo dictis veritatem et claritatem conciliat.

3. Cl. TELINGE *epiſtola ad Auctorem Ephemeridum ſalutarium.* p. 126. Duo loca *catechiſmi ſui, in vſum obſtetricantium*, de ſitu fetus in vtero in vltimis grauiditatis temporibus, et de meconio hic adverſus obiectiones vindicantur.

4. Cl. DE VILDE *obſeruatio de femina vrinae retentione cum enormi veſicae diſtentione laborante, quam febris putrida epidemica inſecuta eſt.* p. 134. Commemorat hiſtoriam et indicat Cl. Auctor, qua ratione haec aegra priſtinam recuperauerit ſanitatem. Adhibito videlicet catheteriſmo, antiſepticis in parca doſi et cardialibus, iiſque lenioribus vſus eſt remediis, in ſubſidium ſimul adhibitis clyſmatibus, in vrethram vero immiſſo ſpecillo iniectiones vulnerarias aeque ac tonicas fieri iuſſit.

5. Cl. ESPIAVD *epiſtola de duabus taeniis.* p. 139. Nufferiae ſpecificum, de quo iam loquuti *) ſumus, quam maxime commendat.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 206.

p. 142. 6. Cl. LORES *obſeruatio de amputatione.* In luxato pede, gangraenoſum iam foetorem vndequaque ſpargente, neceſſariam quidam chirurgi cenſuere amputationem, at Cl. LORES ſcarificatione in pede adhibita, apertiſque ſinubus, quibus inerat materia purulenta, et partibus affectis linteis carptis, impraegnatis aqua ſtillatitia ariſtolochiae rotundae, ſaccharo, vino albo et balſamo vulnerario, applicatis et iniectionibus in ſinus factis, abſque omni claudicatione pedem ſeruauit aegro.

p. 147. 7. *Continuatio obſeruationum de apoplexia.* Pergit Cl. Auctor deſcribere varias apoplexiae cauſas, effectuſque, incipiendo ab infarctu vaſorum, quo fit, vt ſupra modum ea dilatentur, et ſanguis conſiſtentiam polypoſam acquirat, etc. quae paralyſin organorum producit, alioſque funeſtos effectus. Plethora ipſa, arterias capillares piae matris occupans, obſtructiones gignit, motuſque ſanguinis auctus inflammationem cerebri efficit, quam produnt vehementes dolores capitis, coniuncti cum pulſationibus et febre, quos ſequitur ſtatim delirium, coma, carus, apoplexia. Sed plethora quoque interiora cranii occupans, liberum recurſum ſanguinis verſus cor impediendo, maiora mala affert. Sanguis quoque per arterias piae matris in cerebro et cerebello diſtributus, per venas ipſis annexas in ſinus durae penetrat matris, intratque venas iugulares internas, ipſaeque venae varicoſae fiunt. Peculiaris autem vaſorum piae matris plethora interdum pro effectu ſtatus morboſi durae matris cenſenda eſt. Et praeterea obſeruauit Noſter in cadaueribus peculiares depreſſiones in interioribus cranii concamerationibus, et pluribus exemplis docet, compreſſionem in ſuperficie cerebri eſſe poſſe calloſitatis et oſſificationis durae matris effectum.

ctum. Deinde de variis plethorae diſſerit cauſis, et de noxis in pulmonibus agit. Neque omiſit effectus, ſi apoplexia a ſtatu morboſo in ſubſtantia corticali cerebri pendeat, quibus addit obſeruationem de morboſa infimi ventris quadam conditione, qua ſanguis fertur copioſius in cerebrum. Huc quoque abuſum ſpirituoſorum et fermenteſcentium potulentorum refert.

Menſis Martius:

1. *Argumenta quinque commentationum chymicarum Cl.* PARMENTIER, quarum prior ab Academia Chryſopolitana praemio ornata eſt, qua videlicet *vegetabilia recenſentur tempore caritatis alimentis ſubſtituenda.* Quum farina frumentacea partibus glutinoſis et amylaceis ſiue vegetabilibus conſtet, magnam amylacearum copiam inuenit Cl. Auctor in multis vegetabilibus, quorſum pertinent aeſculus, radices bryoniae, ſerpentariae, mandragorae, colchici, iridis, fumariae bulboſae, paeoniae, filipendulae, chelidonii minoris, et hellebori cum foliis aconiti. Hac vero ratione praeparantur. Radices ſelectae et probe lotae teruntur, ſed non adeo ſucculentis aqua additur, vt commodius digeri poſſint. Tunc maſſa eſt prelo ſubiicienda, quo facto ſpiſſamentum magna aquae copia maceratur. In vaſis dein fundo ſedimentum eſt, quod bene lotum omnibus amyli gaudet characteribus. Itaque illud amylum cum fermento et pulpa ſolani tuberoſi mixtum pani conficiendo aptum eſt. Id quod non nuper docuit S. TH. QVELMALZIVS *). *Altera* p. 195.

A 5 *eſt*

*) in proluſ. *de pane ſuccedaneo, corticeque tiliae interiori*, Lipſ. 1757. 4. et in Germanicam linguam tranſlata exſtat cum TISSOTI *commentatione de raphania*, Lipſ. 1771. et nuperrime BERGIVS in materia medica v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.

eſt opus oeconomicum de ſolanis tuberoſis, frumento et oryza. Sequuntur recreationes phyſicae, oeconomicae et chymicae Cl. MODEL a PARMENTIERO in Francogallicam linguam conuerſae. Has excipit *Chymia hydraulica, ſiue modus ſal eſſentiale ex vegetabilibus ope aquae purae extrahendi Auctore* GARAYIO. Vltimo denique loco recenſentur *experientiae et meditationes de analyſi frumenti et farinae.* Tota tractatio eſt aduerſus libellum, *analyſis frumenti ann.* 1776. inſcriptum.

p. 211. 2. Cl. DARLVC *tertia diſſertatio de variolarum inſitione per Cl.* BOVTEILLE. Argumentum totius diſputationis concernit pus varioloſum, quale eſſe debeat, et agit de cauſis in vniuerſum declarantibus, vtrum malignae aut benignae exiſtant variolae, quarum prior naturalis diſpoſitio vniuſcuiuſque hominis, poſterior qualitas intrinſeca virus eſt. Dein remedia prophylactica Cl. Auctor perſequitur, quorſum refert expreſſionem quarundam ſanguinis guttularum ex funiculo vmbilicali, neque omittit conſperſionem neogeniti cum ſale. Tanden vſum margaritarum, antimonii, mercurii, camphoraeque ſub cenſum vocat.

p. 229. 3. Cl. RAZE *obſeruatio circa quaſdam res cum febre inflammatoria coniunctas.* Hiſtoria morbi docet aegrum delirio correptum nullam diaetae habuiſſe rationem, vinoque repetitis vicibus potato grauiſſima ſymptomata paſſum, quae tamen venaeſectione, potionibus antiphlogiſticis et purgatione adhibitis prorſus ceſſauerunt.

p. 233. 4. Cl. BERTHOLET *epiſtola per Cl.* THOMAM, qua de oſſibus, eorum natura, oſſificatione, et partibus, quibus componuntur, agitur.

5. Cl.

5. Cl. GAVELLE *obſeruatio de vulnere pecto- ris feliciter ſanato.* Militi verſus ſternum in dextra pectoris parte vulnus erat inflictum, quod operationem requirere viſum eſt, qua primo die quinque, poſtridie tres librae puris ſanguinolenti exiere, et, ſuppuratione continuante, cannula fiſtuloſa puris ſubtrahendi cauſa applicata eſt; quum autem ſine cannulla ſanari aeger cuperet, adiit agyrtam, qui, reiecta cannula, emplaſtro vulnus caſu fortuito ſanauit, ita, vt miles ſuo rurſus defungeretur officio. p. 239.

Menſis Aprilis.

1. Cl. LE ROY *prognoſticon morborum acuto- rum.* Tribus partibus hoc abſoluitur opus, quarum prior in vniuerſum morborum acutorum exhibet prognoſes, poſterior eodem, quo HIPPOCRATES, ordine eaſdem recenſet, et vltima notis referta eſt, quibus, quae in prima parte dicta ſunt, euoluuntur ac demonſtrantur. p. 291.

2. Cl. LOVIS ODIER *quarta epiſtola ad* ANTONIVM DE HAEN, cuius ſumma eſt; vt tabulas exhibeat nominum eorum, qui Londini per rubeolas deceſſerunt, ſimulque quibuſdam obiectionibus reſpondetur. p. 298.

3. Cl. ROBERT SECONDITI *obſeruatio de morbo a fulminis tactu producto*, quem ipſe expertus eſt. Praemiſſa eſt deſcriptio tempeſtatis, cum obſeruationibus eodem, quo RICHMANNVS olim, modo in fulmine inſtitutis, ſequitur dein ipſa morbi deſcriptio, cuius haec ſigna: in veſtimentorum diſquiſitione ne vnum quidem vſtionis aut dilacerationis veſtigium deprehendit, ſed in humeris auctam agitationem et ardorem, in brachio et tota dextri lateris parte grauitatem ſenſit, lingua con- p. 316.

vulſiue

vulſiue mota et verſus os internum retracta fuit, ita vt difficulter tantum eloqui poſſet, gingiuae denteſque pituita ſalſa et admodum amara obductae fuerunt, quos tamen aceto vini depurare tentauit. Ardor interim et grauitas increuit, vt vix ferri poſſet, vnde propius corpus inquirendum permiſit, quo facto detecta ſunt veſtigia, iis a frictione vehementi ſimillima, macula nigra ſub dextri pedis pollice, et magna ſiniſtri pedis pars apparuit cribrata ad ſpongiae modum. Vſu balneorum ac pediluuiorum factum eſt, vt quodam die pedibus in aquam immiſſis, vlcus in dextro fieret pede, ex quo magna ſaniei viſcoſae atrae et admodum foetidae copia emanaret, et niſi feneſtras aperuiſſet, deliquium paſſus fuiſſet, continuata autem pedum in aquam immiſſione plura facta ſunt vulnera, quae quidem minori copia ſaniem emiſerunt abſque omnis doloris ſenſu. Conuulſiua linguae conditio et grauitas artuum admodum hac ratione imminuta eſt. Paucis diebus poſt cicatrices formatae ſunt. Verum actiones animales quodammodo erant laeſae et reliquae debiles, atque viribus quoque iterum auctis, leui quadam de cauſa ira commouebatur aeger. Acceſſit haemorrhagiarum naſi larga profuſio, ſanguinis ſcreatio, et diarrhoea ſanguinolenta et admodum foetida. Somnus ipſe inſomniis et ſuccuſſionibus turbatus eſt, eumque tantum ſub dio et in agro capere, illoque perbreui licuit vti tempore, vnde in rus abiit, atque in ardore ſolis ruſticis laboribus defatigatus ſudores vehementes acceſſerunt, et aliquo demum die colica violenta, quae euacuatione verminoſa et inſigniter foetida finita eſt, ſe fere ſenſit oppreſſum. Nihilo tamen ſecius progreſſus in via, et aucto inquieto ſtatu vehementiori ſudore vexatus maiorem ſenſit ardorem, et dolentes motus in toto corpore vitae periculum ſibi praeſagientes.

Tandem

Tandem vlterius viam perſequutus, maiore ſanguinis copia et foetida materia effuſa, amiſſa ſanitas reſtituta ipſi eſt.

4. Cl. SABAROT DE LA VERNIERE *obſeruatio de planta indigena eiuſdem cum Peruuiano cortice in febribus intermittentibus virtutis.* Aeſculi ſiue hippocaſtani, caſtaneae folio multifolio, cortex his profligandis morbis aptus cenſetur *). p. 324.

5. *Continuatio obſeruationum de apoplexia.* Potiſſimum ſub examen vocat Cl. Auctor frigus, eiuſque in fibras animalis effectus, nimiam requiem et violentos motus corporis hoc tempore, regelationem, noxam niuis in oeconomia animali, feruorem et alia, quae cauſae apoplexiam antecedentes nominari mereantur. His operi, quod per partes huic diario inſertum eſt, finem imponit Cl. Auctor. p. 328.

6. *Reſponſio Cl.* BACHER *ad Cl.* CARRERE *eius bibliothecam critico litterariam* **) *concernens.* Continentur hac ipſa epiſtola emendationes quaedam ad Cl. CARRERE bibliothecam pertinentes. p. 352.

Menſis Maius.

1. Cl. LEPECQ DE LA CLOTVRE *obſeruationes de morbis epidemicis.* A Cl. Auctore in ordinem redacta morborum epidemicorum HIPPOCRATIS tabula, meliorem hos morbos obſeruandi ſubiungit rationem. Omnia ad quatuor reduxit COVS ſenex, nimirum ad conſtitutionem inflammatoriam tempore veris, ad biliosſam, tempore aeſtatis, ad atrabiliariam, tempore auctumni, et ad pituitoſam ſeu catarrha- p. 387.

*) vid. comm. hoc indic. tripl. Decad. IIdae ſub verbo *Hippocaſtanum.*

**) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 396.

tarrhalem hiemis tempore, et ex iis morbi hiſtoriam et ſymptomata eſſentialia aeque ac naturalia (*les ſymptomes naturels et eſſentiels*) declarat. Cl. Auctor vero hic deſcribit morbum, remediorum vſum, ſelectum et adminiſtrationem, effectumque, indices coctionis, criſes ſiue excretiones criticas, naturae triumphum et expulſionis momentum. In vnoquoque morbo epidemico indicat ſymptomata, quae antecedunt, ſecundum originem, progreſſum, et declinationem, ſigna pathognomonica, eſſentialia, accidentia, et intenſionem; dein vulgari modo tempus eruptionis, incrementi, ſtatus et declinationis conſiderat. Peculiari autem modo vnicuique morbo ſpeciales adiicit hiſtorias, et regulas ad meliorem obſeruandi ſuppeditat rationem, quae ſunt obſeruationes pathologicae, ſignorum, cruditatis, coctionis, criſium et apoſtaſium, declaratio ſignorum, quae antecedunt criſes et pulſuum differentias; diaeteticae et pharmaceuticae, meteorologicae et topographicae obſeruationes cet.

p. 402. 2. *Epiſtola Cl.* BALME, concernens quaeſtionem, *num grauiditas mulieres a negotio lacte liberos nutriendi excludat?* Veterum aeque ac recentiorum examine ſuper hac re inſtituto vtique exiſtimat Noſter, grauidas mulieres, ſi ſanae ſint, ſuos infantes lacte nutrire poſſe.

p. 424. 3. *Epiſtolae Cl.* EMERIGON *de podagra.* Cum alibi *) iam de hac re egerimus, nihil hic addimus, quam quod Cl. GRVNERVS peculiarem de hoc ſpecifico Americano nuper edidit diſſertationem.

4. *Con-*

*) v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 419.

4. *Continuatio epiſtolae Cl.* BACHER *ad* CARRERE *). Non ſolum emendationes hic conſpiciuntur, ſed etiam catalogus omiſſorum in litera A. ſcriptorum annectitur. p. 441.

Menſis Iunius.

1. *Continuatio libri Cl.* LEPECQ DE LA CLOTVRE *de morbis epidemicis*, cuius iam ad menſem praecedentem meminimus. p. 483.

2. *Continuatio epiſtolae Cl.* BALME **) *etc.* Vt aſſerti ſui veritas conſtet, docet Cl. BROVZET et Cl. LEVRET praeiudiciis in hac re captos oppoſitae ſententiae fauiſſe. Dein exemplo a VAN SWIETEN laudato nititur atque tandem ſex argumentis Cl. MAURICEAU maius robur ſuae opinioni conciliat. p. 494.

3. Cl. BAION *obſeruatio de vomica ſymptomatibus grauiſſimis ſtipata.* Quidam vomica laborans, pure rubro ad nigredinem vergente et foetido ad quatuor libras ex ore emiſſo, in ſyncopen inciderat. Vomicam ruptam eſſe Noſter intellexit, vnde conſultum ipſi viſum, vt aeger oryzae iuſculis in parca doſi nutriretur omni trihorio, et vt ipſi ptiſana vulneraria porrigeretur. Veſperi febris valde intenſa et cum anxietate et pectoris preſſione coniuncta inſequentem noctem inſomnem reddidit et inquietam, ita vt matutino tempore infirmitas ad ſummum prope perueniſſet. Aliis igitur medicis in conſilium vocatis, conſultum eſt viſum, vt diaetae ratio hucuſque praeſcripta ſeruetur, et vt aeger de corticis chinae puluere tribus vicibus per diem vnum caperet ſcrupulum cum potu citrato et ſpiritu p. 508.

*) vid. ſupra, p. 13.
**) v. ad menſ. Maium, n. 2.

ritu vitrioli commixto. Tuſſi autem et pectoris anxietate admodum aucta poſtridie aeger duas fere libras materiae purulentae euomit. Octo diebus vomitu continuato et aucta infirmitate, acceſſit diarrhoea colliquatiua admodum vehemens cum pedum oedemate, capilli deciderunt, et caput aeque ac ſternum ſudore nimio et frigido fuerunt oppleta. Adhibitis fruſtra balſamicis pilulis ex myrrha, cortice Peruuiano, terebinthina Veneta et olibano compoſitis, et iuſculis ex oryza, hordeo, prunis, pomis et aliis fructibus ſimilibus pro nutrimento datis, aeger reſtitutus eſt.

p. 512. 4. Cl. BARBVT *obſeruationes de agarico, ſiue fungo laricis.* Deſcripto agarico ſpecificam hanc tribuit Noſter ipſi virtutem, vt leniat et adſtringat, exemplisque docet, duo grana trochiſcorum agarici in puluerem redacta et cum aquae cochleari vno aſſumta veſperi in febre tertiana, in phthiſi incipiente, in tuſſi cum haemoptyſi coniuncta, ſudores noctu accedentes vehementiores mitigaſſe, atque vſu eius continuato prorſus ceſſaſſe omnem morborum vim.

p. 530. 5. *Continuatio reſponſionis Cl.* BACHER *ad* CARRERE *). Multi Auctores omiſſi in litera A. recenſentur, quibus adduntur, quum de iis quoque egit CARRERE, ſcriptores omiſſi aſtrologici, magici phyſiognomonici, chiromantici, ſomniorum interpretes etc. Progreditur tandem ad literam B. et emendando falſa et ſupplendo omiſſa Noſter hic occupatus eſt.

Menſis

*) vid. ſupra p. 13. 15.

Menſis Iulius. Tom.

1) *Cl.* ASTRVCI *tractatus de morbis venereis*, XLVIII. e latino verſus quarta editio reuiſa et aucta per Cl. p. 3. LOVIS. Ipſum librum ſatis notum hic non laudabimus, potius de augmento illius quaedam dicemus. Omnem rem abſoluit Cl. translator duodecim paragraphis: 1) agit de mali venerei origine; 2) de virus natura et variis agendi modis; 3) de diſtinguendo morbo recenti et inueterato complicatoque; 4) de ſaliuationis effectibus, eiusdemque commodis et noxis; 5) de remediorum ſudoriferorum effectibus bonis propria experientia firmatis; 6) de examine huius morbi, ſi epidemicus ſit; 7) de auctoritate BOERHAAVII hanc qualemcumque firmante doctrinam; 8) de applicatione horum principiorum ad gonorrhoeam virulentam, vbi in naturam eius ſimul inquiritur, et errores in ipſa medendi ratione deteguntur; 9) de ſtranguria habituali ex obſtaculis in vrethra orta; 10) de ſuffimigiorum in hoc morbo adhibitorum antiquitate; 11) de agyrtarum fraudibus et incongrua medendi ratione; 12) de via ac ratione, quam ſtudioſi ingredi debeant, ſi in ſtudiis ſuis progreſſus facere cupiant. Interdum etiam Cl. Editor nouas addit obſeruationes, erroresque ab Auctore commiſſos refutat.

2) Cl. DE PRE'VAL *analyſis liquoris cuiusdam* p. 16. publici iuris facti ſub aquae praeſeruatoriae et curatoriae in morbis venereis nomine. Analyſi huius aquae a Cl. HORNE atque TESSIER inſtituta apparuit, eam eſſe aquam phagadaenicam filtratam, ſiue mercurium ſublimatum corroſiuum aqua calcis decompoſitum, cuius vſus ita commendatur: Hac aqua qui voluerit vti, in cyatho, aut alio quocumque vaſe, non e metallis confecto, ſed aut figulino, aut vitreo,

partem immergat a contagio defendendam, eam illa aqua abluat accurate, poſtquam periculo contagii ſeſe expoſuerit; mulieres abluantur ea in vterum iniecta. Hoc ipſum vero remedium a Cl. DE PRE'VAL hic communicatum inter iam nota remedia eſt referendum.

p. 53. 3) *Deſcriptio inſtrumenti lithotomici, inuenti a Cl.* LAMARQVE Iun. Pluribus inſtrumentis lithotomos olim vſos fuiſſe docet Noſter et Cl. HEISTERI operationem lateralem aſſerit ab omnibus fere fuiſſe praelatam, omnes a PLATNERO commemoratae methodi quoque recenſentur, quid MERY, RAU, Fratres IACOBI, CHESELDEN, DOVGLASS, CAMPER, MORAND, LE DRAN, LE CAT, COSME in hac operatione magis magisque perficienda praeſtiterint, vberius explicatur, ſed plerique tribus in ſubſidiis vocatis inſtrumentis, lithotomo videlicet, cyſtotomo, et conductore operationem abſoluerunt, verum vt eo promptius hoc negotium ſuccedat vnico inſtrumento, cuius deſcriptionem cum figuris ſuppeditat, vti iubet.

p. 63. 4) *Obſeruatio Cl.* WILL, *de paracenteſeos peſſimis effectibus.* Omne periculum ex hiſtoria quadam morbi celerrimae aquarum hydropicarum ſubductioni, quae haud raro accelerat mortem, tribuit, quum ea potius per gradus fieri debeat.

p. 66. 5) *Continuatio reſponſionis Cl.* BACHER *ad* CARRERE *). Alterum volumen bibliothecae litterariae ſub examen vocat, illudque ſuis emendationibus auget.

Menſis

*) vid. ſupra.

Menſis Auguſtus.

1) *Peculiaris morbi deſcriptio a Cl.* MOLLER AT DE SOVHEY *obſeruati.* Homo quidam in tenera ſua aetate tumoribus glandularum colli laborauerat, quae demum, ſuppuratione peracta, cicatrice obductae erant, neque inſequenti tempore nouae affectionis ſcrophuloſae vlla fuit ſuſpicio. Quum vero annum aetatis ageret decimum quartum, acceſſere naſi haemorrhagiae vſque ad annum decimum nonum, quibus ſe iunxerunt ventriculi debilitas, digeſtio lenta ac difficilis, praecipue ex vſu lacticiniorum, inſomnia et dolores capitis. Ex parte facies ratione reliqui corporis iuſto maior erat. Anno aetatis quadrageſimo ſenſit membrorum grauitates, anxietates, et frequentiores murmurationes, quas inſequutae ſunt deiectiones albae ſanguine permixtae cum doloribus lenioribus, in lumborum regione coniunctae, quae per quatuor menſes ſucceſſiue intenſiores factae ſunt. Poſt breuem requiem acceſſit gutturis dolor inflammatorius cum ventriculi affectionibus coniunctus, quo decem et quinque diebus poſt diſcuſſo, et venae ſectione inſtituta, aeger dolores et inflationem interiorem inteſtini recti ſenſit, quibus praeterlapſis hebdomadibus tribus, valde inflammatoriae haemorrhoides ſucceſſere, quae vaſis ruptis et ſanguineae materiae reiectione demum ceſſauere. Ad tempus quidem priſtinam ſanitatem recuperaſſe viſus eſt, ſed morbo eodem redeunte diem ſuum obiit. p. 114.

2) *Cl.* PHILIP PIRRI *diſſertatio de vtilitate tincturae cantharidum in interioribus, in paralyſi obſtinata extremitatum.* Ipſius tincturae cantharidum praeparatio exſtat in Pharmacopoea Londinenſi. Auctor Cl. decem guttas quotidie per octo dies cum infuſo florum maluae ſumere iuſſit, et vt remedii vim in vias vrinarias retunderet atque infrin- p. 120.

 geret,

geret, emulſionem ex dulcibus amygdalis cum gummi Arabico praeſcripſit. Doſis duplicata huius remedii, et cum emulſione aſſumtio pilularum camphoratarum, quippe quae acre ſal volatile canthatidum corrigunt, totam curam die ſexageſimo abſoluerunt, et aeger abſque incommodo ire, ſuisque aſſuetis defungi potuit laboribus *).

p. 132. 3) *Obſeruationes duae de vulneribus ad infimum penetrantibus ventrem.* Prioris vulnus infimo ventri inflictum concernentis auctor eſt Cl. SVSSI. Faber ferrarius ſiquidem enſe a milite vſque ad capulum in ventre perforatus. Enſis intrauerat in hypochondrio ſiniſtro circa cartilaginis oram tertiae coſtarum ſpuriarum et exierat verſus oram cartilaginis tertiae et quartae coſtae ſpuriae lateris dextri. Parum ſanguinis quidem emiſerat aeger, epiploon autem in dextro latere globuli inſtar magnitudinem ouuli gallinacei exaequantis exierat, et in ſyncopen inciderat. Tandem per ſingultum euomuit fere tres diſcos implentem ſanguinem, interim tamen, epiploo feliciter remiſſo, interdum vomitiones exortae ſunt. Delatus vero in noſocomium et curae Cl. SVSSI traditus, cum hyperici et olei roſati partibus aequis inunctio facta eſt totius ventris, et panni lanei fomentationibus impraegnatis emollientibus per totum curae tempus ventri impoſiti ſunt. Pro potu ipſi porrigebatur potio ex ſanicula, bugula, veronica, hedera terreſtri cum ſyrupo limonum et liquore anodyno. Diaetae ratione habita, venaeſectionibus repetitis, et continuatis remediis abſque vnguentis, balſamis et linteis carptis rite ſanatus eſt aeger.

Altera

*) Externe in paralyſi et interne in vrinae incontinentia valde commendatur hoc remedium, v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 107.

Altera obſeruatio a Cl. LEAUTAUD profecta eſt, atque etiam tale vulnus ſpectat. Diaeta in eiusmodi vulneribus conſueta, venaeſectionibus, emulſionibus, fomentationibus, emollientibus, et ſuppuratione facta digeſtiuis, aliisque remediis aptis, etiam priſtinam ſanitatem aegrotus recuperauit. p. 138.

4) *Continuatio reſponſionis* BACHER *ad* CARRERE. Pergit emendationes et correctiones addere ad bibliothecam litterariam, articulos bis inſertos variis locis recenſere, et omiſſos ſupplere in littera B. p. 154.

Menſis Septembris.

1) *Cl.* LATOUR *obſeruatio de tetano.* Femina triginta annorum ſexto grauiditatis menſe tetano correpta eſt cum affectione ſoporoſa et pulſu lento. Cl. Auctor libenter ex methodo DE HAEN ſuaſiſſet balnea frigida, niſi grauiditas, reliquaque ſymptomata fuiſſent contraindicantia. Igitur veſicatoriis vſus et decocto ex radice paeoniae et floribus tiliae, quibus in ſubſidium vocatis, remanſit quidem tenſio in regione epigaſtrica, et nauſea omnium alimentorum, verum continuato decocto cum aqua florum aurantiorum commixto et hae ceſſarunt, ne autem morbi reiteratio fieret, infuſionem ex floribus tiliae, aqua meliſſae, floribus aurantiorum, puluere dicto *poudre de Guttette* et tinctura caſtorei facere iuſſit, qua omnem morbi profligauit vim. p. 213.

2) *Obſeruatio Cl.* BERTRAND *de morte admodum ſubitanea.* Vir quidam quadraginta annorum febre correptus et liberatus demum in dextri pedis pollice rubro et tumido facto ſenſit dolorem, cui Noſter conuenienti ſuccurrere cenſuit modo, ſed vigeſimo primo die ab morbi initio ſuffocationis p. 220.

metus cum ſudoribus copioſiſſimis in capite imminuit cum gutturis inflammatione, denique venaeſectione, et pedum in aquam calidam repoſitione, et potione ex floribus aurantiorum, oxymelle ſcillitico, et liquore minerali anodyno HOFFMANNI incaſſum adhibitis, aegrotus obiit.

p. 224. 3) *Cl.* LIMBOVRG *obſeruatio de magno vulnere cerebro per baculum catapultae inflicto.* Miles ex improuiſo a ſuo ſocio baculo catapultae in latere anguli externi oculi perploſus eſt, intrauerat inſtrumentum in arcus zygomatici principium, et in parietalibus oſſibus per integumenta capitis poſteriora verſus angulum poſteriorem non longe a ſutura ſagittali exierat. Quod vulnus cum linteo carpto ſicco ſuperpoſitoque alio impraegnato cum eſſentiis, aloës et myrrhae more conſueto ligatum, regimine legitimo obſeruato et puluillis vnguento oblinitis, neque venaeſectionibus omiſſis perſanatum eſt.

p. 243. 4) *Cl.* MARIQUES *obſeruationes de vulneribus cordis.* Exemplo hac de re in medium producto, ex TVLPIO, NICOLAO MVLLERO, STALPART VAN DER WIEL, DIEMERBROECKIO, SENNERTO, HILDANO multa adduntur exempla, declarantia per plurimos dies eiusmodi vulneratorum hominum vitam protrahi poſſe.

p. 252. 5) *Epiſtola Cl.* DUBOSK DE LA ROBERDIERE, qua rubeolarum ſ. roſeolarum ſeu morbillorum redeuntium hiſtoria continetur.

p. 255. 6) *Continuatio reſponſionis Cl.* BACHER *ad Cl.* CARRERE. In his ſupplementis praeprimis notatu digna viſa ſunt, quae de ABSYRTE et H. VEGETIO artis veterinariae ſcriptoribus dicuntur, et quibus errores in aetate horum virorum determinanda

nanda ab VAN DER LINDEN, RENATO MOREAU MERCLINO et MANGETE commiſſi corriguntur.

Menſis Octobris.

1) *Breuis explicatio analyſeos, de virtute aquae ſalubris in perſanandis morbis venereis.* Valde haec aqua, quae alias aqua ſecuritatis audit, commendatur, et quae compoſita eſt ex mercurio ſublimato corroſiuo in aqua ſoluto. Ipſi aegri ſentiunt ſexto die poſt vſum, eruptionem miliarem, quae interdum tardius, aſt raro accedit. Etſi modo ptiſanis nutritiis, et requie ordinata fruuntur, aegri ex noſocomio bene reſtituti redeunt, neque longis ambagibus opus eſt ad hanc ſuſcipiendam curam propter ipſius remedii ſimplicitatem, nullae internae requiruntur praeparationes, praeterquam, haec, vt venaeſectio omittatur penitus, quippe quae per quindecim dies aut tres hebdomades recuperationi ſanitatis prolongandae anſam praebet. Penitus quoque omne virus venereum et occupans externas et internis partibus latens deſtruit et praeſeruationis praeterea loco adhiberi poteſt, abſque omni periculo manus aliaeue partes, lue venerea affectae, hac aqua poſſunt lauari. Tandem additur, in manu medici prudentis eſſe optimum, in manu ignorantis periculoſiſſimum praeſidium. Commendatur quoque aduerſus alia morborum genera, eaque ſat multa. p. 289.

2) *Obſeruationes chemicae Cl.* ROUELLE. p. 299. Duae ſunt, quae explicantur, prima de acido phoſphorico ex animalium oſſibus recepto praecipit. Cl. SCHEELIVS praeprimis viam monſtrauit, qua ingrediendum ſit, ſi tale acidum ex oſſibus ſit extricandum. Ipſa methodus, qua cum cornu cerui et oſſibus bubulis tale examen inſtituit, indicatur,

 ſubiun-

ſubiunctis obſeruationibus de phaenomenis in ipſo procedendi modo conſpicuis. Altera ſub examen vocat ſal marinum griſeum, quod noſcitur in ſalinis Santonianis et Hieranis, cuius vſus in omnibus regionibus Francogalliae frequens eſt et quod vulgo *Sal profuſum* audit. Examinibus cum hoc ſale inſtitutis, vidit Cl. Auctor, mercurium viuum in admodum parua copia et in minutiſſimas partes diviſum cum ipſo eſſe commixtum.

p. 326. 3) *Cl.* MORIN *de ſuffimigiis in phthiſi pulmonum.* Ex ordine ita procedit Noſter, vt primo phthiſeos deſcriptionem ſuppeditet, deinde indicationes deſcribat, et tandem doceat, quale praeſidium in ſuffimigiis ſit ſperandum, videlicet non in omnibus ſpeciebus phthiſeos conuenire illa ſuffimigia prodit Cl. Auctor, ſed tantum in aſthmate humido, in laxa pulmonum conſtitutione, et catarrhalibus affectibus, in aliis generibus exemplis euidentiſſimis declarauit, per mortem facta fuiſſe experimenta.

p. 332. 4) *Cl.* BAVDRY *obſeruationes de egregiis effectibus clyſmatum ex cortice Peruuiano in intumeſcentia infimi ventris, febribus putridis malignis ſuperatis.* Praemittuntur horum vſui purgantia antiſeptica et remedia acidula, et tunc extractum corticis cum aqua mixtum bono cum effectu immittitur.

p. 340. 5) *Cl.* DESONDES *epiſtola*, cuius ſumma eo tendit, vt equitationis vſum omnibus ſuadeat in phthiſeos initio, qui leuamen aliquod ſentire cupiant, huiuſque rei cauſa ad auctoritatem et effata ſummorum in arte medica prouocat virorum, at ex aliis quoque exercitiis praeſidia quoque repetenda eſſe docet.

6) *Cl.*

6) Cl. SOUVILLE *obſeruatio de phthiſi quadam incipiente.* Nobilis cuiuſdam feminae grauidae 26 annorum exemplum hic proponitur, quae in itinere a temporis iniuria, veſtium tenuium amictu, abuſu vini, potus Caffe et ſpirituoſorum diſpoſitionem aliquam ſibi contraxerat inflammatoriam, quae tuſſi fortiori, febrique ſuperueniente et doloribus pleuriticis, aliiſque ſymptomatibus pleureſeos praeſentiam declararunt. Sanguinis miſſione repetita, infuſoque florum Sambuci cum melle adhibito, diaeta exactiori et clyſmatibus applicatis ita ceſſarunt omnia, vt eniti poſſet feliciter. Sed poſt partum vno menſe praeterlapſo malum recruduit cum febri lenta coniunctum et purulento ſcreatu. Itaque praeſcripto remedio leniente, vſu corticis Peruuiani cum lacte ac diaeta his remediis adaptata et equitatione adhibita reſtituta eſt. Adiecta eſt obſeruatio ſuper vſu balneorum et aquarum mineralium. p. 343.

7) *Continuatio epiſtolae Cl.* BACHER *ad* CARRERE. Praeprimis nobis in hac placuit additamentum de variis AEMILII MACRI editionibus, quo Bibliotheca illa mirum in modum locupletatur, ſed et reliquae emendationes non minus huic negotio ſeruiunt. p. 353.

Menſis Nouembris.

1) *Cl.* IO. STANISL. MITTIE *de ſaliuationis aetiologia*, ſiue methodi, qua mercurius ſaliuationis cauſa adhibetur, explicatio, cuius neceſſaria cognitio eſt ad morborum venereorum curam melius inſtituendam. Vulgari modo ex chemicorum ſententia de natura mercurii diſſerit atque tres praeparandi ad vſus proponit modos. Prior fit ope aquae, ignis et motus, interpoſito vel corpore mucilaginoſo, mucoſo, gummatoſo, oleoſo, adipoſo, p. 385.

butyroſo et ſulphureo, vt diuiſio mercurii exiſtat. Poſterior per coniunctionem acidorum, phoſphoricorum vel animalium, vitrioli, nitri, tartari, aceti et in vniuerſum omnium acidorum vegetabilium. Vltima vero, quae neque ita ſimplex, vt prior, neque ita ſolutioni, vt poſterior, adaptata eſt, mercurii per acidum praecipitati ope alcali fixi aut volatilis, aut calcis aut terrae abſorbentis diſſolutionis cuiuſdam eſt congeries. Nouae huius methodi iam fecit mentionem Cl. BAYEN in experimentis *).

p. 397. 2) Cl. MARET *obſeruationes de vſu interno mercurii ſublimati corroſiui.* Cl. Auctor ipſe tribus obſeruationibus ea firmat quae a BOERHAAVIO et VAN SWIETEN huius rei cauſa iamiam prodita ſunt, et praeſtare hoc remedium omnia, quotquot ſunt, antiuenerea, aſſerit.

p. 405. 3) Cl. BRILLOVET *duae obſeruationes de phthiſi pulmonum percurata liquore mercuriali* VAN SWIETEN. Bis in phthiſeos initio omnia ſymptomata hoc remedio diſcuſſit, perfectamque produxit ſanitatem.

p. 412. 4) *Epiſtola Cl.* PICQVÉ DE AVEZAC *de inflammatione.* Non ſemper inflammationem febrem comitem habere duobus exemplis declarat et ſententiae ſuae confirmandae cauſa ad GALENI, BOERHAAVII, VAN SWIETENII, HAENII auctoritatem prouocat.

p. 421. 5) Cl. SOUVILLE *obſeruationes tres obſtetriciam artem attinentes.* In prima proponitur exemplum

*) v. Journ. de phyſique in Februar. et April. 1774. Febr. et Decemb. 1775.

plum vaginae inuerſae poſt admodum promtam partus eductionem. Infante videlicet admodum magno capite praedito educto, interior vaginae membrana inuerſa eſt, quam obſtetrix ſecundinas eſſe coniiciens vi extrahere tentauit, quo facto, dolores ingentes et tumores vuluae orti ſunt. Igitur, accerſito SOUVILLE, neceſſitate ſic iubente, error ab obſtetrice commiſſus repoſitione correctus, et ſecundinae extractae ſunt ſeparatim, aegrota autem per ſex hebdomades ex vſu acidorum vegetabilium et farinoſorum, et tonicorum remediorum in exterioribus partibus applicatione ſanata eſt. In ſecunda hiſtoria adhaerentium ſecundinarum narratur, quas ope manus inditae eduxit et repetitis frictionibus in infimo ventre et praecipue in matricis regione aegrotae ſanitatem reſtituit. Tertia obſeruatio verſatur quidem circa naturalem ſitum infantis in vtero, cuius tamen capitis magnitudo laborioſum effecit partum, ſed omnia bene ſucceſſere; infans autem ipſe mortuus in vitam reuocatus a Cl. SOUVILLE duobus poſt diebus obiit.

6) Cl. GVERIN *obſeruationes chirurgicae de quibuſdam ſymptomatibus operationes chirurgicas ſubſequentibus.* Haec ſunt conſtrictiones gulae, conuulſiones, febres, aliaque. p. 427.

7) Cl. ROUELLE *obſeruationes chemicae de liquore fumante* LIBAVII. Experimenta cum hoc liquore inſtituta docuerunt, illum ex ſublimato quodam griſeo ac albo conſtare, quod compoſitum ex pauco liquore fumante, ſtanno cranulato, mercurio dulci ac viuo; caput vero mortuum continet amalgama ſtanni in cryſtallos eleuati, et cum ſtanno ſubtiliſſimo particulae plumbeae combinatae ſunt *). p. 445.

8) Cl.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 109.

p. 448. 8) Cl. MALVS *epiſtola ad Auctores diarii huius* continens apologiam libelli de analyſi aquae efficaciſſimae ad morbos venereos perſanandos, de qua non diu ante ad Lectores breuiter retulimus.

p. 452. 9) *Continuatio epiſtolae* BACHER *ad* CARRERE. Hic emendationum finis conſpicitur, et Cl. Auctor promiſit has ſeorſim eadem forma, qua Bibliotheca literaria eſt impreſſa, prelo ſubmittere, vt commode cum illa in vnum cogi queant volumen.

Menſis Decembris.

p. 481. 1) *Commentatio praemio digna aeſtimata Cl.* VOVLONNE ſuper quaeſtione: *in quibuſnam morbis cito, et in quibuſnam tarde ſit curandum, et quaenam ſint ſigna, ex quibus haec perſpici poſſit medicus* *). Igitur praecipit, quibuſnam ſub conditionibus in morbis curandis caute ſit agendum, vnde varias morborum diuiſiones addit, varias claſſes conſtituens, nimirum morborum inflammatoriorum, ſpaſmodicorum, cum magna debilitate et virium proſtratione coniunctorum, et febrium eſſentialium, hae claſſes ſuas quoque diuiſiones admittunt, et tandem quid medici clinici ſit in vnoquoque horum genere morborum officium, proponitur.

p. 507. 2) *Animaduerſiones Cl.* DESGRANGII in epiſtolae forma ad Cl. LEAVTAVD propoſitae, *de ſpina ventoſa.* Diſquirit ante omnia Cl. Auctor, num hiſtoria de ſpina ventoſa ſupra commemorata vere ſpinam ventoſam concernat, et dein, num interna remedia et topicae applicationes in principio morbi medelam afferre, incrementa eius impedire, et ſanationem omnibus numeris abſolutam efficere poſſint. Diſcuſſis his quaeſtionibus, tres adduntur obſerua-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 343. et 711.

ſeruationes vberiori explicationi et illuſtrationi rei propoſitae inſeruientes.

3) Cl. MORIN *obſeruationes de duobus leproſis ſanatis.* Alter ſanguinis miſſione, iuſculis vacciniis cum herbis ſcolopendriae, borraginis, cichorei et ſale mirabili GLAVBERI, cum ptiſana, cremore lactis et ſuccis fumariae et naſturtii, puluere ex viperis, aethiope minerali et antimonio diaphoretico compoſito, et purgante ex ialappa, mercurio dulci et diagrydio ſanatus eſt. Alter vero eodem morbo correptus, borraginis, chaerefolii, pimpinellae, cichorei, et cryſtallorum tartari decocto, itidem cum infuſione fumariae, naſturtii, beccabungae facta et ſale mirabili GLAVBERI et frictionibus mercurialibus reſtitutus eſt. p. 532.

4) Cl. BOVTEILLE *obſeruationes de virtute antiſpaſmodica valerianae* in epilepſia etc. Intelligit Noſter Valerianam ſylueſtrem maiorem TOVRNEFORTII. Quinque exempla in medium producit, vbi praemiſſo medicamine vomitorio ex radice Ipecacuanhae, per radicem Valerianae in puluerem redactam epileptici inſultus ſedati et abacti ſunt penitus. p. 544.

II.

ALBERTVS HALLERVS de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus. Opus quinquaginta annorum. Tom. I. Bernae, ex prelo Societatis Typographicae, CIƆIƆCCLXXVII. 8. Alph. I. plagg. 10.

Etſi abſolutum omnino, perfectumque putandum erat celeberrimum illud de fabrica, functionibusque

busque humani corporis opus, cuius primam partem Ill. HALLERVS ante viginti, et quod excurrit, annos edidit; repetita tamen cura adhibita varia, quae recentiorum potiſſimum temporum inuenta eſſent, aegre in eo deſiderari, alia vero aſſerta ita comparata eſſe, vt neque ſuis, neque aliorum doctorum virorum tentaminibus reſponderent, expertus eſt. Hinc operae ſe pretium eſſe facturum iudicavit, ſi, prout occaſio ſe obtulerit, mox emendandis quibusdam prioris elementorum phyſiologiae editionis locis, mox incommodis repetitionibus expungendis, mox inuentis recentiorum inſerendis operam daret, curaretque, vt noua, quam moliebatur, praeclari huius operis editio ab omnibus, quoad fieri poſſet, cum ſuis, tum typographi erroribus aliena e prelo prodiret, eaque adeo Lectorum expectationi magis eſſet accommodata.

Ipſe vero tractationis ordo, quem Auctor in hac editione ſecutus eſt, cum eo, quem nos quondam, cum de prima editione referremus *), laudauimus, omnino conuenit, primusque tomus, praeter praefationem et nonnullorum Auctoris inventorum catalogum, tres libros complectitur, quorum primus *de humani corporis elementis*, ſecundus *de vaſis*, et tertius *de ſanguinis circuitu* exponit. Dabimus nos cuiuslibet libri breuem aliquem recenſum, rationem potiſſimum additamentorum habituri.

p. 4. Ac primum quidem de fibra, quam ſimplicem vocant, Ill. Auctor diſputat, eamque epidermidi, epithelio, vnguibus, pilis, oſſibus, cartilaginibus, totique propemodum corpori materiem praebere contendit. Etenim, quanquam ALBINVS cuiuis corporis parti propriam ſuam naturam eſſe nuper docuerat, Noſter tamen fatetur, ſe ad hanc opinionem accedere non poſſe, cum de cerebro, omnique

*) v. comm. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 631.

que neruoſa medulla dubium tantum ipſi ſuperſit, de reliquo corpore omnino nullum.

Solidum fibrae elementum ad calcaream terram proxime omnino accedit, aliquantum tamen ab ea diuerſum deprehenditur, cum neque in viuam calcem ignis vi abeat, nec cum vitrioli acido efferueſcat, nec ab aceto quicquam patiatur. Ceterum ferri quicquam terreae illi materiae admixtum eſt, quod maiorem fibrae firmitatem tribuit. p. 5.

Glutinoſa materies ex oleo, aqua et aëre miſta deprehenditur, eaque ex membranis, ipſisque oſſibus obtineri facile poteſt; namque ichthyocolla, quae interior veſicae natatoriae tunica eſt, cum aqua, debilique frumenti ſpiritu in gluten abit, et ex oſſium in acidis ſolutionibus ſalis alcalini ope materies eidem glutini ſimilis ſeparatur. p. 11.

Fibra ex glutine atque terra, velut elementis, compoſita elaſtica quidem, at minime irritabilis eſt; quocunque enim modo ea, dum integra eſt, tacta fuerit atque irritata, breuior nequaquam redditur, quippe quae facultas ſoli muſculoſae fibrae conueniat. Non ideo tamen, inquit Auctor, nulla fibrae vis contractilis eſt: ineſt et in viuo animali, et in mortuo, etiam in ſicca cute, in animalium inteſtinis, certe in elaſticas chordas contortis. Conflati ex huiusmodi filamentis contextus, quem plerique celluloſum, nuperi autem, iique BORDEVII potiſſimum aſſeclae mucoſum vocant, ſumma eſt in animalium corpore dignitas; nam non adipi ſolum, vaporique receptaculum praebet, verum etiam firmitatem cunctis partibus tribuit, quippe quae, ablata hac tela, omne fere robur amittant, ſuamque ſedem mutent, ita vt aneuryſmata, varices, anchyloſes, aliaque mala naſcantur. Praeterea figura, partiumque flexiones hoc textu definiuntur, tonusque, quem tanti STAHLIVS fecit, in eo reſidet; p. 16. p. 18.

quare

quare etiam indurata haec materies et rugarum,
ſenii indicum, et ipſius ſenii cauſa putanda eſt. Ce-
p. 39. terum recte olim docuit GALENVS, nullum huic
telae ſenſum tribuendum eſſe, qui potius tranſeun-
tibus neruis debeatur.

p. 59. Illa materies, in cuius vſus hancce telam vni-
ce paratam eſſe quondam putarunt, pinguis eſt, at-
que in homine non minus, quam in multis anima-
libus fere fluida, in aliis autem, iisque potiſſimum
p. 60. herbiuoris durior deprehenditur. Sic aquaticarum
auium et Struthionis Cameli adeps ea gaudet natura,
vt huc illuc concutiendo agi, omnisque per vnum
cutis vulnus educi poſſit, ouibus contra ſebacea,
et inſectis granoſa pinguedo contigit. Humano au-
tem adipi variae, praeter oleum, partes inſunt, quas
p. 62. Noſter recenſet, nuperisque quibusdam experi-
mentis euictum eſſe ait, admodum volatili natura
hoc corpus gaudere, illudque omne per vitri bene
obturati poros tranſiiſſe.

p. 72. Secretio humoris huius, quae velut exſudatio-
ne ex integris vaſis fit, ratione varia adiuuari mox,
p. 79. mox impediri poteſt. Sic ad pinguedinem in cel-
lulis ſuis colligendam quies animi atque corporis
tranquillitas requiritur; nam equi, quos curſus ma-
cilentos ſeruauerat, in ſtabulis hiberno tempore ce-
lerrime pingueſcunt, et boues, quibus fatigatis oſſa
abſque medulla erant, quiete eam recuperant. Si-
miles effectus, ſi modo integra ſuperſit valetudo,
venae ſectionis ſunt, eorumque omnium, quibus
p. 80. ſanguinis motus poteſt imminui. Cura e contrario,
animi labor, morbique varii macilentum corpus
p. 86. reddunt; boues enim ab epidemica lue, quae ma-
ligna peripneumonia putridae indolis eſt, et oues
ab hepatis corruptela miſere emaciantur, vt ne me-
dulla quidem in oſſibus ſuperſit. A dyſenteria ſub-
ito adeps diſparuit, et pictonum colica omnem
carnem

carnem conſumſiſſe viſa eſt, vt ſolae membranae ſupereſſent. Ceterum, quas adeps humano corpori praeſtet vtilitates, alio loco diximus *).

Vaſa ea, in quibus humores perenni motu vehuntur, ex celluloſo contextu fiunt, eaque nec vermibus, neque inſectis a natura denegata videntur, quamuis contrariam ſententiam olim ARISTOTELES, et nuper, ſaltem de quibusdam minorum animalium ſpeciebus, LYONETVS atque FONTANA tuiti ſint. Etenim LISTERVS, LEDERMÜLLERVS, DE GEER, aliique variorum vermium atque inſectorum vaſa contemplati ſunt, et MÜLLERVS in nereide arterias pariter, atque venas detexit. Quanquam autem in vniuerſum affirmantium partes potiores ſunt, compoſita tamen haec lis putanda nondum eſt, cum SPALLANZANI, periti inſectorum contemplatoris, auctoritas obſtet, qui neque in vorticella **), neque in inſectis vaſa repererit. p. 106.

Membranae arteriarum variae ſunt, eaeque pro ſtructurae ratione diuerſis gaudent virtutibus. Et irritabilis quidem vis ad carneas fibras referenda eſt, eademque efficit, vt immiſſus inciſae arteriae digitus fortiter comprimatur, ligataque bis arteria inter vincula ſe euacuet. Sanguis praeterea, ſi ligata aorta fuerit, ex arteria exit, eamque inanem relinquit, quod arterioſae contractioni tribuendum eſſe videtur, cum etiam deleto corde hoc experimentum ſuccedat. Nondum tamen, inquit Noſter, euictum inde erit, elateri ſoli arterioſa vaſa obediant, vtrum p. 136. p. 139.

*) l. l. p. 636.

**) Cor profecto huic animali denegandum non eſt; iam vero, vbi hoc viſcus offenditur, ibi etiam vaſa neceſſaria ſunt. Vid. Cl. LESKE *Anfangsgründe der Naturgeſchichte*, 1. *Theil*, *Leipzig*, 1779. *p*. 557.

vtrum omnino ad muſculorum modum conſtringantur; certum enim eſt, multis a morte diebus arteriam, ſi humida ſit, ita ſe contrahere, vt incisa mollem ceram, qua fuerat repleta, expellat. Hinc, experimentis conquiſitis, hanc litem ſtudet componere, libereque fatetur, arteriam conſpicuae illius contractionis, quae ferro etiam, aut alia mechanica irritatione cieatur, et quam nuper VERSCHVVRIVS defenderit, neque in ſuis, nec in CALDANI, IADELOTI, aliorumque clarorum virorum experimentis vlla ediſſe ſigna; hinc, ſi qua eſt, ea in magnis arteriis, quarum fibrae circulares manifeſtae ſint, tantum animaduertitur, neque tamen perpetuo conſpicua, nec alacris, nec valida eſt. Inconſpicua autem contractilis vis, quae oculis ob debilitatem ſe non offerat, his ipſis vaſis denegari nequit, cum muſculoſa fabrica ea nunquam reperiatur deſtituta.

p. 176. In finibus arteriarum deſcribendis Ill. Auctor eundem retinuit ordinem, quem in prima editione ſibi elegerat, niſi vt quibusdam recentiorum obſervationibus maiorem aſſertis ſuis fidem ſtudeat conciliare. Sic SPALLANZANVM nuper varias, quibus arteriarum cum venis coniunctiones ſolent abſolui, rationes ſuis experimentis confirmaſſe dicit, qui in frigidis animalibus modo pluſculas arterias in vnam venam confluere, modo, vt in ſalamandrae aquaticae branchiis, arteriam reflexam in venam vnius globuli capacem abire viderit. Idem praeterea mox vnicum ſanguinis globulum ex rubra arteria in primam venam tranſire; mox quatuor et quinque globulorum capax vaſculum ab arteria in venam continuari animaduertit. Ceterum, cur cautus alioquin FRID. BERN. ALBINVS anaſtomoſes arteriarum cum venis ratione, experimentis atque

p. 182.

auto-

autopſia refutari, microſcopiis vero atque iniectionibus vix confirmari ſcripſerit, rationem Noſter videt omnino nullam.

Ad infringendam de loci errore opinionem p. 220. Ill. Auctor argumento vtitur ab ipſa autopſia petito; nam cum in piſcibus vaſorum rete, quod vitreum corpus ambit, contemplaretur, manifeſto vidit, nudo quidem oculo inconſpicuum, microſcopio tamen adhibito illud non ſolum facile diſtingui, et a centralis retinae arteriae trunculo per vtramque vitreae membranae conuexitatem numeroſiſſimis ramis ſpargi, ſed etiam rubris fieri vaſis, quae palleant, et nihilominus rubros globulos vehant; hinc, ait, nullo omnino loci errore opus eſt, vbi vaſa pene pellucida oculum fugiebant, vt nunc rubra vaſa ſint; ſufficit enim aut acriorem oculum adhibere, aut ſanguinis aliquando plus in ea vaſa vrgere, quae dudum ſanguinem vehebant.

In venarum ſtructura rimanda accurato ob- p. 228. ſeruatori varia ſe offerunt, quibus hoc vaſorum genus ab arterioſis diſtingui facile atque diſcerni poteſt. Etenim, vt a reliquis diſcedamus, interior ve- p. 235. narum fabrica ſimplicior deprehenditur, ab eaque ſolida illa tendinea compages, quae praecipuam arteriarum membranam efficit, et tranſuerſae muſculoſae fibrae omnino abſunt. Hinc perſpici facile poteſt, vtrumque vaſorum genus propriis viribus eſſe conſpicuum. Et ad pulſum quidem quod at- p. 236. tinet, is pulmonali venae, et cauae illi parti, quae cordi proxima eſt, tantum conuenit, a reliquis vero cauae propaginibus omnino abeſt. Nunquam enim aut ſponte, aut per irritationem excitatum motum tot in experimentis, quae cum venis ex caua prodeuntibus Ill. Auctor inſtituit, ipſi licuit obſeruare, quare motum aliquem venis inſitum ſtatuere non audet. Ceterum, etſi plura proſtant ruptarum ve- p. 238

narum exempla, robur tamen, quo ruptioni reſiſtunt, inſigne eſt, atque maius, quam primo aſpectu videtur; nam tenues ſunt, et prae arteriis multo maiorem ſui luminis ad membranas rationem habent, earumque ſolida ſubſtantia, ſi tentaminibus eam ob rem inſtitutis fides haberi debeat, deorſum increſcere viſa eſt.

p. 282. Quae quondam de venarum finibus diſputaverat Ill. HALLERVS, iis ad demonſtrandam horum vaſorum ex celluloſa tela reſorptionem quaedam argumenta, ab aquae, ſebi, hydrargyri, piſcium glutinis etc. iniectionibus, et a ſanguinis extra vaſa haerentis, velut in ecchymoſi, reditu petita addi-
p. 286. dit; et HEWSONO, qui nuper, neſcio an ad infringendam de exhalantibus vaſis opinionem, vtrum ad refellenda alia, quae iniectionibus nituntur, placita, rupta ea fuiſſe vaſa opinatus eſt, quae aquam iniectam transſudare ſinerent, ſua experimenta oppoſuit, quibus quippe conſtitit, ceraceum liquamen, quod poſt iniectam aquam in exhalantia vaſa vrſerat, nunquam aquae viam eſſe ſecutum, neque in magnas caueas exiiſſe, quas vtique petiiſſet, ſi aqua, ruptis vaſis, viam ei aperuiſſet. Hinc veriſſimum eſt, liberrimum eſſe in viuo corpore a venis in cerebri ventriculos, narium, aliasque caueas iter, humoresque in eas et deponi, et ex iis rurſus reſorberi.

p. 292. Lymphaticorum, quae dicuntur, vaſorum deſcriptio in Halleriano opere, prout notum eſt, venas excipit, eaque, cum nuper HEWSONI potiſſimum atque MONROI iunioris opera haec anatomes pars fuerit admodum illuſtrata, multis, iiſque praeclaris animaduerſionibus abundat, quibus vetus editio caret. Ac primum quidem, vt quaedam
p. 293. ſaltem additamenta tangamus, thoracici ductus, vaſorumque ad eum pertinentium in auibus, piſcibus

atque

atque teſtudine repertorum Ill. Auctor meminit, ſimulque MECKELII et HEWSONI ſtudium, quod p. 306. in eruendis artuum, aliarumque corporis humani p. 321. partium lymphaticis vaſis poſuerunt, iuſtis laudibus effert. Reperit autem HEWSONVS in inferiori artu alia aquoſa vaſa, quae a digitis in dorſali parte aſcendunt, muſculumque tibialem anteriorem comitantur, alia, quae in flexoria parte inter tibiam et internum gaſtrocnemii muſculi tendinem ambulant. Valuuloſa haec ſunt, ſubeuntque nonnullas glandulas, ex quibus ad inguinales proficiſcuntur, et cum vaſis a partibus generationis aduenientibus communicant. Plexu tandem ea magis conſpicua fiunt, et abdomen ſub obliqui interni tendine intrant. Haec fere ſuperficialia ſunt; alia profundius poſita inter muſculos arteriam tibialem et cruralem comitantur, tricipitem muſculum perforant et inguinales adeunt glandulas, in quibus cum ſuperficialibus miſcentur. In brachio eadem ratione p. 329. HEWSONVS et ſuperficiei propiora, et ab ea magis remota aquoſa vaſa vidit, quae ad axillares glandulas properant, in iiſque plexus faciunt, quos in ſiniſtro latere thoracicum ductum, aut ſubclauiam venam, in dextro autem angulum inter iugularem et ſubclauiam ingredi animaduertit. Omittimus alia, quae idem Auctor in ventriculi curuatura, et in hepatis, inteſtinorum, aliarumque partium vicinia detexit, et progredimur ad ea, quae HALLERVS p. 334 de huiusmodi vaſorum cum rubris venis coniunctione monuit. Etſi autem WEPFERVS, HEBENSTREITIVS, MERTRVDIVS, aliique mox in hypogaſtricam, mox in azygam, mox in lumbales venas aquoſa vaſa aperiri viderunt, alias tamen, easque graues rationes eſſe Noſter fatetur, quae ipſi hoc totum lymphaticarum venarum cum rubris commercium dubium reddant atque ſuſpectum; etenim,

ſi a ſubclauia aut iugulari vena diſcedatur, nunquam ſe, ait, vel vnum vaſculum reperiſſe, quod vera fide in rubram venam terminaretur; hinc valde ipſi eſt probabile, omnem ex corpore humano redeuntem lympham prius in thoracicum ductum confluere, quam ſanguinis reddatur maſſae. Cete-
p. 341. rum miratur Noſter BROMFIELDI, nuperi ſcriptoris, iudicium, qui nullum conglobatarum glandularum a conglomeratis eſſe diſcrimen docuerit, vt in alio animali conglobatae eſſent, quae in alio ad conglomeratarum naturam accederent.

p. 366. In ſanguinis, lymphaeque curſus deſcriptione vix quicquam reperit HALLERVS, quod mutaret. Neque enim ab eo tempore, quo prima Elementorum phyſiologiae editio prodierat, Harueianum inventum vel nouis argumentis confirmari magis, vel figmentis ſpecioſis dubium reddi potuerat, quippe quod et rationibus et experimentis ad perſuadendum
p. 463. aptiſſimis innitatur. Nihilo tamen minus, nuper FOUQUETUS *), aliaque ſemiſtahlianorum, quae in Gallia ſe extulit, ſectae membra aduerſus Harueianum circulum ipſis HALLERI et SPALLANZANI experimentis vſi ſunt, quibus euinci ſanguinis ex arteriis in cor reditum putent. Nimirum, quae HALLERVS raro, velut in mortis cum vita conflictu euenire dixerat, FOUQUETVS de naturali hominis ſtatu intellexit, atque adeo verae ſanguinis circulationi contraria arbitratus eſt. Sed profecto non opus erat noſtro Auctori ad huiusmodi dubia diluenda prolixis verborum ambagibus, cum, non dicam repetitione, ſed modo accurata Hallerianorum experimentorum lectione ea ita refellantur, vt veroſimilitudinis ſpeciem amplius prae ſe ferant omnino nullam.

III.

*) EIVSD. praelectiones medicae decem. Monſpel. 1777. 12.

III.

EIVSDEM Bibliotheca Anatomica, qua ſcripta ad Anatomen et Phyſiologiam facientia a rerum initiis recenſentur. Tomus I. ad annum CIↃIↃCC. Tiguri apud Orell, Geſsner, Fueſsli et Soc. CIↃIↃCCLXXIV. Alph. IV. et plagg. decem, 4.

In percenſendis cum veterum, tum recentiorum de animali oeconomia ſcriptorum placitis HALLERVS ea verſatus eſt ratione, vt *de Graecis* primum, tum *de Arabibus* atque *Arabiſtis*, deinde *de anatomes reſtauratoribus*, *Italica ſchola* et *animantium inciſionibus*, tandem *de humana anatome*, eaque et *doctiori* et *perfectiori* in nouem libris loquatur, omniaque, quae ipſi innotuerunt, opera laudet, et quid auctorum quisque proprii habeat, quid rectius viderit, quid primus cet. cognitum reddat. Non receſſit itaque Auctor hoc in opere ab ea pertractandi methodo, quam nuper, cum de *botanica* *) atque *practica* **) viri ſummi *bibliotheca* referremus, laudauimus; hinc, vt in ea prolixius deſcribenda multum perdamus temporis, non videmur opus habere. Accedamus proinde ad ipſa libri interiora, et ex iis quaedam proferamus ſpecimina.

Prima anatomes incunabula in ea tempora Noſter ponit, quibus armatus homo deuictarum ferarum carnibus ad cibum vſus eſt; alteram autem periodum, cum manſueta reddita animantium genera in alimentum conuertebantur. Nihil tamen hic certi eſſe fatetur, primaeuae quippe gentes parcae in animalibus mactandis fuerunt, et Aegyptus a laniena omnino abhorruit; nam legibus, p. I.

 iisque

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. P. I. p. 34.
**) v. ibid. Vol. XXIII. P. IV. p. 662.

iisque ſeueriſſimis cautum apud antiquos erat, ne
quis carne veſceretur. Capti autem huius alimenti
dulcedine homines crudelibus deliciis, vt PORPHY-
RIVS dicit, indulſerunt, hacque ipſa ratione inte-
riorum in animalibus partium ſitum et ſtructuram
ſibi cognitam reddiderunt. At vero admodum an-
guſtis limitibus hanc ipſam anatomen fuiſſe circum-
ſcriptam diffitendum non eſt, quippe qua craſſiora
tantum viſcera, velut cerebrum, cor, pulmones,
ventriculus cet. innoteſcerent, et carnium forte,
tendinum, neruorum, vaſorumque magnorum co-
p. 2. gnitioni quaedam ſuppeditaretur materies. Neque
fuit accuratior, quam victimae obtulerunt, inte-
riorum partium notitia; namque variis hepatis par-
tibus, quod viſcus ſacerdotes ſunt potiſſimum per-
ſcrutati, huiusmodi nomina impoſuerunt, quae ad-
modum rudem fuiſſe veterum de his rebus cogni-
tionem nobis perſuadeant. Attamen his ipſis me-
diis viam ad humanam anatomen veluti ſtratam,
eamque humanis victimis, quae apud Celtas, Luſi-
tanos, Scythas, aliasque gentes quondam in vſu fue-
runt, et funerum conditura magis fuiſſe excultam,
multis profecto veterum auctorum locis compro-
p. 4. bari poteſt. Et ad eas quidem inciſiones, quae con-
diendorum funerum gratia magna cum cura inſti-
tuebantur, quod attinet, illis Aegyptios multum in
ea medicinae parte, quae manu medetur, debuiſſe
GALENVS auctor eſt. Hinc male SCHVLZIVS, et
qui eum ſequuntur, Aegyptiorum anatomen trala-
titiam putant, quippe quos a funerum conſortio
haudquaquam fuiſſe alienos vel mumiae ſuperſtites
euincunt. Praeterimus multa alia teſtimonia, quae
de vetuſtiſſima anatome, et de ORPHEI, MVSAEI,
aliorumque in eam meritis HALLERVS collegit, et
accedimus ad ea, quae firmioribus argumentis ni-
tuntur.

Et

Et ex PYTHAGORAE quidem ſchola, Crotone condita, medici, iique anatomes, qualis tum erat, peritiſſimi prodierunt, ipſe autem PYTHAGORAS aliqua phyſiologica potius, quam anatomica placita reliquit. Sic cuncta animalia ex ſemine naſci, illudque cerebri eſſe ſtillam dixit. Praeterea mentem et animam in cerebro ineſſe; animalia ſanguine nutriri; animae vehicula venas, arterias atque neruos eſſe cet. defendit. p. 10.

ALCMAEON, qui ex Pythagoraeis fuit, primum mortalium librum de anatome molitus eſſe a CHALCIDIO dicitur. Id exploratius eſt, eum de variis actionibus, quae in viuis animalibus eueniunt, cogitata dereliquiſſe, quae partium naturam ipſi quodammodo fuiſſe cognitam demonſtrent.

EMPEDOCLES, cuius fama maior eſt, anatomica pariter, atque phyſiologica placita reliquit, et ANAXAGORAS cum ſideribus obſeruandis, tum animalibus incidendis dedit operam. Ferunt enim, cum aries vno cornu natus eſſet, et Athenienſes ſiniſtri quid inde metuerent, ANAXAGORAM, cum animal incidiſſet, animaduertiſſe, vnam fuiſſe cerebri cameram, quae in cornu abiiſſet. Ceterum ab vtroque parente ſemen aduenire, ſexusque diuerſitatem in eo eſſe docuit, prout a dextris, aut ſiniſtris corporis partibus illud deflueret. p. 11.

DEMOCRITVS in animalibus incidendis multum ſtudii poſuiſſe fertur; effata tamen, quae ab eo profecta dicuntur, phyſiologici fere argumenti ſunt. p. 13.

Aſclepiadum ſcripta cum perierint, de meritis huius ſcholae ex eius operibus iudicium ferri nequit; attamen ſatis, inquit HALLERVS, in Hippocraticis ſcriptis lucis eſt, vt Aſclepiadum peritiam hactenus aeſtimemus; neque enim ex vllo monumento videtur colligi poſſe, HIPPOCRATEM ipſum ea inueniſſe, quae adeo numeroſa de anatome in p. 14.

genuinis eius ſcriptis reperiantur. Argumentis
proinde ex his operibus petitis demonſtratum No-
ſter iuit, cum anatomen in vniuerſum, tum pe-
culiariter humani corporis ſtructuram HIPPOCRA-
p. 15. TIS aeuo haud fuiſſe ignoratam. Ac primum qui-
dem *librum de articulis*, qui *libri de fracturis* pars eſt,
percurrit, multaque ex eo collegit loca, quae,
vti nobis videtur, demonſtrandae anatomicae
HIPPOCRATIS experientiae ſunt aptiſſima. Acce-
dit deinde ad alios cum genuinos, tum ſpurios
COI libros, eosque ita recenſet, vt non ſolum ana-
tomica atque phyſiologica, quae ipſis inſint, aſſerta
cognita reddat, verum etiam eos laudet, quorum
ſtudio vel editi, vel in alias linguas verſi illi ſint;
p. 27. et tandem diſquirit, quanti HIPPOCRATIS anato-
me debeat aeſtimari. Scilicet quum GALENVS
HIPPOCRATEM velut inſtauratorem anatomes ex-
tulerit, piaculum fere committere putati ſunt, qui
tanti viri laudibus quicquam detraherent. Hinc
alii ſanguinis circuitum illi cognitum fuiſſe, alii ſa-
liuales ductus, lactea atque lymphatica vaſa ipſum
inueniſſe multis argumentis comprobare ſtudue-
runt. At enim vero, etſi venas omnes inter ſe
communicare, ſanguinemque et ad fines earum
fluere, et aduerſus cor per eadem vaſa refluere do-
cuit, aliasque paſſim de humorum motu voces pro-
tulit; haud tamen ſatis conſtat, vel verum arteria-
rum a venis diſcrimen ipſi fuiſſe notum, vel vſquam
eum ſcripſiſſe, ſanguinem ex arteriis in venas trans-
ire, et per eas refluere; quare aeſtimanda quidem
anatomica HIPPOCRATIS ſcientia, at illis laudibus,
quas LINDENIVS, STENZELIVS, aliique ipſi tribue-
runt, haud extollenda eſt.

p. 28. Excipiunt HIPPOCRATEM PRODICVS, ARI-
STIDES Samius, CTESIAS Cnidius, PHILISTION
Siculus,

Siculus, POLYBVS, DIOGENES APOLLONIATES, SYENNESIS Cyprius, DIOTIMVS, MONAS, EVRYPHON Cnidius, MEDIVS, EPIGENES antiquior, SIMONIDES medicus et METRODAVRVS Scepſius, quorum in anatomen merita, quae parum profecto conſpicua ſunt, HALLERVS breuibus laudat.

Ex PLATONIS libris Τιμαιον, in quo phyſiologica quaedam inſint, Noſter breuiter recenſet; p. 30. maiori autem cum cura verſatur in deſcribendis, diiudicandisque ARISTOTELIS operibus, et in depingendo eius aduerſus anatomen, omnemque p. 31. omnino naturalem hiſtoriam amore. Diſſecuit autem ARISTOTELES viuentia etiam animalia, primuſque fuit a rerum memoria, qui anatomicas icones curaret pingendas. Contulit etiam cum ſuis obſeruatis aliorum de animalibus, eorumque moribus, figura, fabrica et viſceribus relationes, eoque progreſſus eſt, vt, quid cuique animantium claſſi commune, et velut eſſentialis characteris loco eſſet, in pleriſque accurate definiret. Humanae anatomes aliquam habuiſſe cognitionem videtur; nam cum animantium viſceribus eum humana ſaepe comparaſſe, permultis ex locis clarum fit atque perſpectum. Ceterum, etſi varii intermixti Stagiritis ſcriptis errores ſunt, quorſum e. g. tres cordis ventriculi ſpectant, immenſum tamen opus, et absque pare, condidit, quod ne poſteri quidem aemulari ſuſceperint, eaque gauiſus eſt felicitate, vt coepta omnia perficeret. Praecipui eius libri ſunt, quos *de animantium hiſtoria*, *partibus* atque *generatione* reliquit, quoſque HIEROCLES velut epitomen quinquaginta *de animalibus* librorum ab ARISTOTELE ſcriptorum habuit. Sed non eſſe, inquit HALLERVS, cur pro compendio eos habeamus, cum Auctor in lites paſſim ſe dimiſerit.

Ex

p. 51. Ex Peripateticis CALLISTHENES ob oculi fabricam bene deſcriptam a CHALCIDIO laudatur, et LVCIANVS inter huius ſcholae merita varia de ſemine, generatione et fetus in vtero formatione inventa recenſet, quae anatomen ab ea admodum fuiſſe adamatam euincunt.

THEOPHRASTVS ERESIVS libellos quoſdam reliquit, quibus phyſiologica quaedam placita continentur. Sic in libro *de ſudoribus* perſpirationem a ſudore differre perhibuit, quod perpetuo et absque ſenſu illa emanet. Praeterea nec capitis, neque ſenum ſudorem olere; eos facile ſudare, quibus aluus et veſica adſtringantur, non item, quibus multa fluat vrina, aut laxa ſit aluus; magis pedibus ſudare illos, qui anguntur cet. defendit, multisque aliis ſpeciminibus docuit, humanam naturam ipſi haud incognitam fuiſſe.

p. 53. DIOCLES CARYSTIVS, quem alterius HIPPOCRATIS inſtar venerati ſunt, *de anatomicis adminiſtrationibus* primus ſcripſiſſe dicitur, eumque GALENVS in anatomicorum catalogis recenſuit, iis tamen annumerauit diſſectoribus, qui haud accurate in anatomia fuerint verſati. Ipſe ſuas mularum inciſiones laudat, quarum locos male diſpoſitos ſterilitatis cauſam eſſe cum EMPEDOCLE recepit.

p. 54. PRAXAGORAM Coum, NICARCHI filium et HEROPHILI praeceptorem cum PLISTONICO inter minus accuratos inciſores GALENVS pariter refert. Humoribus ſolis ambo, prout etiam PHILOTIMVS, et ſanitatis et morbi phaenomena tribuerunt; vteri proceſſus, quibus tubarum nomen eſt, ſinus dixerunt cet.

p. 55. De AEGIMII Velienſis, CHRYSIPPI Cnidii et DIONYSII, OXYMACHI filii, anatomica peritia
p. 56. parum innotuit; ERASISTRATVS autem, CHRYSIPPI

SIPPI

SIPPI modo dicti et ARISTOTELIS diſcipulus, maiorem adeptus eſt famam, quod, GALENO teſte, anatomen reſtituit, viuosque homines, ANTIOCHO veniam dante, diſſecuit. Arterioſas cordis valuulas bene deſcripſit, et ex altero huius viſceris oſtio ſanguinem in pulmonem, ex altero ſpiritum in reliquum corpus venire docuit; de illo etiam valuularum officio, quo relapſuris obſtant humoribus, recte diſſeruit, primusque fuit, qui arterias lactis plenas in hoedis videret. Ceterum in phyſiologicis propria ſecutus eſt placita, iisque effecit, vt GALENVS ſemidogmaticum eum diceret. Duos ſcripſit libros *anatomicorum de ſingulis paſſionibus*, quos CAELIVS AVRELIANVS *) laudat. Modeſtus fuiſſe atque moratus vir dicitur, qui etſi aliter ſentiebat, HIPPOCRATEM tamen refutare detrectauit.

Ex PRAXAGORAE diſcipulis HEROPHILVS p. 59.
potiſſimum inclaruit, qui omnem medicinam, herbas, praxin, et anatomen ſibi ornandas ſumſit; maxima tamen eius aduerſus anatomen fuit propenſio, easque in ea conſecutus eſt laudes, vt FALLOPIVS, nuſquam eum erraſſe, ſe teſtem daret. Viuentium reorum corpora, perinde vt ERASISTRATVS, inciſiſſe dictus eſt, qua tamen dicendi ratione, etſi ſerio poſteri interpretati eam ſunt, veteres humanae anatomes raritatem expreſſiſſe, HALLERVS arbitratur. Quae de eo proſtant, fragmenta fere ſunt GALENI ſtudio conſeruata. Multum in neruis laborauit, eoſque a tendinibus atque ligamentis, quibuſcum ARISTOTELES potiſſimum eos confuderat, diſtinxit. De neruorum opticorum poris et cerebri ſinibus, eorumque concurſu, quem torcular vocauit, locutus eſt, pluraque alia de cerebri, cerebelli, partium genitalium vtriuſque ſexus cet. anatome reliquit, quae

*) *De morbis acutis*, Lauſannae CIƆIƆCCLXXIV. pag. 220. 302.

quae exquiſitiſſimi diſſectoris nomine, quod GALENVS ipſi impoſuit, haud indignum eum eſſe euincunt. De humoribus eandem cum PRAXAGORA fouit mentem, artemque fere incertam eſſe atque obſcuram ſcripſit.

p. 62. ERASISTRATI pariter atque HEROPHILI ſectatores multum etiam laboris in amplificanda anatome poſuerunt, et videtur haec ars Alexandriae conſtanter fuiſſe exculta, vt etiam GALENI temporibus medici, qui humani corporis cognitioni ſtuderent, eo confluerent. ERASISTRATI tamen ſchola diutius ſuperfuit, ex eaque, praeter alios, XENOPHON, libro *de appellationibus partium corporis humani* celebris, APOLLONIVS Memphitanus, et
p. 63. MARTIALIS, GALENO dictus, prodierunt. In HEROPHILI ſchola multum de pulſu laboratum eſt; nam, vt CHRYSERMVM, BACCHIVM, ALEXANDRVM Philalethem, alioſque mittamus, HERACLIDES ERYTHRAEVS ſeptem, et APOLLONIVS MVS viginti et nouem *de pulſu* libros reliquerunt. De ARISTOXENI, ZENONIS, ANDREAE CARYSTII, HERACLIDIS TARENTINI, GLAVCIAE et GAII, qui eundem HEROPHILVM ſecuti ſunt, in anatomiam
p. 64. meritis parum omnino innotuit. Idem etiam de philoſophis, qui circa ea tempora floruerunt, dicendum eſt; etenim, quanquam Stoici de phyſiologicis rebus cogitarunt, multaque ab iis, GALENO auctore, Pneumatici ſumſerunt, nihil tamen videntur dereliquiſſe, quod commemoratione dignum ſit.

p. 65. ASCLEPIADES illuſtrandae potiſſimum phyſiologiae operam dedit, mechanicaſque rerum vbique quaeſiuit cauſas. Sic in ſolo pulmone arterias (micantia vaſa) venis tenuiores eſſe, quod perpetuo labore extenuentur, et venas e contrario, propter ſuum laborem, fieri craſſiores dixit. Reſpirationis pariter

pariter mechanicam, ſed perobſcuram, dedit rationem. Ciborum non coctam, ſed disiectam, eamque in lacteum humorem mutatam materiem per animale corpus decurrere docuit. Morbos imputauit corpuſculis, quae iter, per inuiſibilia foramina ſubſiſtendo, claudunt. Ceterum, haud exiguam ſectatorum reliquit turbam; nam PHILONIDES, MOSCHION, CASSIVS, THEMISON et THESSALVS, omnisque adeo methodica ſecta plurimum ipſi tribuit, maximique eum CELSVS fecit.

Eodem fere, quo ASCLEPIADES vixit, tempore LVCRETIVS CARVS ſuo *de rerum natura* poëmate inclaruit, in cuius tertio libro Auctor potiſſimum in eo laborat, vt animam corpoream, mortalem et per artus diffuſam eſſe, hinc omnes partes, oſſa etiam atque dentes, ſentire demonſtret. Quarto libro ſua de ſomno, generatione, nutritione, oculo, reliquisque ſenſibus placita immiſcuit. p. 67.

Animalis oeconomiae quoddam velut compendium CICERO ſecundo *de natura deorum* libro inſeruit, quod nuper IOH. BRISBANE cum ALBINI tabulis Londini *) curauit edendum. HIERONYMVM DE BONO *de medica facultate in* TVLLIO *omnino comperta* diſputaſſe **) olim retulimus ***).

CELSVM in anatomicis ſuis deſcriptionibus, quas nuper BRISBANIVS Anglice edidit, HEROPHILVM atque ERASISTRATVM potiſſimum eſſe ſecutum, eumque modo de homine, modo de animalibus dicere, MORGAGNVS perhibuit. Hoc exploratum eſt, oſſium, quam dedit, hiſtoriam elegantem eſſe, iiſque deſcriptionibus, quae ante eum prodierunt, magis abſolutam. p. 68.

Omitti-

*) CIϽIϽCCLXIX.

**) Conf. *Nuova Raccolta d' opuſcoli ſcientifici e filologici*, Tomo terzo, in Venezia CIϽIϽCCLVII. p. 129. ſeqq.

***) v. comm. noſtr. Vol. IX. P. II. p. 322.

p. 69. Omittimus IVLIVM OBSEQVENTEM, EPIGENEM Byzantinum, VARRONEM, SCRIBONIVM LAR-
p. 70. GVM, PROCVLVM et ATHENAEVM, ſectae pneumaticorum auctorem, et progredimur ad ARETAEVM, qui, etſi minute quidem vix quicquam deſcripſit, nuſquam tamen, BOERHAAVIO auctore, admiſit errorem. Vtrumque venae cauae truncum bene deſcripſit, et renes glanduloſos eſſe, ſinusque habere, ex quibus vreteres oriantur, faſſus eſt. Senſum et motum a neruis repetiit; hepar et mammas glanduloſae eſſe naturae, ligamenta ſenſu carere, intimam vteri tunicam chorio adhaerere, icterum fieri ab obſtructis bilis viis cet. defendit. Ceterum pneumaticum eum fuiſſe CLERICVS ex loco de an-
p. 71. gina oſtendit. AGATHINVM, qui de pulſu commentatus eſt, nimis loquacem fuiſſe, GALENVS teſtatur.

SORANVS Epheſius, Methodicorum princeps, quem CAELIVS AVRELIANVS aut Latinum reddidit, aut imitatus eſt*), exiguum librum *περι μητρας και γυναικειου αιδοιου* reliquit, propter quem in anatomicorum catalogis meretur recenſeri. Ex humana anatome hunc librum vtique natum eſſe certum eſt, vterum quippe nuſquam bicornem facit SORANVS, et diſerte negat, eum, vt in animalibus, eſſe conuolutum; fundum etiam ipſi tribuit, qui in animalibus nullus eſt. Duas huius viſceris recenſet arterias, et totidem ex renalibus ortas venas, quas, prout etiam glanduloſos teſtes, maſculis diſſimiles, quae latam quodammodo baſin haberent cet. in hernioſa ſe, ait, femina vidiſſe. Alia anatomicae eius peritiae teſtimonia, quae HALLERVS laudat, ſilentio praeterimus.

PLINIVS,

*) Quo ſenſu hoc debeat intelligi, dictum eſt comm. noſtr. Vol. XX. P. IV. p. 705.

PLINIVS, nam MOSCHIONEM, ARCHIGENEM, p. 76.
alioſque cum Methodicos, tum Pneumaticos ſilentio inuoluendos cenſemus, annotationes paſſim anatomici et phyſiologici argumenti collegit, eaſque ſuis *de naturalium rerum hiſtoria* libris inſeruit, ita vt in ſeptimo de homine, eiuſque natiuitate, longaeuitate, morte atque ſepultura loquatur, et in octavo, nono, decimo atque vndecimo de quadrupedibus, aquatilibus, auibus, inſectis et animantium ſuccis, viſceribus, neruis, arteriis cet. admodum erudite exponat. Remedia ex animalibus deſumta aliis in libris pertractauit.

RVFVS EPHESIVS in omnibus fere medicae p. 78.
artis partibus eminuit, et de atra bile ita ſcripſiſſe fertur, vt GALENVS, parcus aliorum laudator, aliquid addi poſſe negaret. Percurrit HALLERVS tres eius libros *περι ονομασιας των του ανθρωπου μοριων*, qui anatomes pariter atque phyſiologiae auctorem peritum fuiſſe euincunt.

Venimus ad GALENI praeceptores, inter quos p. 81.
PELOPS, tribus *inſtitutionum Hippocraticarum* libris clarus, AELIANVS MECCIVS, NVMESIANVS, SATYRVS, ANTIGENES et STRATONICVS, SABINI diſcipulus, eminent. Ad anatomen amplificandam contribuiſſe quicquam videntur, NVMESIANVS quippe de muſculis erudite expoſuit, et AELIANVS voluminum anatomicorum a parente ſuo conſcriptorum compendium edidit, quod in pretio habitum fuiſſe ferunt. STRATONICVS ex matris ſemine feminam, ex patris marem generari docuit.

GALENVS ipſe practica potiſſimum inclaruit p. 82.
laude, multum tamen temporis eum ſimiis, aliiſque animalibus diſſecandis impendiſſe, multa inueniſſe, aliiſque rectius dixiſſe certum eſt, tametſi paſſim, quoties plurima luce opus erat, ſe, prolixo vſus ſermone, aliqua velut nebula inuoluit, veterumque

effata cum ſuis ita miſcet, vt, quae ad hominem ſpectent, quae ad beſtias, diſtingui omnino non poſſit. Ceterum ſollicite, inquit HALLERVS, GALENI opera legi, et recte VESALIVM reperi ſenſiſſe, qui varias ob rationes, velut propter vmbilicalia vaſa, quae in homine ſecundum veſicam ſuperſint, in animalibus non item, nulla humana funera a GALENO fuiſſe diſſecta aſſeruerit; nam ex innumeris locis apparet, eum de animalibus dicere, et quando locus eſt, vbi de ſuis inciſionibus loqui eum oportebat, nunquam cadauera humana ſuis manibus inciſa memorat, licet humana ſceleta, quae viderit, laudet. Ex operibus, quibus famam conſecutus eſt GALENVS, libros *de partium vſu; de anatomicis adminiſtrationibus; de oſſibus; de muſculorum motu; de fetuum formatione; de facultatibus naturalibus; de* HIPPOCRATIS *et* PLATONIS *decretis; de ſanguine vtrum natura in arteriis contineatur; de muſculorum, neruorum, venarum, arteriarumque diſſectione* cet. HALLERVS percenſet, iiſque deperdita et ſpuria eiuſdem ſcripta annectit, et quid anatomici atque phyſiologici ipſis inſit, laudat. Ceterum cum GALENO anatome intercidit, eumque ſolum ignaui illi nuperi exſcripſerunt; nam per decem amplius ſecula nulla occurrit certa vel vnici diſſecti corporis mentio.

p. 109. GALENI aeuo ALEXANDER APHRODISAEVS, Peripateticus, ſuis *de nutritione atque augmento*, et *de ſenſu et ſenſibili* ſcriptis laudem ſibi peperit, etſi plurima ex ARISTOTELE hauſerat. Vtrum eius *ιατϱικα αποϱηματα και φυσικα πϱοβληματα*, quibus phyſiologica varia placita continentur, genuina ſint, dubium eſt.

p. 111. *Εισαγωγη ανατομικη*, quam nuper cum TRILLERI, ſuiſque commentariis IOH. STEPH.

BER-

BERNARD recudendam curauit *), boni ordinis, manifeſto autem nuperioris aeui libellus eſt, in quo quippe venae et arteriae eo, qui nobis ſolemnis eſt, modo deſcriptae habeantur. Ceterum multa, prout tres cordis ventriculos, pulſum ab ebulliente humore factum, cet. ex ARISTOTELE Auctor anonymus deſumſit.

ORIBASIVS Sardianus, Imperatoris IVLIANI p. 113.
amicus, commodam, fere abſque ratiocinatione, epitomen eorum, quae per vaſta GALENI opera diſperſa habentur, exhibuit, illique ex RVFO de oſſibus quaedam obſeruata, et locum ex LYCO inſeruit. Quanquam vero codices iis, qui ad nos peruenerunt, vberiores, multosque auctores, quibus nos prorſus caremus, procul dubio ORIBASIVS habuit, haud tamen meminit HALLERVS, ſe multa in eius ſcriptis reperire, quae non alibi legantur. Ceterum anatomes omnem perſecutus eſt ambitum, viſceraque, oſſa, muſculos, neruos, vaſa cet. deſcripſit.

FL. VEGETII quatuor *de mulomedicina* libri p. 115.
anatomicarum annotationum pleni ſunt, et AETIVS p. 116.
de vteri ſtructura et fetus incrementis locutus eſt, aliaque paſſim anatomica refert, quamuis PHOTIVS atque FREINDIVS contrarium ſtatuerint.

THEOPHILVS, quem *Protoſpatharium* dixe p. 117.
runt, in ſuo opere περι της τȣ ανθρωπȣ κατασκευης multa habet iis, quae NEMESIVS in libro *de humana natura* protulit, pene ad verbum ſimilia, a GALENO autem nonnullis in locis, velut in nerui olfactorii deſcriptione, receſſit. Pulſum celerem a frequenti, et magnum a pleno ſeparauit. A IACOBO SYLVIO eum admodum ſpretum fuiſſe, notum eſt.

Circa decimum tertium ſeculum IOHANNES p. 121.
ZACHARIAE F. vulgo ACTVARIVS videtur vixiſſe, (STEPHANVM enim ATHENIENSEM, MELETIVM,

 THEO-

*) Lugdun. Batau. CIƆIƆCCXLIV, in forma octaua.

THEOPHILVM SIMOCATTAM, aliosque praeterimus), isque *de actionibus et affectibus animalis ſpiritus* librum ad IOSEPHVM RAZENDYLAM ſcripſit, qui IOHANNIS ALEXANDRINI ſtudio Latinus redditus eſt. Ceterum *de eiusdem animalis ſpiritus nutritione*, *de vrinis* et *de medendi methodo* libros reliquit, quibus phyſiologica paſſim atque anatomica placita immixta ſunt.

p. 126. Progredimur ad ſecundum bibliothecae Hallerianae anatomicae librum, cuius prima paragraphus *Talmud* inſcripta eſt; ſcilicet orientales gentes, quae lingua, moribusque in plerisque conſentiant, coniunctim HALLERVS pertractauit. Fecerunt autem Iudaei cum Arabibus miſti frequenter medicinam, Arabumque opera in ſuam linguam transtulerunt; ipſam incidendi artem haud videntur exercuiſſe, etſi verae apud eos anatomes reperiuntur veſtigia. Et ad Talmudicos quidem auctores quod ſpectat, ii varias phyſiologicas quaeſtiones ſubtiliter diſcuſſerunt; ſic, quae diuerſorum generum animalia fecundam inter ſe exerceant venerem, quae minime, haud imperite definiuerunt, neque fetus ſitum male expreſſerunt. Praeterea pubis oſſa in partu diduci; vtero et liene exſecto animal ſuperuiuere cet. monuerunt. De cauda equina, quae medullae ſpinalis finis eſt, pariter ſunt locuti.

ISAAC, qui SALOMONIS Arabiae regis filius dicitur, plura deſcripſit, quae inter CONSTANTINI AFRICANI opera occurrunt. Meminit HALLERVS opuſculi *de oculis*, libri *de ſtomacho*, et *compendii* libri GALENI, quem *Megatechni* vocant. Librum *de vrinis* CONSTANTINVS modo dictus vertit, et *de ſomno et viſione* tractatum SERAPION, MESVE

p. 127. cet. laudant. MOSES MAIMONIDES, magnus ille ſuae gentis praeceptor, anatomica aliqua et phyſiolo-

ſiologica in *Aphoriſmis*, Venet. CIↃCCCCXCVII editis, exhibuit.

Inter antiquiſſimos Arabes eſt HONAIN BEN ISAAC, qui idem videtur eſſe IOHANNITIVS. Seculo vixit nono, multisque operibus, velut *Introductione ad artem paruam* GALENI, libris *de oculis*, *de memoria*, *de obliuione cet.* inclaruit. Anatomen adeo perite eum expoſuiſſe ferunt, vt GABRIEL F. BAKTISCHVA, iam in ſumma auctoritate conſtitutus, magno eum cum ſtudio audiret.

ABVBECKER MOHAMMED EBN ZACHARIA EL RASI, princeps fere medicorum Arabum, in anatomicis vix quicquam proprii habet, quippe a cadaverum cum humanorum, tum animalium conſortio Muhammedani medici lege arcebantur; hinc Graeca tantum repetierunt, et parum omnino conſervarunt, quod in ſuperſtitibus eius linguae codicibus non reperiatur. Inter ſelecta RAZEI opera eius ad ALMANZOREM liber, in quo Galenica anatome ineſt, huc ſpectat. p. 129.

AVICENNA ſiue ABV ALI HOVSSAIN BEN ABDALLAH BEN SINA, AVERRHOES ſiue EBN EL VVELID EBN RVSCHIT, ABVLCASEM EL CALAF EBN ABBAS EL ZAHARAVI, qui modo ALBVCASIS, modo ALSAHARAVIVS dicitur, AVENZOAR, aliique Arabes perinde vt RAZEVS nihil proprii laboris ad anatomen attulerunt, etſi eorum operibus varia de partium ſtructura atque vſu placita, mox ex GALENO, mox ex ARISTOTELE, aliisque deſumta, immixta deprehenduntur. Hinc iis recenſendis non immorabimur, ſed ad Chinenſes accedimus, quos potiſſimum in pulſibus explicandis admodum verſatos fuiſſe conſtat. Edidit ANDREAS CLEYER *medicinae Sinicae ſpecimen* *), indigeſtum opus, in quo varii de pulſibus tractatus inſunt. Singulos aucto-

p. 130. p. 137.

*) Francofurti CIↃIↃCLXXXII. 4.

auctores Chinenſes, quos HALLERVS laudat, non commemorandos putamus.

p. 139. Primus Auctor, cuius in tertio libro Noſter mentionem facit, CONSTANTINVS AFRICANVS eſt, qui in Coenobio Caſſinenſi decimo ſeculo obiit. Libros *de animae et ſpiritus diſcrimine*, *de humana natura et principalibus humani corporis membris* cet. reliquit, primusque fuit Europaeorum, qui Arabum doctrinam in Occidentem inferret. Ceterum multa eius etiam in *Salernitanam ſcholam* merita ſunt.

p. 140. Renaſcentibus autem hoc aeuo litteris FRIDERICVS II. Imperator potiſſimum proſpexit, ipſamque adiuuit anatomen; legibus enim ſanxit, vt certe in Sicilia omni quinquennio ſolemnis anatomia humani funeris inſtitueretur, ad quam medici atque chirurgi ex vniuerſo regno conuocarentur; et alia lege prohibuit, quo minus anatomes imperiti ad chirurgiam exercendam admitterentur. Occurſum itaque eſt hac ratione Pontificis BONIFACII decreto, quo anatome proſcripta fuit, cum clerici, quibus funerum humanorum diſſectiones dedecori fore putatum eſt, medicam artem exercerent. Ex ſcriptoribus, qui circa haec tempora floruerunt, notamus MICHAELEM SCOTVM, libro *phyſiognomiae*, et opuſculo *de ſecretis naturae* clarum factum.

p. 141. PETRVS AEGIDIVS, ſiue AEGIDIVS *Corbolienſis*, monachus, Salernitanae ſcholae diſcipulus et PHILIPPI AVGVSTI medicus, ſub ſeculi duodecimi finem *de vrinis et pulſibus carmina* ſcripſit, quae ſemiotici potiſſimum argumenti eſſe, HALLERVS ſuſpicatur.

p. 143. ALBERTVS MAGNVS variis in ſcriptis anatomen atque phyſiologiam paſſim attigit, et PETRVS DE APONO, medicinae apud Taruiſinos Profeſſor, *conciliatorem controuerſiarum, quae inter philoſophos*

et

et medicos verſantur, ſcripſit, in quo de phyſiologicis etiam rebus diſputatum eſt.

Bononiae primam humanam anatomen MVNDINVS, ex gente DE' LVZZI, adminiſtrauit, librumque reliquit, cuius aliqua pars anatomica eſt, et de abdominis muſculis, viſceribus imi, medii, et ſupremi ventris, cet. exponit. Tanta huius libri, qui ex humanorum funerum ſectione eſſet natus, fuit auctoritas, vt in Italia paſſim legibus ſanciretur, ne in alium librum medici de anatome praelegerent. p. 146.

NICOLAVS NICCOLVS, qui exeunte decimo quarto ſeculo vixit, in conſcribendis ſuis *ſeptem medicinalibus ſermonibus* Arabibus vſus eſt, neque ſua experimenta interpoſuit, et MAGNVS HVNDTIVS, Parthenopolitanus, *Anthropologia de hominis dignitate, natura* cet. Lipſiae CIƆIƆI excuſo, icones addidit, quae admodum rudes, et ad deſcriptionem fictae ſunt. Ceterum hae ipſae icones vel propterea excuſandae ſunt, quod HVNDTIVS, PLATNERO auctore *), primus fuit, qui partium ſtructuram hoc modo illuſtrari ſtuderet. p. 148. p. 153.

Anatomiam corporis humani, quam GABRIEL DE ZERBIS, Patauinus Profeſſor, Venetiis CIƆIƆII in folio edidit, vaſtum opus eſſe, characteribusque incommodis impreſſum, et ſermone ita inconcinno conſcriptum fatetur HALLERVS, vt laborem legendi nunquam potuerit ſuſtinere. Vtilia paſſim in hoc opere detexit MORGAGNVS.

In quarto libro, qui, prout diximus, *de anatomes reſtauratoribus* agit, ALEXANDER BENEDICTVS, in pago *Legnago* agri Veronenſis natus, primus eſt diſſector, cuius merita HALLERVS laudat, etſi in ſuo opere, quod *anatomicen, ſiue hiſtoriam corporis humani* inſcripſit, parum habet praeter ea, quae ex p. 166.

 GALE-

*) *De* MAGNO HVNDT, *tabularum anatomicarum, vt videtur, auctore*, Lipſiae, CIƆIƆCCXXXIV. 4.

GALENO deſumſit. Ceterum felicem obſeruauit
puris in pleuriticis per anum et vrinam effuſionem,
et biliarium calculum primus videtur deſcripſiſſe.
p. 167. IACOBVS BERENGARIVS, Carpenſis, quem
CARPVM vulgo dicunt, Profeſſor Bononienſis, clini-
cus et anatomicus celeberrimus fuit, primusque, ex
BARTHOLOMAEI EVSTACHII, CARTESII, alio-
rumque teſtimonio, humanae anatomes inſtaura-
tor, qui ſua manu centum humana corpora diſſe-
cuerit. Duo eius ſunt opera, quorum alterum
*Commentariorum cum ampliſſimis additionibus ſupra
anatomiam* MVNDINI, *cum textu eius in priſtinum ni-
torem redacto*, Bonon. CIƆIƆXXI. 4. titulo gaudet,
alterum *Iſagogae breues perlucidae et vberrimae in
anatomiam humani corporis ad ſuorum ſcholaſticorum
preces in lucem editae*, ibid. CIƆIƆXXII, in eadem
foliorum forma, inſcriptum eſt. Vtrumque per-
multis propriis, accuratisque ex humanorum fune-
rum inſpectione natis obſeruationibus abundat, le-
p. 170. ctuque digniſſimum eſt. MATTHAEVS CVRTIVS,
Papienſis, BERENGARII collega, in eundem com-
mentatus eſt MVNDINVM, et libros *de partu ſepti-
meſtri, et de muſculis, eorumque partibus, motibus et
diſſectione* reliquit.
p. 173. NICOLAVS MASSA, Venetus, humana corpo-
p. 174. ra frequenter diſſecuit, GVINTHERVM autem An-
dernacenſem humanae anatomiae nunquam dediſſe
operam, VESALIVS, eius diſcipulus, reliquit. Noti
ſunt GVINTHERI *anatomicarum inſtitutionum* libri,
in quibus GALENI compendium ineſt.

Praeterimus EICHMANNVM, DRYANDRVM
vulgo dictum, IACOBVM SYLVIVM, IOHANNEM
FERNELIVM, IOHANNEM MANARDVM, aliosque
p. 180. et properamus ad ANDREAM VESALIVM, qui, cum
ſummo in anatomen ferretur ardore, per omne ge-
nus periculi, et per ferrum fere, atque ignes funera

ſibi

ſibi comparauit. Anno poſt milleſimum quingenteſimum triceſimo octauo GVINTHERI ediderat inſtitutiones, anno vero triceſimo nono, cum viceſimum quintum annum ageret, primum librum anatomici argumenti, ſcilicet *epiſtolam*, in qua *axillarem dextri cubiti venam in laterali dolore ſecandam eſſe* praecepit, imprimendum curauit, et annos nondum plenos natus viginti et nouem libros ſeptem *de humani corporis fabrica*, immortale opus, et quo priora omnia, quae ante eum ſcripta fuerant, pene ſuperuacua fecit, edidit. Hinc mirum videri non poteſt, VESALIVM in prima ſtatim iuuentute tantam eſſe conſecutum famam, vt ab anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ad quadrageſimum quartum anatomen Patauii docere iuberetur; inde Bononiae, et demum Piſis eo cum plauſu publice diſſecuit, vt celebres alioquin anatomici taciti de eius demonſtrationibus diſcederent. Exilii, in quod VESALIVS miſſus eſt, ea cauſa, quae vulgo recepta eſt, HALLERO veroſimilis videtur. Hominem enim morbo extinctum praecipiti ſtudio incidit, vt cor miſeri ſub manibus et ſcalpello palpitaret; tanti criminis reus factus PHILIPPI II. interceſſione obtinuit, vt religioſa peregrinatione culpam redimeret. Mortuus eſt in Zacyntho inſula, cum patriam repetere ſibi propoſuerat, quinquagenario non maior.

IOH. BAPTISTA CANANVS, Ferrarienſis, IVLII III. Archiater et FALLOPII contemporaneus, diligens fuit inciſor, librumque edidit *Muſculorum humani corporis picturata diſſectio* inſcriptum *), cuius quatuor tantum plena exempla reperiri ferunt. Muſculi in ſyſtemate primum, deinde ſinguli depicti ſunt, vt tamen oſſa ſimul in conſpectum veniant. p. 192.

 Prin-

*) ſine anni, locique commemoratione.

p. 194. Princeps I. PHIL. INGRASSIAE, celebris Medici et anatomes apud Neapolitanos Profeſſoris, opus eſt, quod ſub *commentariorum in* GALENI *librum de oſſibus* titulo Panormi CIƆIƆCIV in folio prodiit. Commentarium hunc fuſiſſimum eſſe fatetur HALLERVS, cum ad minima quaeque Auctor ſe demiſerit. Icones additae ex VESALIO deſum-
p. 195. tae ſunt. CAROLI STEPHANI tres *de diſſectione partium corporis humani* libros ex autopſia vnice natos eſſe ipſe eorundem auctor perhibet, et HALLERVS eos minime contemnendos iudicat.

p. 197. AMBROSIVS PARÉ, Chirurgus Regius, anatomes haud imperitus fuit, quippe etiam in medicis ſcholis cum THEODORICO DE HERY chirurgo funeribus diſſecandis incubuit. Operum eius, quae coniunctim gallice Pariſ. CIƆIƆLXXV prodierunt, ſecundus, tertius, quartus, et quintus liber anatomici ſunt argumenti, figuras tamen, et omnes fere partium deſcriptiones ex VESALIO deſumtas, iisque nonnunquam bonas et proprias obſeruationes adſperſas eſſe, HALLERVS reperit.

p. 205. GVILIELMVS RONDELETIVS, Facultatis medicae Monſpelienſis Profeſſor et Cancellarius, vel propterea recenſendus eſt, quod Monſpelienſis Academia ipſi anatomicum theatrum potiſſimum debet. Ceterum eum propria manu adeo cupide in diſſecando vſum eſſe ferunt, vt vel ſuum filium incidere ſuſtineret. *De piſcibus marinis, amphibiis, zoophytis, teſtaceis*, cet. libros ſcripſit, quibus aliqua de humana anatome immixta ſunt.

p. 213. Inter VESALII diſcipulos REALDVS COLVMBVS, Cremonenſis, eminuit, qui per quindecim annos Pataui anatomen profeſſus eſt, tum etiam Piſis et Romae eam praelegit, vt quouis anno quatuordecim humana funera, et permulta animantia diſſecaret. Quindecim *de re anatomica* reliquit libros,

in quorum ſeptimo ſanguinis per pulmones circuitum veriſſime deſcripſit, et per arteriam venoſam (venam pulmonalem) ſanguinem cum aëre ad ſiniſtrum ventriculum duci docuit. Ita etiam ſanguinem in ea vena vidit, cum viua animalia incideret, eumque ſolum ſanguinis ductum cordis valuulas permittere obſeruauit. Alia COLVMBI inuenta ſilentio praeterimus. IOHANNES VALVERDE, Hi- p. 215.
ſpanus, COLVMBI diſcipulus, *hiſtoriam ſtructurae humani corporis* patrio ſermone conſcriptam edidit, quae vere tota ex VESALIO transſcripta eſt; nam humana funera ipſe non diſſecuit.

Quintus Hallerianae Bibliothecae liber *Italica* p. 218.
ſchola inſcriptus eſt, quippe quae a renatis litteris vniuerſam Europam per ſeſqui ſeculum erudiuerit, ita vt pauciſſimi eſſent inciſores, qui ex ea haud prodiiſſent. Orditur HALLERVS hanc epocham a GABRIELE FALLOPIO, qui ab anno ſeculi decimi ſexti quadrageſimo octauo Ferrariae, deinde Piſis, ab anno quinquageſimo primo autem Patauii ad mortem vſque, quae quadrageſimo aetatis, et ſexageſimo tertio ſeculi anno euenit, anatomen profeſſus eſt. Ceterum FALLOPIVS primus inter mortales fetuum oſſa contemplatus eſt, eiusque *anatomicae obſeruationes*, reliquaque opera permultis, iisque praeclaris animaduerſionibus abundant. Erga VESALIVM, cuius potiſſimum menda correxit, ſumma vſus eſt reuerentia.

De BARTHOLOMAEO EVSTACHIO, Anatomi- p. 223
co et Profeſſore Romano, HALLERVS hoc fert iudicium, eum omnium inciſorum ad noſtra vſque tempora maximum in ſua arte ambitum ſuis laboribus complexum eſſe, eumque omnium plurima inuenta, plurimasque emendationes ad perficiendam artem attuliſſe. In libello *de renibus* primum repetitae anatomes, comparatarumque diuerſarum in diuer-

diuerſis cadaueribus fabricarum corporis humani, et varietatum, exemplum exſtat, pluribusque aliis cum hic, tum reliqui Euſtachiani libri nouis inuentis abundant, ita vt enumerari omnino non poſſint. ALBINI in tabulas EVSTACHII ſtudium notum eſt.

p. 230. IVLIVS CAESAR ARANTIVS, Bononienſis, VESALII diſcipulus et in patria vrbe Profeſſor, perutilem *de humano fetu*, Rom. CIƆIƆLXIV libellum, et *anatomicas obſeruationes*, Venet. CIƆIƆLXXXVII reliquit, in quibus multa bona, eo certe ſeculo non-
p. 232. dum publici iuris facta, inſunt. In LEONARDI BOTALLI, Aſtenſis, FALLOPII diſcipuli *commentariolis* renum duorum connatorum cum vaſis accurata anatome deprehenditur. Foramen ouale, quod pro re noua BOTALLVS habuit, GALENO haud fuit ignotum.

p. 234. VOLCHERVS COITER, Groningenſis, in Italia vixit, et cum VLYSSE ALDROVANDO animantia, tum vero in aula, quam ipſi CAESAR ODONVS permiſerat, humana etiam corpora diſſecuit. Multum in ſceletis fabricandis verſatus eſt, ediditque varia opera, in quibus cum durarum, tum mollium hominis et variorum animalium partium deſcriptiones atque icones continentur. Norimbergae, cum medicus huius vrbis factus eſſet, diem ſuum obiit.

p. 236. VIDI VIDII ſeptem *anatomes corporis humani* libris, qui tertium *artis medicinalis* Eiusdem tomum implent, icones Veſalianas et FALLOPII inuenta ineſſe, quibus nonnullae VIDIO propriae figurae immixtae ſint, HALLERVS teſtatur.

p. 241. Nouam cerebri adminiſtrationem CONSTANTIVS VAROLIVS, Bononienſis et anatomes in patria Academia Profeſſor, aggreſſus eſt, eamque in *epiſtola* ad HIERONYMVM MERCVRIALEM *de neruis opticis, nonnullisque aliis praeter communem opinionem in humano capite obſeruatis*, Pataui CIƆIƆLXXIII

deſcri-

deſcripſit. Scilicet a baſi incepit cerebri diſſectio-
nem; icones, quas addidit, rudes ſunt, propriorum
tamen laborum fructus.

IOH. BAPT. CARCANVS, Ticinenſis Profeſſor p. 245.
et FALLOPII diſcipulus, duobus potiſſimum libris
inclaruit, quorum prior *de vaſorum cordis in fetu*
vnione, alter *de muſculis palpebrarum atque oculorum*
motibus deſeruientibus exponit. Accurate egit CAR-
CANVS de ouali foramine, et arterioſo ductu, erro-
resque VESALII, ARANTII et FALLOPII correxit,
quorum iſte foramen ouale omiſerat, ille canalem
arterioſum in foramen mutauerat. Ceterum lacry-
malia puncta deſcripſit, et innominatam glandulam,
quam FALLOPIVS pro muſculo habuerat, humo-
rem generare docuit.

Hiſtoria plerarumque corporis humani partium, p. 251.
quam SALOMON ALBERTI, Wittebergenſis Profeſ-
ſor edidit *), breue eſt anatomicum compendium
cum Veſalianis iconibus, in quo, praeter alia, valuu-
lae coli deſcriptio, cochleae figura et renales papil-
lae cum poris et infundibulis continentur. In eius-
dem *de lacrymis* diſputatione varia etiam digna lectu
inſunt.

FELIX PLATERVS anatomen a prima iuuen- p. 255.
tute amauit, eamque apud laniones eſt ſectatus.
Deſcriptiones partium corporis humani et icones,
quas edidit, ex VESALIO fere atque COITERO de-
ſumtae ſunt, paſſim tamen multa minutius exponi,
nouisque iconibus illuſtrari curauit. De CASPARO p. 260.
BAVHINO idem fere iudicium ferendum eſt; nam
ſi a valuulae coli deſcriptione diſceſſeris, vix quic-
quam in eius *de fabrica corporis humani* libris repe-
ries, quod non ex VESALIO, FALLOPIO, COLVMBO
cet. deſumtum ſit. *Theatrum* eius *anatomicum*,
Francof.

*) Wittebergae CIƆIƆLXXXV. 8.

Francof. CIƆIƆCXXI collectas fere omnium de anatomica re ſcriptorum ſententias complectitur.

p. 281. VLYSSIS ALDROVANDI, Medici et Profeſſoris Bononienſis, in zootomiam et omnem omnino naturalem hiſtoriam merita admodum luculenta ſunt, permultisque nouis obſeruationibus eius opera abundant. Inter omnia autem ſcripta ab ALDROVANDO relicta HALLERO *ornithologia* elaboratius opus videtur, etſi antiquae eruditionis farraginem ſubinde admixtam nemo facile deſideret. In libris *de quadrupedibus*, *piſcibus*, *cetis*, *inſectis*, cet.
p. 284. parum anatomici ineſt. In ipſa humanorum funerum diſſectione ſe hoc tempore, praeter VAROLIVM, VLMVM, aliosque, HIPPOLYTVS BOSCVS, Ferrarienſis, etiam exercuit, et in ſuis octo *de anatomica facultate* lectionibus multas morboſae potiſſimum fabricae obſeruationes cognitas reddidit, quas HALLERVS haudquaquam inutiles cenſet.

p. 285. HIERONYMVS FABRICIVS, in oppido *Aquapendente* natus, qui Patauii anatomiam docuit, eius-
p. 289. que ſucceſſor IVLIVS CASSERIVS multis, iisque praeclaris de ſtructura et vſu partium corporis humani libris inclaruerunt. CASSERIVS tamen anatomica laude praeceptorem ſuperauit, in theoria vero minus felix, et in deſcriptionibus nimis parcus fuit, ita vt maior eius a tabulis laus, quam a ſermone repeti debeat.

p. 301. IOHANNES RIOLANVS, filius, (nam pater incidendis cadaueribus non ipſe ſtuduit), doctus vir, et anatomicorum, ſe ipſo fatente, princeps, vltra dimidium ſeculum Pariſinus Profeſſor fuit, inuentisque variis medicam artem auxit. Operibus eius anatomicis, quae GVIDO PATINVS edidit, integra ineſt anatome cum ex aliorum, tum ex propriis obſeruatis nata. HARVEIVM, BAVHINVM, SPIGE-

LIVM

LIVM et pleroſque ſui ſeculi anatomicos eum eſſe variis in ſcriptis aggreſſum notiſſimum eſt.

IOH. RVD. SALZMANNVS anatomen per multos annos in Argentoratenſi Academia docuit, varioſque reliquit libros, inter quos *Obſeruata anatomica hactenus inedita*, Amſtelod. CIƆIƆCLXIX potiſſimum eminent, quippe in quibus hiſtoria inciſionum cadauerum morboſorum eo ſolo fine, vt nonnulla melius innoteſcerent, ſuſceptarum continetur. ADRIANI SPIGELII, Bruxellenſis, Anatomes apud Patauinos per decem annos Profeſſoris, libri *de humani corporis fabrica*, qui LIBERALI CREMA curante, Venet. CIƆIƆCXXVII prodierunt, ex VESALIO potiſſimum hauſti ſunt; nam parum proprii Auctor addidit, ipſeque lobulus, quem Spigelianum vocant, priſcis nequaquam ignotus fuit. Dictionis puritate et practicis annotationibus ſe potiſſimum commendant. p. 339. p. 357.

Primus auctor, cuius in ſexto libro HALLERVS mentionem iniicit, CASPAR ASELLIVS eſt, qui Papiae anatomen docuit, et propter lactea meſenterii vaſa, quae inuenit, famam ſibi potiſſimum confecit. Etenim cum in viuis animalibus chyli iter inueſtigaret, in haec ipſa vaſa ab HEROPHILI et ERASISTRATI temporibus a nemine repetita incidit, eaque ab inteſtinis ad hepar, vt putabat, eſt perſecutus. Deſcriptio eorundem Mediolan. CIƆIƆCXXVII, mortuo iam auctore, prodiit, eaque docta eſt, iconibusque tribus coloribus diſtinctis illuſtrata. p. 362.

In Anglia, in qua fere nulla hactenus anatome fuerat, nouum circa haec tempora artis lumen extitit, cuius nomen, inquit HALLERVS, ab ipſo retro HIPPOCRATE in medicina ſecundum eſt. Scilicet WILHELMVS HARVEY, HIER. FABRICII diſcipulus et Patauinus Doctor, excitatus, vt videtur, p. 363.

nupero

nupero valuularum venoſarum inuento, et per ſua in viuis animalibus inſtituta tentamina confirmatus, ab anno poſt milleſimum ſexcenteſimum decimo ſexto ad decimum octauum Londini, cum lector eſſet anatomes, de ſanguinis circuitu praelegit, illuſtre tamen inuentum diu preſſit, et anno demum ſeculi viceſimo octauo Francofurti *Exercitationem anatomicam de cordis et ſanguinis in animalibus motu* edidit, in qua cordis, arteriarum et auricularum motum, qualem in viuis animalibus viderat, deſcribit, et veram ſucceſſionem motus in dextra auricula, ventriculo eius lateris, et auricula atque ventriculo ſiniſtri lateris, cordis in motu pertinaciam, auriculae dextrae priuilegium cet. depingit. Deinde de minori, maiorique ſanguinis circuitu diſputat, eumque idoneis argumentis ſtabilit. Hoc ipſo autem nouo inuento quo magis GALENI theoriae, venarumque delectus euertebantur, eo grauiores HARVEYO mouebantur lites, quippe alii rationes et experimenta inuentori oppoſuerunt, alii haud nouum hunc circuitum eſſe demonſtrare conati ſunt, quare repetitis eum experimentis HARVEYVS extra omne dubium poſuit. Ceterum, etſi negari nequit, minorem circuitum multis ante HARVEYVM innotuiſſe, et maioris tenue veſtigium apud CAESALPINVM reperiri; primus tamen HARVEYVS fuit, qui idoneis experimentis et rationibus hunc circuitum demonſtraret. De reliquis HARVEYI ſcriptis, prout etiam de libris ipſi oppoſitis ſilemus.

p. 393. IOH. VESLINGII *Syntagma anatomicum* breue, et puriſſime ſcriptum anatomes compendium eſt, maius autem pretium eiusdem *Obſeruationibus anatomicis et epiſtolis medicis*, quas THOM. BARTHOLINVS Hafniae CIↃIↃCLXIV edidit, ſtatui debet, quippe quae permultis propriis inuentis refertae ſint.

IOH.

IOH. GEORG. WIRSVNG, Bauarus, VESLINGII diſcipulus, anno ſeculi decimi ſexti quadrageſimo ſecundo pancreaticum ductum, quem ipſe primum MAVRITIVS HOFMANNVS, Altorfinus poſtmodum Profeſſor, in gallo Indico demonſtrauerat, in homine inuenit. Scriptis haud inclaruit, ſed tantum *figuram ductus cuiusdam cum multiplicibus ſuis ramulis nouiter in pancreate inuentis in diuerſis corporibus humanis*, Patauii ſculpendam curauit. p. 415.

IOH. PECQVETVS ASELLII errorem, poſt EVSTACHII aliquas voces, (nam VESLINGII labores nondum apparuerant), emendauit, et lactea vaſa non ad hepar, ſed ad veſiculam lumbis impoſitam ire, et ex ea per totam pectoris longitudinem in ſubclauia vaſa aſcendere docuit. Opus, in quo hoc chyli iter PECQVETVS deſcripſit, inter praecipua ſeculi decora pertinet. p. 442.

OLAVS RVDBECK cum permulta viua animalia incideret, et annis quadrageſimo nono et quinquageſimo poſt milleſimum ſexcenteſimum in vaſis lacteis inquirendis laboraret, in lymphatica hepatis vaſa, quae aquoſa dixit, incidit, et paulo poſt thoracicum ductum, chylique veſiculam detexit, et vinculis iniectis ipſius chyli iter definiuit. Ceterum in aliis etiam humani corporis partibus lymphatica vaſa primus demonſtrauit, et THOMAE BARTHOLINO, qui pariter his vaſis detegendis incubuit, ſuaque obſeruata variis in libellis deſcripſit, obiecit, nihil eum abſque LYSERO, Lipſienſi, qui ipſi fuerit a manu, inueniſſe. Id exploratum eſt, LYSERVM induſtrium fuiſſe inciſorem, eumque ſceletis parandis, et oſſibus, muſculisque mundandis ſedulo dediſſe operam. p. 447. p. 450.

Hepatis ſtructuram et vſum FRANCISCVS GLISSONIVS, Cantabrigienſis Profeſſor, ſubtili ratione p. 452.

tione perſecutus eſt, ſuaque inuenta Londini CIↃIↃCLIV. publici iuris fecit. In altero *de ventriculo et inteſtinis* cet. opere fibrae naturam omnium primus conſiderauit, ſimulque de irritabilitate locutus eſt, quam omnibus fere humani corporis partibus cum ſolidis, tum fluidis tribuit. Cordis motum ab hac ipſa fibrarum virtute primus repetiit, cet.

p. 459. LVDOVICVS DE BILS ſua funerum condiendorum arte magnam famam erat conſecutus, eam tamen, euulgato arcano, rurſus amiſit. Scilicet cum ſalinis liquoribus, nec balſamis BILSIVS fuiſſet vſus, mumiae breui tempore computruerunt, totaque res in fabulam euanuit. Incruenta, quam dixit, anatome aut iniectis vinculis, aut impulſo in venas coagulanti liquori adſcripta eſt.

p. 464. Glandulas corporis humani ex ordine a capite ad calcem, quod aiunt, enarrandas THOMAS WHARTONVS ſuſcepit, earumque externum habitum, pondus, excretorios ductus, ſuccum ſecretum cet. recenſuit, ſolis tamen fere vbique brutorum animalium corporibus vſus. Ductum ad linguae latera, veteribus notiſſimum, a nuperis vero per centum et triginta annos neglectum, ſuſcitauit, eique ſuum nomen impoſuit.

p. 486. MARCELLVS MALPIGHIVS, Meſſanenſis primum, deinde Bononienſis Profeſſor et tandem Archiater pontificius, ruri fere inter anatomicos labores, et animalium potiſſimum inciſiones vixit. Ad indagandam fabricam variis nouis artificiis vſus eſt, primusque fuit, qui ſubtiliorem viſcerum ſtructuram per experimenta eruere ſtuderet, etſi glanduloſam fabricam procul dubio nimis late extendit, nec
p. 491. vbique ab erroribus ſibi cauit. NICOLAI STENONII, Dani, ſtudio glandularum, vaſorum, muſculorum, cet. anatomiae permultum lucis affuſum eſt.

IOHAN-

IOHANNIS BOHNII, olim noſtri, *Circulum ana-tomico-phyſiologicum* multis laudibus HALLERVS effert, eumque vel propterea lectu dignum eſſe dicit, quod auctor omnibus illius aeui hypotheſibus diluendis ſtuduit. Ceterum, quae de forenſi medicina ſcripſit, ea pariter permultis nouis obſeruatis abundant. p. 497.

REGNERVS DE GRAAF diſquirendae virilium et muliebrium partium generationi inſeruientium ſtructurae potiſſimum incubuit, ſuosque labores in duobus tractatibus deſcripſit, qui et a figuris, et ab ipſa deſcriptione multum habent commendationis. In *defenſione partium genitalium*, Leid. CIↃIↃCLXXIII conqueritur GRAAFIVS de SWAMMERDAMIO, qui, cum de iisdem partibus ſcripſiſſet, paſſim inuentionis gloriam ipſi dubiam reddiderat. p. 523.

Amſtelodami circa haec tempora FRIDERICVS RVYSCHIVS, Haganus, anatomen ſummo cum ſtudio excoluit, et replendis potiſſimum humani corporis vaſis, condiendisque viſceribus et aliis, quas artificioſe repleuerat, partibus operam dedit; hinc, cum ſuſceptos labores felices comitarentur euentus, multa eius in hanc artem merita ſunt. Primus eius labor, isque profecto ex praeſtantiſſimis, eſt *Dilucidatio valuularum in vaſis lymphaticis atque lacteis, cui acceſſerunt obſeruationes anatomicae rariores*, Haag. CIↃIↃCLXV, quem nonageſimo primo ſeculi anno *Centuria obſeruationum anatomico-chirurgicarum*, et paulo poſt *Theſauri*, *Aduerſaria*, aliaque ſcripta exceperunt. Nouorum obſeruatorum, quibus haec opera abundant, numerus profecto ingens eſt, ita vt quiuis non poſſit non RVYSCHII ſummam induſtriam laudare. BOERHAAVIVM pro fundamento theoriae ſuae vaſculoſae Ruyſchiana experimenta adhibuiſſe, notum eſt. IOH. SWAMMERDAMIVS, cui RVYSCHIVS replendorum va- p. 529. p. 540

 ſorum

ſorum artem debuit, inſecta potiſſimum ſibi ſumſit contemplanda, in iisque diſſecandis mira vſus eſt ſollertia. Ceterum *de reſpiratione*, *vſuque pulmonum*, et *de vteri muliebris fabrica* erudite commentatus eſt.

p. 596. JOH. CONRAD. BRVNNER pauca, ſed eximia ſpecimina edidit, in quibus de pituitariae glandulae, pancreatis, et detectarum in duodeno inteſtino
p. 604. glandularum fabrica et vſu diſputauit, et PEYERVS variis opuſculis, potiſſimum tamen ſuo muciferarum in inteſtinis glandularum examine inclaruit.

p. 606. ANTONIVS VAN LEEVWENHOEK etſi anatomes, aliarumque artium fere imperitus fuit, tamen cum vitris diligenter vteretur, multa detexit, quae accedente doctorum virorum induſtria haud mediocrem ipſi famam conciliarunt. Sic de animalculis infuſoriis, de ſanguineis globulis, de vermiculis ſpermaticis variorum animalium, de cerebri fabrica, de cryſtallina variorum animalium lente cet. obſeruata laude digniſſima cognita reddidit.

p. 649. AVGVSTVS QVIRINVS RIVINVS, Medici Ordinis in noſtra vniuerſitate quondam Decanus, inter inciſores deſcriptione ductuum ſublingualis glandulae, quam velut theſin diſſertationi *de dyſpepſia* adiunxit, potiſſimum inclaruit. Ceterum *de viſu*, *bile*, *ſanguificatione*, *omento* cet. varios academicos, quos vocant, libellos reliquit.

Lib. VII. Cerebri, neruorumque ſtructuram, quam hactenus fere in animalium corporibus perſcrutati
p. 710. diſſectores erant, RAYMVNDVS VIEVSSENS, Monſpelienſis Profeſſor, in humanis funeribus eſt perſecutus, de eaque in libro, quem *Neurographiam vniuerſalem* inſcripſit, ita egit, vt non poſſit non laudibus cumulari. Cerebrum quippe multo, quam priores omnes ſcriptores, accuratius incidit, potiſſimum autem vniuerſi corporis neruos diligenter deſcri-

deſcripſit, et magnas in tabulas diſpoſitos curauit depingi. De muniis partium, de internis ſenſibus, de cordis motu cet. hypotheſes paſſim admiſcuit.

SAMVEL COLLINS comparatam potiſſimum anatomen ſuis, amicorumque, inprimis EDWARDI TYSONIS, laboribus ſibi illuſtrandam ſumſit, et licet in humana anatome parcus ſit, animalium tamen diſſectiones vberrimas tradidit, ita vt nemo de iis COLLINO melius meruerit. Ceterum multis etiam phyſiologicis et pathologicis placitis eius opus diues eſt. p. 715.

IOH. GODOFREDI DE BERGER, Wittebergenſis Profeſſoris, *Humana Phyſiologia* elegantiſſimum eſt compendium, in quo Auctor non quidem aliqua noua deſcripſit, ſed potius inuentis atque experimentis ſaniſſimo cum iudicio vſus eſt, et fere ſemper, prout in reſpirationis mechaniſmo, in bilis itinere cet. veriorem ſententiam ſuam fecit. RVYSCHII magnus fuit admirator. p. 720.

In oſſium fabrica rimanda CLOPTON HAVERS multum verſatus eſt, variaque addidit iis, quae antea de harum partium natura, geneſi et nutritione innotuerant, et ALEXIVS LITTRE, cuius ſcripta potiſſimum *Commentariis Academiae ſcientiarum Pariſinae* inſerta ſunt, de partibus genitalibus virilibus, de humano fetu, de ſubmerſis cet. erudite diſputauit, multaque alia notatu digna obſeruata reliquit. p. 747. p. 750.

Accedimus ad HERMANNVM BOERHAAVIVM, communem Europae ſub initia huius ſeculi praeceptorem, qui etſi inter inciſores haud eminuit, phyſiologiam tamen emendauit, omnemque omnino medicinam per calidorum medicamentorum et alcalinorum amorem corruptam ita reſtituit, vt cunctorum mereretur aſſenſum. Notiſſimae eius *Medicae inſtitutiones* ſunt, ſuper quibus fere in omni- p. 756.

bus vniuerſae Europae ſcholis multos per annos praelectum eſt; notiſſima pariter eius de nonnullis viui hominis actionibus placita, quae Ruyſchianis, Malpighianis cet. inuentis ſuperſtruxit; hinc, vt in iis recenſendis prolixi ſimus, non opus eſt. MALPIGHII de glanduloſa viſcerum fabrica ſententiam potiſſimum in *Epiſtola de fabrica glandularum in corpore humano ad* F. RVYSCHIVM, Lugd. Bat. CIϽIϽCCXXII argumentis a morbis, tuberculis, hydatidibus, cet. repetitis BOERHAAVIVS tuitus eſt atque ornauit, Ruyſchiana vero dubia diluere ſtuduit. Reliqua eius opera ſilentio praeterimus.

p. 768. WILHELMVS COWPER in incidendis corporibus, vaſisque iniiciendis admodum fuit exercitatus, variaque ſplendida opera reliquit, in quibus multa induſtriae ſuae ſpecimina inſunt. In bronchiis replendis biſmutho, et in lymphaticis, lacteisque vaſis hydrargyro vſus eſt, docuitque lymphatica etiam per rubras arterias impleri. Ceterum etſi cum ALBINI induſtria eius labores vix poſſunt comparari, paſſim tamen priores diſſectores COWPERVS ſuperauit, tum quod omnia ad humana corpora deſcripſerit atque depinxerit, tum quod plura
p. 776. noua, vel renouata primum inuentis addiderit. RIDLEYI *de cerebri anatomia* liber anatomici partim, partim phyſiologici argumenti eſt, cui icones a COWPERO delineatae adiectae ſunt.

p. 809. IOS. MARIA LANCISIVS, Pontificius Archiater, vniuerſam anatomen maximo beneficio affecit, dum aeneas EVSTACHII tabulas, apud *Pini* haeredes inquirendo, Vrbini detexit, easque in publica commoda curauit edi. Praeterea ipſe *de neruorum gangliis, venaque ſine pari* epiſtolas, et *de motu cordis et aneuryſmatibus* inſigne opus reliquit, in quo etſi nonnulla continentur, quae repetiti diſſectorum labores

labores haud confirmarunt, multis tamen aliis, iisque praeclaris animaduerſionibus refertiſſimum illud eſt; quare optimis auctoribus LANCISIVS acenſeri meretur.

IV.

Diſſ. De baſi encephali et originibus neruorum cranio egredientium. Auctore SAMVEL THOMA SOEMMERING. Gottingae 1778. 4. pagg. 184. tab. aen. 4.

Diuiditur hicce libellus academicus in quinque libros, quorum primus neruorum ortum et fabricam in vniuerſum tractat, atque contendit Cl. Auctor neruum octauum et nonum non ad cere- p. 9. brales, ſed ad ſpinales potius pertinere, cum ex medulla oblongata cum ſpinali intime connexa oriantur, modo tactui et motui inſeruiant, atque ex multis fibris ortum ducentes iterum coaleſcant. Ner- p. 13. vos e cranio prodeuntes pro diuerſa craſſitie ſic ordinanda eſſe iudicat: neruus quintus, neruus opticus, neruus tertius, neruus auditorius, vagus, lingualis medius communicans faciei ſ. ſeptimus, ſextus, gloſſopharyngeus, quartus, atque in diuerſo latere eſſe diuerſae craſſitiei obſeruat. Sic quoque p. 17. non praetermittit monere, neruos in variis animalibus diuerſae eſſe naturae, ſicuti et nos obſeruauimus, neruosque quoad ortum et fabricam eſſe varios pro ſenſuum diuerſitate.

In ſecundo libro recenſet tabulas baſeos cra- p. 27. nii omnes, ad recentiſſima vſque tempora. In infantum cerebro plus, quam in adultis ſubſtantiae cinereae deprehendit, gyros atque lobos cerebri p. 37. diligenter deſcribit atque notat in lobi anterioris

 margine

margine interiori reperiri ſulcum aliquem, conſtanter in omni cerebro reperiundum, gyrumque
p. 47. cinereum abire ad primum par. Mox ea commemorat, quae praeterea in encephali baſi apparent, et ſe obſeruaſſe dicit in animalibus ruminantibus, modo vnam eſſe eminentiam candicantem, in cane vero et fele, quemadmodum in homine, duas. Poſtquam deniquè hiſtoriam infundibuli ab antiquiſſimis inde temporibus erudite et accurate enarrauit, variis experimentis et ratiociniis abſentiam caui in infundibulo demonſtrauiſſe ſibi perſuadet, quae tamen res non ab omni dubitatione libera nobis videtur.

p. 67. Abſoluta ſic baſeos encephali hiſtoria, in qua diligenter conſcripta nihil fere, niſi vaſorum commemorationem deſiderauimus, libro tertio ad neruos ipſos progreditur. Primum igitur de olfactorio exponit neruo, cuius vniuerſam deſcriptionem omniaque huius nerui fata Auctorumque opiniones diligentia et eruditione laudabili perſequitur, atque refutat eorum argumenta, qui huncce neruum
p. 79. e numero neruorum proſcribere voluerunt. Vidit eundem iam in fetu partu praematuro ſexto menſe
p. 81. edito. Interim tamen originem nerui olfactorii inprimis accurate definiuit; eſt in poſtremo loborum cerebri anteriorum limite, duabus fibris medullaribus, et tertia propagine cinerea, atque egregie demonſtrauit ſtriarum medullarium et cinerearum alternantium habitum neruique ipſius miram molli-
p. 95. tiem. Simili ſtudio nerui optici et reliquorum cerebralium neruorum hiſtoriam et origines pertractat et commemorat de vtilitate coniunctionis neruorum opticorum fere omnes opiniones propoſitas,
p. 116. quas mox illuſtrat, mox refutat. Oritur par tertium in ſpatio inter eminentias candicantes, fibris

numero

numero inconſtantibus diſſitis; quartum e parte cerebri ſuperiori gracillimum; quintum duabus portionibus ante et ſupra neruum communicantem faciei; atque ſextum ex corporibus pyramidalibus. Septimi paris neruum ſiue potius portionem duram nerui auditorii cum WRISBERGIO, cuius in ſe inſtruendo beniuolentiam non ſatis extollere poteſt, *neruum communicantem faciei* nominat, eumque in limite poſteriore pontis cum proceſſibus cerebelli in medullam ſpinalem confluentis inter neruum ſextum et auditorium, a quo vix linea ſeparatur. Denique neruum auditorium tanquam vltimum et octaui cerebri paris duplici origine e ventriculo quarto et ponte ortum deſcribit. p. 155.

Mox neruos medullae ſpinalis cranio egredientes contemplatur, atque origines *nerui gloſſopharyngei, vagi et lingualis medii* oſtendit. Neruum autem acceſſorium ab HVBERO et LOBSTEINIO iam deſcriptum omittit. p. 159. p. 169.

Quinto denique libro exhibet tabularum explicationes, quae adiectae icones ab ipſo Auctore delineatae atque a GLADBACHIO filio aeri inſculptae, quarum priores baſin encephali, poſterior vero verticalem cerebri ſectionem offert, curatiſſime confectae omnem laudem noſtram promeruerunt. p. 170.

V.

Experiments upon vegetables, discovering their great Power of purifying the common air in the ſun-ſhine, and of injuring it in the Shade and at Night. to which is joined a new Method of examining the accurate Degree of Salubrity of the Atmosphere, by IOHN. INGENHOVSZ Counſellor of the Court and Body Phyſician to their Imperial and Royal Majeſties, F. R. S. etc. London. printed for P. Elmsly and H. Payne. 1779. 8. 1 Alph. c. ind. dedic. et prooem. pag. LXVIII. tab. aen. I.

i. e.

Experimenta, quibus vegetabilium inſignis facultas aërem communem interdiu ſoleque ſplendente purgandi, eundemque noctu et in vmbra corrumpendi declaratur. Accedit noua aëris atmoſphaerici puritatem dimetiendi et aeſtimandi ratio; Auctore Cl. IOH. INGENHOVSZ etc. *).

Si qua ſunt inuenta, vt multa ſunt, quibus noſtra aetas prae ſeculis praeteritis gloriari poſſit, ea omnino, quae inde ab aliquibus annis circa aëris naturam variasque formas Cl. virorum indefeſſo ſtudio innotuerunt, plurimi facienda ſunt. His enim non modo contigit, vt noua quaſi rerum naturae facies apparuerit, multaque hactenus caligine preſſa in lucem protracta fuerint, verum etiam artibus quam plurimis ad vitam communem neceſſariis vel noua incrementa acceſſerunt, vel certe ſpes propoſita

*) Gallicam verſionem ipſe Auctor edidit, Pariſ. 1780. Germanica nuper prodiit, Lipſ. 1780. 8. ap. Weygandum.

ſita eſt, vt in poſterum alacriori eruditorum labore
haud exigua augmenta ex hac ipſa doctrina olim
capturae ſint. Talia fere, in Societatis Regiae Lon- p. XV.
dinenſis conſeſſu, cum Ill. PRIESTLEYO prae-
mium ſolemne, ob egregia illius in doctrinam de
aëre merita, decerneretur, Ill. PRINGLIVS oratione
publica declarauit. Cumque ille potiſſimum in-
nuerit, ex PRIESTLEYI obſeruationibus conſtare,
quam inſignis prouincia in hoc globo terraqueo
vegetabilibus corporibus demandata ſit, quorum
quippe miniſterio aëris nos ambientis puritas non
parum iuuaretur; Cl. INGENHOVSZ ſermonis iſtius
lectione excitatus, illam vegetabilium virtutem
vlterius indagare, variisque tentaminibus illuſtrare
aggreſſus eſt; eosque labores, in libro, de quo nunc
agitur, enarratos, PRINGLII nomini dicauit.

Inuenerat certe Cl. PRIESTLEY ſingularis XXIV.
illius virtutis veſtigia, qua vegetabilia aërem com-
munem purgare corruptumque ſalubritati ſuae re-
ſtituere valerent; ita tamen, vt ſingulorum experi-
mentorum euentus non prorſus inter ſe conuenire
animaduerteret *). Cl. SCHEELIVS etiam ab expe-
rimentis in nonnullis fabarum plantis captis con-
cluſerat, aërem plantarum vegetatione perinde ac
reſpiratione animalium corrumpi. Nihilominus
tamen, cum in plerisque PRIESTLEYI tentamini-
bus aër temeratus a plantis medelam accepiſſet,
imo adeo earum beneficio aliquando aër puriſſimus
ſub aqua natus fuiſſet, Noſter hunc vtiliſſimarum
obſeruationum campum minime deſerendum, ſed
potius aſſiduo labore excolendum eſſe putauit.
Quae ſibi, dum haec, in Anglia per integram anni

1779.

*) V. Laudati Auctoris: *Experiments and Obſervations relating to various Branches of natural Philoſophy; with a Continuation of the Obſervations on Air.* pag. 299. ſeqq.

1779. aeſtatem commoratus, ageret, innotuerint, breuibus in hoc ipſo operis prooemio enumerauit. Adiecit praeterea aliquam Cl. Abb. FONTANAE obſeruationem, qua nuper admodum probauit, aërem illum puriſſimum arte euolutum, qui *dephlogiſticati* nomine hodie inſigniri ſolet, mediocribus impenſis ab aegrotis, neceſſitate ita iubente, inſpirari poſſe, ſi vas illud, quo continetur, ad dimidiam ſui partem aqua calcis viuae repletum fuerit. Ita enim aër fixus, qui cum puro illo aëre in pulmones primum hauſto per exſpirationem eliditur, ſtatim atque in vas illud ingreſſus fuerit, ab aqua calcis viuae reſorbetur, reliquo aëre nullam labem inde retinente, donec tandem omnis calx ex aqua deturbata fuerit. Proinde, cum aërem dephlogiſticatum, cuius 12000 pollices cubici ex vna nitri libra caloris adminiculo obtineri poſſunt, quater aut quinquies diutius quam aërem communem reſpirationis neceſſitati inſeruire poſſe, per quaslibet autem viginti quatuor horas 21600 pollices cubicos aëris atmoſphaerici reſpiratione abſumi conſtet, facili negotio intelligitur, illam aëris puriſſimi ex vna nitri libra euoluti copiam non modo ſufficere duodecim horarum reſpirationi, verum adeo per complures dies, ſalua puritate ſua ab aegrotis hauriri poſſe; ideo vel maxime, quod eiusmodi aërem aquae calcis adminiculo ſub quauis exſpirationis vice repurgatum, tricies conſueto longius huic negotio parem eſſe Cl. FONTANA obſeruauerit.

p. I. Praemiſſa vocum quarundam, ſeu, vt vulgo dicunt, *terminorum technicorum*, in doctrina de aëre occurrentium, explicatione, Libri ipſius primam partem Noſter ab vniuerſalibus nonnullis de natura et vſu foliorum, meditationibus auſpicatur. Cum quippe in hac prima parte experimentorum a ſe

circa

circa naturam vegetabilium captorum euentus, in altera vero ipſum experimentorum apparatum proponere conſtituiſſet, diſpiciendum erat ante omnia, num omnis foliorum vſus intra plantarum arborumque ipſarum terminos contineretur, an vero praeterea quicquam commodi inde ad reliquas noſtrae telluris res creatas redundaret. Atque hoc profecto vero ſimillimum naturaeque prouidae conſilio conuenientiſſimum eſſe videtur. Iam dudum Cl. BONNETVS in foliis aquae immerſis bullas aëreas comparere obſeruauerat, eas vero non innatae cuidam foliis facultati, ſed potius aëri atmoſphaerico ſuperficiei foliorum adhaerenti deberi exiſtimauerat *). Noſter autem has ipſas bullas aëris vere ab ipſis foliis proficiſci expertus eſt. Oportet autem, vt, quomodo aër ex foliis prodeat, qualisque indolis ille ſit, cognoſcas, folia vrceis vitreis pellucidis indere, eosque vrceos aqua fontana recenti impletos in lacu aut trulla pariter aqua recenti plena inuertere ita, vt fundi vrceorum ſurſum emineant. Quod ſi nunc ſolis radiis hic vaſorum apparatus exponitur, bullae aëreae mox in ſuperficie foliorum prodeunt, ſenſimque turgent et a foliis ſecedentes ſuperiora petunt, quibus deinceps nouae bullae identidem ſuccedunt. Differt tamen in variis plantis bullarum forma et comparendi modus. Aliis enim iisdemque plurimis bullae rotundae aliis planae et difformes, aliis in altera pagina rotundae in altera difformes enaſcuntur. Sunt etiam, in quibus bullae non appareant, aëre ſenſim ad totam ſuperficiem folii accumulato, tandemque vero vno impetu a folii ſumma parte adſcendente.

*) vid. *Recherches ſur l'uſage des feuilles dans les plantes, & ſur quelques autres ſujets relatifs à l' hiſtoire de la vegetation.* Par CHARLES BONNET, 1754. pag. 26. ſeqq.

dente. Neque omnibus iidem praefixi ſunt huius negotii fines; quippe cum alia foliorum genera citius, alia tardius aërem dimittant, quemadmodum etiam alia mox primo mane bullas ſero circa noctem demum euaneſcentes excludunt, cum illae ex aliis ſero prodeant, et mox, vergente die, diſpareant. Aër autem, quem huiusmodi bullae interdiu formatae continent non ab aqua, ſed a foliis producitur. Etenim ille aër, quem vel ſolis calore, vel coctione ex aqua euolui notum eſt, aëre communi longe deterior eſt, adeoque longe recedit ab eius aëris natura, qui bullis foliorum continetur. Neque vero hunc aërem ita purum, vt excernitur, in foliis ineſſe putandum eſt. Aër enim, qui ex foliis ſub aqua premendo extorquetur, aut coquendo expellitur, aëre communi peior, imo adeo prorſus putris et corruptus eſſe ſolet. Simul vero non a calore ſolis, ſed potius a luce aërem purum ex foliis prolici tenendum eſt; quippe cum folia, ſiue ad ignem, cuius calor recte moderatus ſolis calorem aemulatur, ſiue in loco opaco, ſed a ſolis aeſtu percalefacto, ſteterint, nil niſi aërem impuriorem praebeant.

p. 35. Cum plantae aquae immerſae intra paucas horas magnam aëris dephlogiſticati copiam praebeant, Cl. Auctor longe maiorem vim aëris tunc ab illis euolui ſuſpicatur, quando in ſolo natali remanent, nullisque terminis ab aëre ambeunte excluduntur. Appoſite propterea cum reſpirationis animalium organis folia comparat, ita tamen vt hoc diſcrimen inter vtraque intercedere moneat, quod animalium quidem pulmones aërem purum communem hauriant, eundemque corruptum et ad animalium vitam prorogandam nunc inutilem factum ex corpore abigant; cum contra folia plantarum omnium

omnium facillime aërem igneis putridisque particulis plenum et animalibus noxium attrahant, et his ipſis particulis in nutrimenti quandam ſpeciem, vt videtur, abſumptis, reliquum aërem inſigniter ita purgatum, tanquam noxium ſibi excernant. Inde mutuis beneficiis animalia cum vegetabilibus eſſe coniuncta, ſponte apparet, cum vegetabilium ope aër atmoſphaericus, particulis noxiis putridisque orbetur, eamque puritatem nanciſcatur, qua vita animantium carere nequit, plantis interea alimenti materiem ex ipſo animalium excremento capientibus. Non poſſunt autem plantae huic negotio ſatisfacere, niſi virides vegetaeque ſint. Aridae enim per ſe aërem vix aut prorſus non immutant; et, ſi aquam affuderis, ſolique vas, cui inſunt, expoſueris, aër impurus ex illis euoluitur. At, dum viuunt plantae et virent, non modo aërem communem ad inſignem puritatem quandam euehere, verum etiam aërem reſpiratione aut candelis ardentibus corruptum intra breue tempus corrigere valent. Magna inprimis aquatilium plantarum efficacia eſt, in ipſo adeo inflammabili aëre emendando.

Ex his etiam plerumque copioſum et egregie purum aërem dephlogiſticatum euolui Auctor obſeruauit: vti et in vniuerſum alias plantas prae aliis puritate aëris, interdiu ſole ſplendente ex illis euoluti, eminere per tentamina plurima conſtitit. Neque vero haec plantarum facultas ſoli illarum vegetationi tribuenda eſt; alias enim in vmbroſis locis et in tenebris aërem purum conſtanter exhalarent. At vero noxius potius halitus noctu et in vmbra ex illis progignitur, et aër ipſe purus eo tempore plantarum vegetatione ita inquinatur, vt nec flamma vlterius ali, nec animalia viuere in eiusmodi aëre poſſint. Hinc, cur in caldariis horto-

rum per totam noctem clauſis, prima luce in illa intrantes anxietatem quandam, et praefocationis quaſi ſenſum percipere ſoleant, intelligitur; nec non in cubiculis noctu aſſeruatos arborum ramos herbasue copioſas ſanitati obeſſe immo adeo mortis forte periculum minari iuſta ſuſpicio eſt. Verumtamen exigua eſt aëris putridi in tenebris ex plantis euoluti copia; neque illae tunc tantum ad aërem liberum atmoſphaericum conſpurcandum, quantum ad eundem interdiu corrigendum et purgandum valent. Ea enim eſt aëris noxii natura, vt puro aëre leuior ſummas regiones petat, adeoque inferioribus, quas animalia incolunt, vix multum damni inferre poſſit.

p. 53. Radices vix non omnes interdiu noctuque tetrum aërem exhalant et atmoſphaericum temerant. Solas beccabungae radices ab hac noxa liberas eſſe Cl. Auctor obſeruauit. Florum genus omne pariter interdiu noctuque in locis apricis perinde ac in obſcuris venenatum aërem gignit, et ambeuntem aërem communem peſtifero halitu coinquinat; nec deſunt exempla hominum, in cubiculis magna florum copia refertis, ſubitanea morte exſtinctorum. Eadem eſt aëris ex fructibus quibuslibet euoluti, aut ab iisdem infecti, peſtilentia.

p. 62. Maior autem plantarum vegetantium in aëre tetro corrigendo, quam in aëre communi perficiendo virtus eſt. Id non modo in aëre per reſpirationem animalium putrefacto, verum etiam in eo, quem ipſae plantae noctu corruperant, Cl. Auctor expertus eſt. In vniuerſum autem plantae puriorem aërem praebent, ſi clare ſplendenti ſoli expoſitae fuerint, quam ſi in conclaui, licet non obſcuro, aſſeruentur. Citius autem languent et pereunt,

eunt, ſi purus ille aër ex ipſis prodiens, repetitis vicibus a foliis diſcutiatur, ſimili fere ratione, ac animalia quoque, effuſa excretionum abundantia peſſundari notum eſt. Abſorbent etiam plantae varii generis aërem, ita vt Auctor aliquando ipſius aëris dephlogiſticati non exiguam molem vna nocte abſorptam fuiſſe commemoret. Nobis tamen in hoc quidem exemplo aër dephlogiſticatus vix a plantis ipſis abſumptus eſſe videtur; quippe cum veroſimilius ſit, eius in tenebris plantarum halitu inquinati partem aliquam ab aqua abſorptam fuiſſe, quod certe in hoc aëris deprauato genere ita contingere ſolet.

Non omnes aquarum ſpecies ad euolutionem aëris ex vegetabilibus promouendam idoneae ſunt. Aqua deſtillata enim aut elixa, cum aëre proprio exuta calore fuerit, illum aërem, qui ex plantis prodit, in ſe recipere ſolet; cum contra aqua aëre abundans, e. g. fixo aëre ſaturata, ſub ipſo experimento, aliquam partem huius aëris in illa ſuperflui expellat. Vtroque vero modo experimentorum fides fallax redditur. Neque autem vlla aqua his laboribus magis conuenit, quam fontana, quippe quae aërem ſufficienter ſibi admixtum habet, nec tamen illo nimium abundat. p. 83.

Adiecit hoc loco Cl. Auctor nonnullas obſervationes de ſubſtantia illa viridi (*grun vegetable matter*) in aqua fontana ſponte per moram naſci ſolita, ex qua Ill PRIESTLEY puriſſimum aërem gigni primus animaduertit. Multis tentaminibus inſtitutis Noſter etiam de huius aëris, ex ſubſtantia iſta euoluti, puritate perſuaſus fuit. Suſpicatur autem, ipſam aquam, aut quidpiam aliud in aqua latens hanc viridis materiei ſpeciem induere, quippe cum p. 89.

aër purus, illius ope ſponte euolutus, longe ſuperet copia illum aërem, qui coctione ex aqua elicitur.

p. 93. Alias arbores ſaepenumero aliis aëris ex foliis euoluti copia et puritate praeſtare experientia docet; adeoque, ſi agri ſalubritatis cauſa arbuſtandi ſunt, delectus omnino inter varia arborum genera inſtitui poterit. Puriorem etiam et abundantiorem aërem praebent folia grandia et adulta, quam minutiora et nunc primum progerminantia.

p. 97. In nitroſo aëre, iuxta PRIESTLEYI inuenta, puritatis aëris indicium eſſe notum eſt. Auctor tamen, illa aëris nitroſi facultate, qua alia aëris genera, pro varia illorum puritate plus minusue, dum admiſcetur, imminuere ſolet, non ſemper ita aëris ſalubritatem manifeſtari contendit, vt omnis fraudis ſuſpicio abſit. Cum enim aërem inflammabilem aliquoties plantarum vegetatione ſalubriorem reddere conaretur, ille quidem, cum aër nitroſus admiſceretur, ita imminutus fuit, vt prorſus purgatus, imo adeo communi aëre longe purior nunc eſſe videretur; et nihilominus tamen flamma admota, magno cum ſtrepitu, quod fieri ſolet cum aëre inflammabili et dephlogiſticato inter ſe mixtis, detonuit, imo adeo pullum gallinaceum ipſi inditum extemplo necauit. Hanc forte nouam genuini et ſimplicis aëris fulminantis ſpeciem eſſe coniicit, propterea potiſſimum, quod noctu etiam aër inflammabilis plantarum vegetatione ita commutari poſſit. Nobis vix ita videtur; cum quippe ipſo Cl. Auctore teſte, longe maior copia ſit aëris puri interdiu ex plantis euoluti, quam illius, qui noctu ex illis progignitur, adeoque illa magna aëris puri quantitas longe plurimum profecto in aëre inflammabili mutando valuerit.

Inſig-

Inſignem aëris mutabilitatem, qua Protei inſtar, in multiplices formas conuertitur, Noſter multis exemplis et prolixo, ſed docto ſermone, explicat. Deinceps, quaſi aliud agens, de aëris ex cute humana difflati natura exponit. Illum ſub aqua ex nudato brachio alioue membro prolicitum, aëre communi longe deteriorem eſſe obſeruauit; ita quidem, vt aër ex adoleſcentulorum cute exhalans perinde vitioſus eſſe videretur, ac ille, quem aetate prouecti per corporis ſuperficiem exſpirant. Proinde ridiculam eſſe nonnullorum opinionem declarat, qui ſenum aetatem iuuenum contubernio prorogari poſſe ſibi perſuaſum habent. p. 129.

Sub finem huius primae partis ſui libri, Cl. Auctor nonnullas meditationes de illis nunc breuiter enarratis plantarum viribus ſubiunxit; interpoſitis ſimul nonnullis animaduerſionibus, de regionum quarundam ſalubritate aut peſtilentia, ex illius ſententia maximam partem ab arborum vegetabiliumque abundantia vel inopia proficiſcente. Attigit etiam deleterias et ſingulares quarundam plantarum exhalationes; e. g. Hippomanis Mancinellae, L. et Lobeliae longiflorae JACQV. Huc quoque retulit Dictamnum Album L., cuius flores veſperi inflammabiles halitus ſpirare conſtat. p. 137.

Accuratior tentaminum cum variis vegetabilium partibus inſtitutorum enarratio parte altera continetur. Hanc Cl. Auctor a deſcriptione *Eudiometri* noui orditur nuper admodum a Cl. FONTANA inuenti. Nobis quicquam de his referre non licet, cum huiusmodi inſtrumentorum artificium et conſtructio vix poſſit paucis verbis adumbrari, ſed ex plena Auctoris narratione adiectaque tabula diiudicari debeat. Caeterum hac laude Eudiometron iſtud reliqua peculiari libello ab ipſo p. 149.

Cl. FONTANA propoſita antecellere videtur, quod ſimpliciori arte fabrefactum ſit; licet Prieſtleyano et Magellaniano Eudiometro concinnitate et elegantia ſit inferius. Hac data occaſione Noſter de optima aërem nitroſum parandi ratione nonnulla praecipit. Docet autem commodiſſime illum elici poſſe ex filis craſſis cupreis ſpirae in modum contortis, quo nempe latior ſuperficies acido nitroſo offeratur: Atque cum in Eudiometri illius vſu, binae ſemper partes aëris diſquirendi in *magnam menſuram*, quae princeps illius inſtrumenti pars eſt, *paruae menſurae* ope transmittantur, hicque deinceps tot aëris nitroſi menſurae admiſceantur, quot ad perfectam ſaturationem ſufficiunt; Noſter debilem etiam aërem nitroſum, qui diuturna mora ſuper aqua elanguit ad hoc examen inſtituendum non prorſus ineptum eſſe docet; quippe cum, ſi debilis tantum aër nitroſus praeſto ſit, plures eiusdem menſurae ad aërem, cuius natura exploranda eſt, deduci debeat, ita vt, vbi duplo e. g. debilior ſit conſueto, dupla eius quantitas ad plenam ſaturationem requiratur.

p. 185. His ſedulo praemonitis, Cl. INGENHOVSZ
p. 275. tentamina ſua cum aëre, ex plantis euoluto, inſtituta, per ſingula capita enarrat. Hoc ita fecit, vt in ſingulis puritatis cuiuslibet aëris computum adiiceret, FONTANAE methodo quidem perpetim vſus, neque tamen Prieſtleyanam aërem aeſtimandi rationem prorſus negligens. Continentur autem in hoc libri parte experimenta 125. Quae cum eo ſpectent, vt obſeruata illa vniuerſalia in prima libelli ſectione explanata, rerum ipſarum intuitu quaſi confirment fidemque illis faciant, nos pleniori horum experimentorum enarrationi ſuperſedemus. Subiunxit Cl. Auctor huic libro nouam quandam aëris

atmo-

atmoſphaerici puritatem explorandi methodum. Nititur illa Cl. FONTANAE Eudiometro, ita tamen, vt Noſter de ſuis nonnulla huic inſtrumento addiderit et iuxta PRIESTLEYI praecepta aequales aëris atmoſphaerici et nitroſi partes adhiberi iuſſerit. Contendit autem ſe hac methodo in repetitis eiusdem aëris explorationibus, tanta cum felicitate vſum eſſe, vt error, ſi quis committeretur in computo vix $\frac{1}{200}$ voluminis vtriuſque aëris aequaret. Inuenit autem hoc pacto aëris atmoſphaerici puritatem plerumque eſſe in ratione inter 103 et 109 intermedia; quod nempe ita intelligendum eſt, vt ex aëris nitroſi et communis ſingulorum centenis partibus poſt plenam ſaturationem 103 ad 109 partes remaneant. p. 276.

Coronidis loco pauca per autumnum in plantis obſeruata adiecit. Cognouit nempe illo tempore folia fructus et radices multum de facultate illa perdere, qua aërem noctu et in tenebris corrumpere ſolent; ita tamen, vt nec ſalutaris foliorum virtus interdiu, nec florum nociui halitus de die aut noctu quicquam imminuti eſſe videretur. In tabula adiecta Eudiometron Cl. FONTANAE vna cum iis, quae Auctor ipſe addidit, delineata deprehenduntur. p. 288.

VI.

Diſſ. inaug. de medico optimo naturae et obſeruatore et imitatore Auctore FRANCISCO GVILIELMO DE MONCHY. Rotterdam. L. B. MDCCLXXIV. 4. litteris Bootianis pagg. 130. praeter dedicationem, praefationem et theſes.

Quantum, inquit Noſter, vti ex praefatione intelleximus, ego ſcio, de natura humana medico, quid agendum ſit, monſtrante, huc vſque egit nullus. Etſi quoque quidam fuerint, qui naturae obſeruationes, imitationis mentionem fecerint, nonnulliſque exemplis illuſtrauerint, attamen ex obſeruationibus ſelectis deriuatarum imitationum catalogum dedit nemo. Quae cum ita ſint, apud animum Noſter conſtituit obſeruationes colligere, atque ex illis medendi rationes, ex naturae ſinu petitas deducere, vt ſic viam ad medicinam faciendam meliorem et tutiorem ſibi pandat, quam argumentum aliquod theoreticum diſputare maluit. Quas quidem obſeruationes et meditando et legendo et audiendo vndique congeſſit. Non vbique fontes quidem laudauit, attamen omnino monet, ſe non ſolum magnam partem obſeruationum hic collectarum ex venerandi patris oratione inaugurali *), ſed etiam ex annotationibus manuſcriptis, nondum typis mandatis, quas praxis triginta quinque annorum ſuppeditauit, deſumſiſſe.

p. 1. Caput Imum. *Generaliora quaedam naturae humanae eiusque obſeruationem ac imitationem ſpectantia continens.* Per naturam humanam intelligit Noſter complexum virium motricium, quas vniuerſi Auctor homini indidit et quae ſecundum definitas leges ad vitae et ſanitatis a morbis et morte tutelam cooperantur. Natura deprehenditur ſimplex in omnibus ſuis actionibus, prouida, ſolers, conſtans, regularis et ſemper ſibi ſimilis, ſibique
p. 15. ſaepe ſufficiens. Inſtituti ratio poſtulat, vt vires et facultates naturae humanae actuoſas, quouſque medi-

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 350. Alia SALOMONIS DE MONCHY ſcripta vide in comm. hor. indic. tripl. ſecund. decad. ſub Eius nomine.

medicum, quid agendum ſit, docent, latius Noſter contempletur. Ob rerum dicendarum multitudinem, ordinem, in quem obſeruationes redigendae ſunt, ſecundum duplex medici officium, elegit. Medici autem officium eſt conſeruare praeſentem et periclitantem in tutum locare ſanitatem. Quapropter varias obſeruationes hic Cl. DE MONCHY collegit, ex quibus elucet, qua ratione res non naturales, natura monſtrante viam, ita adhiberi debeant, vt ad ſanitatis conſeruationem et redintegrationem conſpirent. Cum nec GALENI, nec BOERHAAVII, neque GAVBII rerum non naturalium diviſio Noſtro placeat, nulli ſeſe ex mente GAVBII adſtrinxit.

Caput IIdum exponens, *quid medico, natura monſtrante viam ad ſanitatem conſeruandam et reſtaurandam, quod ad aërem, agendum.* Diuturnior obſeruatio patrem Noſtri quotannis docuit, rachitidem tempore aeſtiuo maxime ſe manifeſtare, contra vero hiemali leuari, numero minui, ſanationemque promtiorem admittere. Pauciores infantes aeſtate, plures vero hieme gradi incipiunt. Suecia, Lapponia, Islandia lacertoſis, quadratis, ferreis annoſis ſuperbiunt incolis. Liberior aëris acceſſus frigore et exſiccatione nocet omnibus vulneribus, inprimis capitis. Haec de aëre calido et frigido: ſequuntur obſeruationes de aëre humido et ſicco, de aëris et climatis ſubitis mutationibus. Aër gravior cum multum cum aëre frigido et ſicco, et levior, cum calido et humido conueniat, nihil de iis aëris hic exponit ſpeciebus. Quod autem ad qualitates occultas attinet, de iis videbit Noſter in capite de rebus, quae virus habeant. p. 16.

p. 25. Caput IIItium exhibens *ea, quae natura humana circa cibi et potus moderamen docet.* Agit hic Cl. Auctor de ingeſtorum neceſſitate, quantitate, qualitate ciborumque praeparatione.

p. 50. Caput IVtum. *Obſeruationes et imitationes naturae, quae ad remediorum vſum pertinent.* Atque haec ſunt partim euacuantia, partim alterantia.

p. 56. Caput Vtum. *Tradens methodum rebus, quae virus habent, medendi naturalem.* Huc refert Noſter animalia rabida, luem veneream, variolas, febres malignas, putridas, epidemicas, peſtim, praecipue ab occulta aëris qualitate vel miaſmate originem trahentes.

p. 56. Ipecacuanhae radix antidotus opii exiſtat. Quae omnino exoptatiſſimo cum effectu in omnibus malis, quae ex venenis in principium vitale directe agentibus, proficiſcuntur, quouſque iniecto torpore eius actiones ſuſpendunt, languidiores reddunt, exhibetur.

p. 69. Caput VItum. *Limites motus atque quietis ex naturae contemplatione cognitos proponens.* Cunarum agitatio, iuſto vehementior non poteſt non debili infantis ſyſtemati grauius nocere. Et iure meritoque praeferendae videntur illae cunarum ſpecies, quae nec pauimento inſiſtunt, nec ſuper partem curuae mouentur; ſed quae ſuſpenſae huc illuc ad latus leniſſimo et aequabiliſſimo motu procul ab omni attritu penduli ad inſtar oſcillant, aut a corpore elaſtico dependentes, ſurſum ac deorſum agitantur et pedetentim decreſcente motu, ad quietem redeunt et abſque vllo ſubſultu quieſcunt.

Caput

Caput VIImum. *Commoda et damna, quae natura in poſituris ſingularibus oſtendit, exponens.* Ex his enim ſingularibus poſituris, quae diu admiſſae certas vtilitates aut noxas producere poſſunt, plurimi artificum, opificum morbi, quin et infantum malae conformationes, ſolummodo ſaepe proficiſcuntur. Plures infantes ſunt ambidextri iique ad negotia magis apti deprehenduntur, quam, qui ſola dextra vtuntur. Nec vllo argumento probari poteſt, ſiniſtram non ad eosdem fines vſusque aptam natam eſſe ac dextram. Exinde ergo concludit Noſter, male dehortari infantes vtriuſque manus vſum eumque multo potius ſuadendum eſſe. p. 77.

Caput VIIIum. *Mentis exercitationum atque animi pathematum vſum et abuſum, a natura indicatum proponens.* Limites hic naturae monſtrantur in animi contentionibus et commotionibus moderandis cet. per variam aetatem in morboſo ac ſano ſtatu. p. 82.

Caput IXnum. *Regimen ſomni et vigiliarum a natura dictarum ſiſtens.* Extremitatum inferiorum frigus ſomnum arcet. p. 87.

Caput Xmum. *Excreta atque retenta naturae nutu moderanda exponens.* Nonnullis in vniuerſum de excretis retentiſque diſputatis, in ſpecie alui, vrinae, ſudoris, lactis, ſaliuae excretiones, vomitum, haemorhagias, puris elaborationem, excretionem, ſputa, metaſtaſes, aquae, fetusque exitum aliaque plura ad memoratos titulos et praeſens caput referenda et obſeruando et imitando Noſter excutitur. p. 90.
Lotii largior euacuatio in vulnere thoracis omnia ſymptomata leuabat. p. 98.
Mola praeſente in vtero, lac in mammis non apparebat. p. 103.

p. 120. Caput XImum. *Potentiae morbificae animatae.* Infantes phlegmaticos, pituitoſos ſaepius, adultos vero robuſtos et exercitatos verminatione rarius laborare obſeruationibus conſtitit. Laudatiſſima remedia anthelmintica ſaepe indicationi non reſpondere optimi practici conqueruntur. Caſus non rari ſunt, in quibus medici febris fugandae ergo, corticem Peruuianum adhibuerunt, ſine vlla vermium ſuſpicione, cum tamen hi dein expellerentur. Inde concludit Noſter in verminationis curatione, roborantia, et inprimis corticem purgantibus praeferri debere, quae, dum viſcera debilitant, vermium generationi potius fauent, quam officiunt; e contrario roboratis his viis ouula inſectorum ingeſta non excluduntur, ſed deſtruuntur et vermes ipſi expelluntur. Quapropter vermium in febribus praeſente ſuſpicione conueniunt laxantia cum cortice.

p. 122. Caput XIImum *moderamen, quod natura in forinſecus corpori humano admouendis monſtrat*, exhibet. Poſſunt hic omnia referri, quae ſupra in atmoſphaerae poteſtatibus ſunt hactenus a Cl. Auctore recenſita. Praeterea autem multa inueniuntur, quae hic Noſter perſequitur e. gr. faſciae et ligaturae corpori applicatae, veſtes arctiores, capitis ornatus capillis factitiis cet.

Trime-

VII.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för år 1773. Vol. XXXIV. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm, tryckte i framledne Direct. Lars Salvii Tryckeri, på egen Koſtrad, 1773. 8. pagg. 360. Tab. aen. 12.

i. e.

Acta Academiae Reg. Scient. Swecicae, anni 1773. Vol. XXXIV.

Trimeſtre primum.

1. IO. CAR. WILKE *ollae*, quam vocant, *Papinianae*, ſtructuram docet, vſibus oeconomicis aptiorem. Cauum aheni, ex cupro format, figura ad ſphaericam accedente, niſi quod fundus planus ſit. Superne, apertum eſt orificium ellipticum, circa cuius marginem cuprea, qua conſtat ahenum, lamina introrſum flectitur: Operculum, figurae orificii conueniens, oblique poteſt inſeri, deinde, collocatum in plano orificii, ab illa lamina retrorſum flexa, ne exire poſſit, retinetur. Ita parcitur cochleis, quibus in vulgaribus machinis eius generis, firmandum eſt operculum, hic enim ipſe vaporum elatere, aperturae, quam claudere debet, apprimitur. Suſpendit ahenum catenae ope in camino, vt libere moueri poſſit, et varia alia ad commodiorem et tutiorem vſum facientia docet. Deſtinat inſtrumentum, inprimis extrahendis ſucco et gelatinis, ex oſſibus et carnibus durioribus, quod, quibus cautionibus obſeruatis optime fiat, docet, magnam vtilitatem pollicitus, quod quae tanquam inutilia proiiciuntur, ita, ſaltim pauperibus nutriendis poſſint praeparari. Ipſa Academia ſuadet, vt eius vſus ad

p. 1. p. 11. p. 22.

vtilita-

vtilitatem communem pertinentis, experimenta capiantur.

p. 22. 2) ALEX. MICH. DE STRVSSENFELT, *deſcriptiones et picturas* exhibet, *Gadi Cimbrii*, et *Gadi Muſtelae*, ad hanc enim ſpeciem refert alterum piſcium ſuorum, licet quatuor ſaltim cirros habeat, cum LINNAEVS huic ſpeciei 8 tribuat.

p. 27. 3) *Cerealia quo pacto nutriendis inprimis pauperibus praeparanda ſint*, inquirit PET. ION. BERGIVS. Fermentatione, quam farina ſubit in conſueto panificio, multae partes nutrientes auolant. Id praeter alia ex eo intelligitur, quod a deſtillato ſpiritu frumenti reſiduum parum particularum nutrientium contineat. Eſt vero maſſae farinaceae fermentatio ſpirituoſa duabus ſaltim rebus ab illa, quae in ſpiritu frumenti et in cereuiſia parandis adhibetur, diuerſa, quod breuiori tempore duret, neque tantum aquae in illa adhibeatur. Cl. BERGIVS maſſam farinaceam, fermento adhibito, magna aquae copia diluit, et inde deſtillatione ſpiritum frumenti obtinuit. Itaque cum magna eſt frumentorum penuria, diſſuadet pauperibus, panem ex exigua, quam ſibi comparare poſſunt, farinae copia pinſere, tum quod non poſſint non fermentatione perdi partes nutritiuae, tum, quod ipſa fermentatio, inprimis ad viliorem, quo pauperes veſcuntur, panem parandum, fortior, et diutius continuata, in acetoſam abeat. Id igitur acetoſum, cum ace-
p. 35. tum ex ſententia medicorum ſoluat et diluat ſanguinem, eſurientibus in annonae caritate certe non prodeſt, cum ipſorum ſanguis ſatis iam dilutus ſit.
p. 36. Pultem igitur coquant ex farina. Illa panis loco vtuntur, Dalecarli, ſani, et validi. Neque eſt, quod metuatur, digeri viſcoſum frumenti non poſſe, niſi fermentatione ſubactum, inprimis cum illi, quibus

haec

haec conſulit Noſter, nimia eius cibi copia ventriculum non ſint oneraturi. Deinde alias plantas nominat, quae poſſint vel panis loco ſolae adhiberi, vel addita farina, nutrimentum praebere.

4) CAR. PET. THVNBERG M. D. enarrat, quae contigerint *a ceruſſa farinae, ex qua placentae* (Pfannkuchen) *factae erant, addita.* Euenit hoc 1772, menſe Ian. in naui Bataua, qua Noſter Amſtelodamo ad Caput Bonae Spei vehebatur. Sacrorum miniſter, qui ſimul, quae ad victum quotidianum pertinerent, coquo praebebat, placentis faciendis aequas partes, farinae et ceruſſae, non animaduerſo materiarum diſcrimine dedit. Placentarum loca quaedam, velut vſtulata apparebant, ceterum albae erant, ſicciſſimae, vt coquus butyro peperciſſe culparetur, ſubdulces, alioquin ſapore non ingrato. Alii ſtatim poſt eſum vomebant, et hi reiecta materia, cito conualuerunt. Illi forte placentas primo paratas comederant, minus ceruſſae continentes, tardius praeparatis, adeoque materie, quae pondere ſuo deſcenderat, magis refertis. Noſter plura perpeſſus eſt. Vomitus, colicam, gingiuas ad radices dentium tumentes, natis ibi nodis, duris, dolentibus, glandulis ſub mento et in ore tumentibus, ſputum viſcidum, lingua fuſca. Potu vomitus ciebat et faciliores reddebat, gargariſma emolliens adhibebat tumori oris leniendo. Haec inde a die 5 Ianuar. quae infauſtam illam placentarum coenam die 4 Ian. ſequebatur; ſaliuatio perfecta, ſed lenis, 6 Ian. os exulceratum, foetens, dentes muco flaueſcente obducti, vrina rubens, flaua. Laxans remedium adhibitum. Sequenti die, durauit ſaliuatio, vlceribus oris omnino flauis 8 Ian. cum melius ſe habuiſſet, nocte oculi inflammati, cui malo frictio palpebrarum medebatur, proxima die fluxerunt lacrimae copioſae, acres,

p. 29.
p. 40.

acres, cutem exedentes et adſtringentes. Intumuit facies dextra, dolore auris, inprimis cum quid deglutiret, vehemente, vt ſolidis cibis vti non poſſet.
p. 42. Maculae rubentes in digitis nullo dolore, euaneſcentes et redeuntes. Decimo Ian. ceſſauit tumor colli, redeunte vomitu, qui 11, 12. continuauit, ſanguine eiecto; 13, nauſea cum colica leui, 14. Os cum oeſophago ſicciſſimum, ceruſſa conſpicua in ſputo eiecto, cretae ad modum albeſcente, 15, colica, rigor genuum, 19, capitis dolores et nauſea, 21, colica, dolores rheumatici in brachio dextro, fixi in genu, ſub plantis pedum, et in ipſis pedibus. Deinde paulatim conualuit. Similia aliis acciderunt. Periit nemo. Generalia ex caſu relato haec
p. 43. colligit. Ceruſſam, vtcunque ponderoſam tamen fluidis corporis animalis in vaſa anguſtiſſima deferri; Colicam ab ea natam, ſed non colicam pictonum, ſaliuationem excitatam, leniorem, quam a mercurio, magis fixam fuiſſe in articulis, quam in partibus mollioribus.

p. 44. 5) ANDR. IO. LEXEL Suecicorum quorundam locorum longitudines geographicas definit, ex ſolis deliquiis 1764, 1769. et ſimul multa ad methodum illam longitudines definiendi, facientia, egregie docet, et exemplis illuſtrat.

p. 66. 6) PETR. VARGENTIN, *Vraniburgi et Londini longitudines geographicas*, haud parum diuerſas docet, ab iis, quae hactenus, PICARDI inprimis auctoritate, credebantur; quod quidem facit ad emendandam deſcriptionem littorum freti inter Daniam et Sueciam. (*Sund*).

p. 71. 7) *Vapores ex plantis exſudantes quo ordine ad folia illarum in guttas colligantur* deſcribit, CLAVD.

BIER-

BIERKANDER Verbi Diu. Miniſter Skarae. Exire e plantis, non ex aëre ad illas accedere, nota methodo, plantis campana tectis, certiorem ſe reddidit. Iam de ordine guttarum foliis adhaerentium haec obſeruauit. Quibus folia ſunt orbiculata, parabolica, cordata, cuneiformia, reniformia, in illis guttae exteriora marginum occupant, cuius exempla plurima nominat, Braſſicam *oleraceam*, Tropaeolum *maius* cet. Pinnatis, ſerratis, ternatis, ad angulorum marginalium, apices interiores adhaerent, v. c. in Fragaria *veſca*, Lamio *purpureo*. Piloſorum et tomentoſorum, pili ſinguli inde a radice ad apicem, guttulis maioribus aut minoribus veſtiuntur. Centaurea *benedicta*, Verbaſcum *thapſus*. Interdum ad articulos caulis guttae circumcirca colliguntur, vt in Equiſetis, *fluuiatili* et *aruenſi*. Vnicam guttam maiorem, in parte folii inferiore ad apicem oſtendit Alſine *media*. Graminum plurima cum venas habeant ad apices foliorum vergentes, ibi guttulae effunduntur. Obſeruationes inſtituit, ſtatim poſt ſolis exortum, qui noctem quietam ſequeretur, tum magis caleſit aër, turbatur ordo; idem contingit plantis, quarum folia nocturno ſomno alium ſitum habent, quam die.

p. 73. p. 74. p. 75. p. 76.

8) *Parochiae* Kuſame *in Lapponiae regione* Herni, *deſcriptionem*, quarta eius parte abſoluit ELIAS LAGVS. De oeconomia habitantium. p. 76.

9) DAN. HALLENCREVTZ *nubes* obſeruauit duas, quae accedentes ad ſe, fulgura vna ad alteram emittebant, deinde, figuris in conicas mutatis, ſibi per ſeſqui minutum adhaerebant, recedentes, priores figuras recuperabant, repellentes ſe quaſi, vna ad horizontem, altera ad verticem accedente. Obſeruatio inſtituta in Pello, 1769, 30 Maii. p. 90.

10) *De*

p. 92. 10) *De hirudinum vſu in acceſſu epileptico*, refert CAR. SAVR, M. D. Sexagenarius in morbum incidit, quo vehementibus conuulſionibus, frequentiſſime agitaretur, ipſis animi viribus deficientibus. Cum Medici, quibus vtebatur, plura fruſtra tentaſſent, aconiti extractum mala augere videretur, Noſter aduocatus faciem vehementer rubentem animaduertit et arteriarum temporalium pulſum, multo duriorem, quam qui ad carpum manus perciperetur. Itaque primo, fluidis a capite reuellendis adhibuit, venae ſectionem in pedibus, frictiones pedum, ſinapiſmos cet. diaetam ſollicitam praeſcripſit et alia remedia, quae conuenirent, adhibuit, non neglectis antepilepticis. Redierunt animi et corporis vires, ſymptomata epileptica iam et leniora fuerunt, et
p. 94. breuius durarunt. Cum tamen paroxyſmi non omnino ceſſarent, et ſubſiſteret adhuc illa pulſuum in temporibus et in carpo inaequalitas, hirudines applicuit, temporibus, poſt aures et ad collum, laetus animaduertens, ſtatim mala omnia ceſſare, quorum aliqua deinde rarius redierunt, propter peccata diaetae, ſed hirudines ſemper optatum praeſtiterunt auxilium.

p. 94. 11) GVST. HENR. SKOGE, Mercator Carlscronae, caementum edit, ignem et aquam tolerans. Paratur, ex lactis, aceto coagulati, ſero, additis albuminibus ouorum et calce viua.

p. 95. 12) CAR. IO. KEMPF, Paſtor Alshedae, refert, cum, aperta lepore femina grauida, quae ſclopeti ictu interierat, fetus ſex, perfecti, viuentes reperti eſſent, vnum, exemtum ex vtero et nutritum, leporem viuacem euaſiſſe.

Trimeſtre Secundum.

1) *Ad caementum* pertinentia tentamina refert S. RINMAN. Quaerebatur, pro fabrica alumini coquendo, vaſa, et ſtagnantium fluidorum receptacula, vt, et ipſius lixiuii, alumen ſolutum et in cryſtallos abiturum continentis, ex lapidibus conſtruere: igitur caemento opus erat, et facile parabili, et ipſam lixiuii aluminoſi acrimoniam ferente. Tentauit igitur varias materias, quae vel in vicinia effodiebantur, vt calcarios lapides, vel dum ipſum alumen coqueretur prodibant, vt ex lapide ſciſſili, qui coctурae huic adhibetur, oriunda fuligo cet. Illis tentaminibus, quae mixturae caementis aptiſſimae eſſent, didicit, et eas cum fructu adhibuit. p. 98.

2) *Sueciae locorum quorundam longitudinem* ex eclipſibus ſolis 1764, 1769. definire pergit A. I. LEXELL et methodum ſimul commendare, et eum illis comparans, quae ſatellitum Iouis eclipſibus, aut planetarum inferiorum tranſitibus nituntur. p. 107.

3) *Mus* Myoſpalax, *palmis maximis, cauda breui, oculis admodum paruis* deſcribitur ab ERICO LAXMANN. Parum adhuc notum animal, cuius de cadauere in agro reperto olim ſcripſit IO. BECKMANNO, Prof. Gottingenſi, ſed dolet imperfecta illa et non eo conſilio ſcripta, edita eſſe in libello: ERICH LAXMANNS *Sibiriſche Briefe*, Gotting. 1769. Iam meliora de animali comperit. Frequentiſſimum eſt inter flumina Ob et Irtyſch, in regione Kolyvanoſkreſenſkienſi, vbi apricantia cepit et domi ſeruauit. Medium tenet inter mures et talpas, vnde nomen illi inditum. Longitudo digitorum Anglicorum 9. Tardum eſt, nec morſu timendum, vnde facile capitur. Cuniculos ſub terra agit, tumulos eiicit vt talpa, ita ad modum aratoris ſubterranei, terram p. 134. p. 136.

 commi-

p. 138. comminuit, radicibus plantarum annuarum tranſmittendis, quae alias vix penetrarent, ſolum Sibiriae, perennium plantarum et ſuffruticum radicibus conſtipatum: auiculis etiam velut caueas exſtruit, in quibus poſſint oua deponere et pullos educere, ſecurae ab auibus rapacibus ſuper planities Sibiriae perpetuo volitantibus. Veſcitur Myoſpalax inprimis bulbis Liliaceorum, conclaui incluſus, inquietus, angulos quaeſiuit, pabulo proiecto nullo vſus eſt, oculi exigui, pure albo madebant. (Scilicet animal ſubterraneum conclaui habitando idoneum non erat.)

p. 140. 4) *De Natro Tripolitano* Barbarico refert CHRISTIANVS BAGGE, olim conſul Tripolitanus. Arabibus *Trona* vocatur. Emendat Noſter et ſupplet, quae habet DONALD MONRO Tranſ. Phil. 1771. Vol. 61 *). Locus natalis eſt Prouincia *Suckena* regni Tripolitani, duorum dierum itinere a loco Faizan, 28 dierum a Tripoli. Reperitur ad pedem montis lapidei ſupra ſuperficiem terrae, craſſitie digiti, aut minore, latitudine dorſi cultri. Semper reperitur forma cryſtallina, conſtans cryſtallis ſibi applicatis, oblongis, parallelis, interdum obliquis, interdum radioſis. Faciem habet Gypſi ignem non paſſi. Inferior cruſta, griſea, terrea, tenuis, efferueſcens cum acidis, ſapore ſalino. Natiui, inprimis Mauri, contra colicam, et vt laxans remedium adhibent. Nucis magnitudine fruſtum vaſculo, quali ad Theae potum hauriendum vtimur, olei oliuarum pleno, immittunt, et ignem ſupponunt, ligno agitant, ſpumat oleum per 4 aut 5 minuta, cedente ſpuma, aquae ad modum fluit, adhuc coquitur

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 84. Hic vocatur ſal alcali natiuum purum et cryſtalliſatum, quod circa Tripolim inuenitur.

quitur minutis 5 vel 6. Semper agitatum, deinde in lapidem effunditur, rigeſcit, colore nigreſcente fuſco, fruſtula deglutiuntur, aqua deinde pota, ita aluum laxat. Foliis Tabaci mixtum, et contritum, pulueris ſternutatorii loco adhibetur. Contra, ac refert Cl. MONRO, magna eius eſt copia, quae maximam partem a Mauris in vſum adhibetur, rarius a Turcis. Et in eo fallitur Cl. MONRO, quod ſal culinare adiunctum credat. Salis culinaris fodinae Tripolitanae mari vicinae ſunt, natrum, vt dictum eſt, multum a mari diſtat. Neque rubet caro a ſale Tripolitano, niſi nitro ipſi addito. Cum natrum hoc puriſſimum alcali ſit, credit Noſter, vtiliſſimum fore ſaponi coquendo, et aliis vſibus, quibus alcalina adhibentur.

5) *Verbena Oblaetia.* Deſcribit illam ANDR. IOH. RETZIVS, ſemina Pariſiis accepit inter alia ex America Auſtrali, eo indicio plantam Americanam iudicat. Anno 1772 in horto Lundenſi floruit, vnde depicta ſiſtitur. Radices non vidit, duabus, quas habebat, plantis parcens. In partibus fructificationis a Verbenis, quas examinauit, differt, tubo calyce duplo longiore; ſtili figura, qui ſimplex eſt, longitudine tubi, ſenſim verſus ſtigma incraſſatus, compreſſiuſculus; limbo plano fere horizontali, corolla maiore. Nomen ſpecificum condit: Verbena (Oblaetia) tetrandra, ſpicis ſolitariis, calicibus fruteſcentibus auctis, foliis ſubtrilobis inciſo ſerratis. In horto Academico Pariſino LE MONNIER appellauit: *Verbenam tubo floris longiſſimo; Aubletia* vocatur, apud ROZIER *obſ. ſur la phyſ. et Hiſt. nat. T. 3. Part. 1. p. 204.* p. 143.

6) *Lathyri, radicibus repentibus tuberoſis,* culturam et vſum deſcribit GVST. HENR. SKOGE. p. 146.

 Batavi,

Bataui, a quibus Sueci plantas primo acceperunt, *Aardakers* vocant, Germani, inter alia nomina: *Erdnüſſe.* Suadet immitti terrae fundo lapideo incumbenti, et ab ipſis lateribus cinctae, ne propter radices profunde et late ſerpentes, collectio tuberum nimis operoſa ſit; ſaporem caſtaneis ſimilem laudat, quarum ad modum etiam praeparantur.

p. 151. 7) *Vlterius de iiſdem tuberibus* agit C. B. SKYTTE. Inprimis farinae quantitates comparat, in illis, et in tuberibus ſolani eſculentis contentae. Tuberum lathyri 7 ½ vnciae, et aequale pondus tuberum ſolani flauorum experimento adhibuit, radula comminuit, plus farinae ex lathyro obtinuit, cui aqua infuſa, vt quae cum amygdalis eſſet trita, albebat, nullo ſapore ingrato. Expreſſa aqua, maſſa reſidua tuberum lathyri ponderabat paulum vltra vnciam, ſolani, paulum vltra ſemiunciam. Farina ſicca lathyri ponderabat ſemiunciam cum eius dimidio, ſolani dimidium ſemiunciae. Solano plus aquoſi ineſt.

p. 154. 8) *Gruem* (Kran), qua onera eleuantur, deſcribit GILB. SHELDON, claſſis reg. bellic. architectus. Funium ope diuerſimode inclinatur, et in quouis ſitu firmatur.

p. 160. 9) *Araeometrum, nitri in puluere pyrio contenti* quantitati reperiendae, deſcribit NIC. LINDBLOM.

p. 170. 10) *De acido aëris* agit TORBERN BERGMAN. Illud ſumit eſſe *aërem fixum*, quem vocant. Eum acidum eſſe oſtendit ſapore, quem largitur, aquae illo impraegnatae; ſalibus mediis, quos alcalinis iunctus procreat; aliis acidi effectibus; v. c. eo quem

in

in calcem edit. Pauculo acidi aërei, (aut aëris fixi, his enim vocibus pro ſynonymis vtitur Noſter), in aquam calcis introducto, primo naſcuntur flocci, et incipit praecipitatio, addita maiore copia, clarus fit liquor, et ſoluuntur flocci, qualem ſolutionem claram per plures annos ſeruat. Lapidem calcareum p. 178.
pro ſale medio habet, quod paradoxum vt excuſet, praefatus de incertis claſſium, in quas diſpeſcimus res naturales, limitibus, et characteribus parum ſufficientibus, monet alia ſalia minore, alia maiore aquae copia ſolui, itaque cogitari poſſe ſal, quod non ſoluatur, niſi a maiore aquae copia, quam quae ſimul illud poſſit circumdare. Eius ſolutio non continget, niſi circumſtantiis quibuſdam adiuuantibus, vt victrice acidi copia, calore, cet.

Calx vſta, quod ſolubilis ſit, aqua calcis doceri. p. 179.
Acidi vero in aëre praeſentiam et aliis phaeno- p. 180.
menis oſtendi, vt eo, quod cauſtica alcalinorum aëri libero expoſitorum qualitas perpetuo minuatur. Oleum tartari per deliquium mitius eſſe, ſolutione ſalis eiuſdem, eadem quantitate ſumti, in aqua pura. Spathum calcareum vſſit BERGMANNVS, donec cum acido non amplius efferueſceret, ponderis $\frac{2}{5}$ perierunt, aëri libero expoſitus, poſt breue tempus, oſtendit efferueſcentiam affuſo acido, quae qualitas quotidie creuit, aucto ſimul pondere, vt denique amiſſae $\frac{2}{5}$ ipſi fuerint reſtitutae. Eſſe igitur, colli- p. 181.
git Noſter, acidum aliquod, vbique et ſemper circa ſuperficiem globi noſtri reperiundum, quod rectius *acidi aërei* nomine appelletur, quam minus congruo, *aëris fixi*. Cum multo grauius ſit aëre vulgari, ſpatia ſuperficiei telluris proxima occupat, aſcendit tamen ex materiis deflagrantibus, plerumque vno loco haerens, quod pondus frictionem non ſuperat. Id acidum cum variis temporibus, varia ratio- p. 182
ne, aëri admixtum ſit, ad mutationes in corpore ani-

 mali

mali varias producendas aptum eſt, quarum cauſſae ignorantur, donec Medici magis ad illud attendant. Miſcetur vero aëri, dum exit e corporibus varia ratione deſtructis, nam illorum principia proxima, aëre fixo, quem dicunt, velut glutine coniun-
p. 183. gi, ſeparato illo, dilabi, chymia docet. Quod aër, quem exſpiramus, velut corruptus eſt, neque inſpirationi rurſus idoneum, videtur illud acidum aëreum eſſe, in pulmonibus a corpore ſeparatum, et exſpiratione eiectum *). Nam ſpiritu ſuper aquam calcis claram emiſſo, flocci naſcuntur, et praecipita-
p. 184. tio, omnino vt ab illo acido. Iam quomodo ad varias res ſe habeat, aqua deſtillata, illo acido aëreo ſaturata, narrat. Et grauitatum quidem ſpecificarum deſtillatae et ſaturatae ratio eſt 1 : 1,0022; ſi ſaturata duos dies aperta ſtet, in loco calente gradibus 15 Suecicis, (inter puncta glaciei et aquae ebullientis numerantur gradus 200) grauitas eius ſpecifica decreſcit ad 1,0018; et ſic magis magisque, donec minuatur, ad illam aquae deſtillatae. Calore et ſuperficie maioribus, id decrementum citius contingit.

p. 186. II) DAN. MELANDER inquirit in *orbitam a planeta deſcribendam*, ſi maſſa ſolis, et adeo vis abſoluta, qua planetas attrahit, data lege diminuatur, vel augeatur.

Trimeſtre tertium.

p. 193. I) CHRISTIANVS BIÖRKLVND edit *obſeruationes phyſicas et oeconomicas*, inſtitutas in itinere *Petropoli Poltauam* ſuſcepto. Totus ille tractus, 1500 Verſtarum Ruſſicarum, vel planus eſt, vel collibus mediocribus diſtinctus. Syluae non multae, nec magnae, quae quotidie magis ab incolis deſtruuntur.

*) cf. PRIESTLEVI ſententia. vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 466.

untur. Incolarum oeconomia deſcribitur, alia in Vcrainia, quae dicitur, quam Ruſſorum, vt et terrae conditio alia eſt. Quidquid hoc eſt terrarum, olim p. 208. magis aquoſum fuiſſe colligit Noſter, fluuiis perpetuo decreſcentibus. Sed quae huic aſſerto ſubſternit, vt alia, quae refert, prolixiora ſunt, quam vt huc transferri poſſint.

2) *Gulonis*, quem viuum ſeruauerat, hiſtoriam p. 215. enarrat OLAVS GENBERG, Praepoſ. et Paſtor Offerdalenſis in Iemtlandia. Animal, octo dies circiter natum, Maio 1771. Lappo ceperat, a quo filius *Genbergii* emit. Ita in domum Praepoſiti, ſub exitum Iunii peruenit, primo lacte nutritum, cum adoleſceret, iis circiter rebus, quibus canes veſcuntur. Satis mite animal, niſi ad iram excitaretur, aut eſuriret. Canes adeo non timuit, vt aliquando, licet catena eſſet alligatum, cum duobus validis, qui illud aggrediebantur, feliciter pugnaret, viribus pollens pro ratione corporis non magni. Auguſto menſe 1772. Sundswalliam miſſum, inde naui Holmiam vectum. Viſitat liberum animal cellas penuarias Lapponum, quas vel in ſubterraneis condunt, vel in arboribus celant. Eam ob rem *Snop* dicitur, quod viſitatorem dicit, item *Fiällfras;* Gulonis nomen certe iniuria ipſi tribuitur, cum non adeo vorax ſit *).

3) *Gulonem* deſcribit IO. LINDWALL M. D. p. 222. qualis ex Iämtlandia miſſus, idem de quo articulus praecedens agit, plures ſeptimanas in area ſtabuli vixit. LINNAEO vocatur animal Muſtela

G 4 Gulo

*) Vox *Fiällfras* animal edax, *montanum* denotat. Quid ſi ex prima parte nominis, male intellecta, *Vielfras* natum eſſet, omneſque de *gulone* fabulae huic errori originem deberent? cf. PALLAS Spicileg. Faſc. XIV. de quibus vid. infra.

Gulo pedibus fiſſis, corpore rufo fuſco, medio dorſi nigro. S. N. ed. XII. T. I. p. 67. Multa, quae poſt OLAVM MAGNVM de animali boreali narrantur, in
p. 227. hoc ſaltim non reperit. Non odorem tetrum, non ingluuiem, certe tribus diebus veſcebatur vitulo, qui antequam ederetur, ex vtero matris exemtus erat. Obiit animal ignota ex cauſſa: is, cuius curae commiſſum erat, proiecit cadauer, nemine ea de re monito. Viuum tamen hic duplici ſitu depictum ſiſtitur, ſtans a latere, iacens, facie ſpectatori obverſa. Ex picturis et deſcriptionibus iudicauit LINNAEVS, ad vrſos referendum eſſe.Upereſt, vt inquiratur, an ſit illi character vrſi, penis oſſeus curuus?

p. 230. 4) *De Gulone* IONAS HOLLSTEN, Paſtor in Lapponiae Regione Luleå, Parochiae Quickjock, refert, quae vel ipſe vidit, vel fide digna accepit. Primo deſcribit animal. De moribus haec narrat:
p. 232. Habitat in ſyluis altiſſimorum montium, vbi facilius venatores effugiet, parit in eorundem montium latebris, quo homines non penetrant, vt raro parui reperiantur; edit vno partu duos aut vnum. Primo anno corporis incrementum omne attingit. Non velocius currit canibus, ſed curſum diutius continuat. Canes venatorii aſſequuntur animal, non occidunt, tum quod validius ſit, tum quod tetro odore abſterreantur. (Excrementa in canes emiſit, quod GENBERG nutriit.) Rangiferos dum hieme lichenem, quo veſcuntur, ſub niue profunda quaerentes, demerſum caput habent, inſilit, et ita occidit, aeſtate arborem conſcendit, ex qua deſilire poſſit in rangiferos, qui ſub illa paſcuntur. Seniori dentes excidunt, tunc vitam vtcunque formicis rufis ſuſtentat. Animal maius, quod occidit, non vt fabula

fabula eſt, ſtatim totum deuorat, ſed, quod ſupereſt, defodit, aut in promtuario aliquo futurae fami ſeruat.

5) SAM. GVST. HERMELIN, Rei Metallicae praefectus, deſcribit *fodinam lithanthracum* in loco *Boſerup* in *Sconia;* ſimul de aliis agit, ad lithanthraces eius prouinciae pertinentibus. p. 236.

6) *Currum leuem*, quem vnicus equus facile protrahet, qui tamen in itineribus adhiberi poſſit, deſcribit CAR. IAC. A QVANTEN. p. 254.

7) *Aconitum Napellum vſui medico adhibitum*, narrat CAR. MAGN. BLOM, M. D. Caſus tres ſunt, quos in noſocomio Holmienſi 1762 obſeruauit, dolorum arthriticorum, puluere inprimis ſanatorum, cuius hanc edit formulam: ℞. Extr. Aconiti gr. ij.; Sacchar. albiſſ. dr. ij, terantur optime in mortar. marmor. in pulu. tenuiſſ. diuid. in vjjj. p. aequ. D. Pulueres ſub initium dedit, vnum aut duos quotidie, auxit quantitatem ſenſim, vſque ad octo. p. 258. p. 259.

8) *Corbium apibus ſeruandis* praeſtantiam prae *receptaculis ligneis* (*Stöcke*) experientia ſua docet, PETR. ERIC. PRINZENSTIERNAM. Scilicet frequentius et certius ex corbibus noua examina prodeunt. p. 263. p. 264.

9) *Obſeruationes thermometricas in puero quinquenni, variolis laborante*, inſtitutas recenſet ANTON. ROLANDSSON MARTIN. Illarum hoc ſit ſpecimen. Secundo morbi die, hora 5 p. m. calores abdominis graduum 37; pectoris 37; manus 36; pedis 34; Pulſus arteriae temporalis 97; ad carpum 118; minuto temporis primo, eodem tempore reſpira- p. 268. p. 269.

ſpirationes 22. Generalia ex obſeruatis haec col-
p. 270. ligit: Abdominis calor maximus ſub initio ſtadii primi et tertii, maximo proximus ſub finem primi
p. 271. ſtadii et in medio ſecundi. Laxantibus, ante euacuationem, vno aut duobus gradibus augetur calor. Pectus maxime calet ſub initio ſtadii primi. Manus maxime ſub eiuſdem ſtadii finem, pes maxime in ſtadio tertio, antequam intumeſceret. Cum intumuit, minus calet, totoque morbo pedum calor minimus eſt. Pulſus ad tempora frequentiſſimi ſtadio primo, deinde ſtadii tertii initio, cum maxime tumeſceret facies; ad carpum frequentiſſimi toto ſtadio primo, inprimis die tertia, antequam miaſma varioloſum carnem intraſſet. Cum variolae omnes emerſiſſent 6ta die, pulſus ad carpum tardiſſimus, cum detumeſceret facies, paulo frequentior, quod ceſſabat, quam primum pedes tumeſcerent. Reſpiratio maxime preſſa et celerrima die tertia, toto tunc corpore, antequam exiret venenum varioloſum, a ſpaſmis et irritationibus agitato et tenſo.

Trimeſtre quartum.

p. 274. 1) DAN. MELANDER ſtudet explicare aliquod *barometri phaenomenon*. Si magna iam altitudo mercurii in barometro continuo augeatur, ſaepius pluit, contra ſerena eſt tempeſtas, cum breuior columna mercurii continuo decreſcit. Id quomodo ſequatur, ex aëris denſitate per vapores mutata conatur oſtendere. Neque vero hoc contradicit vulgatis coniecturis, quae ex alto aut humili mercurio ducuntur. Nam illae conſtantem aliquem, aut fere conſtantem ſtatum mercurii ponunt, Noſter per aliquot dies dicta lege variabilem.

p. 281. 2) Varia ad *ſericum in Finnlandia* obtinendum facientia tradit PETR. ADV. GADD. Mori in cli-

mate

mate illo frigido in territorio arenoſo plantandae ſunt, albae, nam nigrae et rubrae delicatiores ſunt. Optat tentari morum Tataricam, circa Aſoff creſcen- p. 283.
tem, cum aliae plantae Tataricae in Finnlandia laete proueniant. Morum, aeque ac Iuglandem Americanam, primo anno cum floret, obſeruauit non niſi ſtamina producere, ſequentibus annis cum etiam piſtilla prodeunt, ita diminuitur ſtaminum numerus, vt fructificationi non ſatisfaciant. Igitur, licet arbor ad monoecias pertineat, fruſtra tamen quis ab illa ſtatim exſpectet ſemina propagationi idonea. Haec forte cauſſarum vna eſt, cur ab exteris regionibus miſſa ſemina, non ſemper germinent. Eruca antequam in chryſalidem abiret, pon- p. 285.
dus reperit 122 aſſium Troicorum, (*aſs Troy gewicht*) chryſalidis cum phalaena, quam continet, 49 aſſium, vt quinque diebus fere duas tertias ponderis perdiderit. Phalaena, antequam oua ederet, 15 aſſes ponderauit, 7 ouis liberata, ouorum feminae vnius ſaepe 411 numerauit. Edunt etiam feminae oua ante copulam cum mare, adeoque infecunda, lenia, alba aut leuiter fuſca, non griſea vt fecunda, ſimilia in phalaena Leopardo et aliis obſeruauit. Inimici erucarum ſunt araneae et Ca- p. 286.
rabus Leucophthalmus. Chryſalidum phalaenis exituris adhuc plenarum auidiſſimae ſunt feles, Noſtro felis tempore 8 vel 10 minutorum 200 chryſalides deſtruxit.

3) *Thunbergiam* nouum plantae genus, e ca- p. 288.
pite bonae ſpei, deſcribit LAVR. MONTIN, M. D. Med. Prov. Hollandiae. CAR. PETR. THVNBERG, Suecus, in capite b. ſp. per ſeſqui annum commoratus, itinere etiam in terrae interiora inſtituto, vltra 1200 ſpecies plantarum collegit et inter illas plures ante non cognitas. Continuabit induſtriam

ſuam

ſuam in inſulis Indiae Orientalis. Miſit MONTINO ramuſculum arboris elegantiſſimum, ex quo, in auxilium vocatis THVNBERGII annotatis, deſcriptionem concinnauit MONTINVS et picturam addidit. Exiſtimat vero, mereri plantam, cui nouum genus tribuatur, et ita nomini eius ſeruando deſtinat, a quo acceperat. Proxime accedit ad Gardeniam, a qua tamen diſtinguitur *calyce* monophyllo, cylindrico, prope baſin hirſuto, ſupra glabro, pilis adſperſo, corollae tubo triplo breuiore, ad latus apicis dehiſcente, dum erumpit flos, intus viſcoſo villoſo, coronato foliolis ſeptenis, ſenis, vel paucioribus, petio latis, cucullatis; *Corolla* monopetala eſt, limbo nouempartito, *filamenta* nulla, *antherae* nouem lineares, *ſtigma* oblique truncatum, quinqueſulcatum, ſulcorum marginibus reflexis: *pericarpium* pomum ouatum, ſubrugoſum, glabrum, vireſcens, vniloculare, quinqueualue, polyſpermum, magnitudine oui gallinacei. Colitur planta in hortis promontorii, abſque cultura creſcit in interioribus regionis vicinae. Europaei Capenſes vocant *Wilde Ratje Piring*, veram Ratje P. appellant Gardeniam floridam. Floret exeunte Ianuario, et initio Februarii, flores elegantiſſimi non niſi vnum diem durant ſinguli, ſed quotidie ſuccedunt alii: Odor gratus eſt, niſi quod admixtum habeat pauxillum odoris Daturae ſtramonii. Rariores ſunt corollae, limbis nouempartitis aut decempartitis, antheris nouem aut decem.

p. 292. 4) FRIDR. MALLET deſcribit, *caementum* dom. *Ulfſtröm*, muris, quos aqua alluit, firmandis idoneum.

p. 298. 5) Huic deſcriptioni quaedam *addit* SVEN-KINMAN.

6) *De*

6) *De vſu nucis vomicae contra dyſenteriam* p. 301.
IO. OTTO HAGSTRÖM. M. D. Med. Prov. in Oſtrogothia. Cum auctumno 1772 graſſarentur febres putridae et dyſenteria, medicamenta, alias adhiberi ſolita, effectum non cito ſatis edere reperit, inprimis vero cariora eſſe, quam vt pauperibus praeſcribi poſſint. Itaque, monitus ſententia celebrium p. 302.
medicorum, Dyſenteriam epidemicam eſſe haemorrhagiam inteſtinorum ab acaris, in nucem vomicam incidit, quae animalibus maioribus lethifera, forte et acaros necatura ſit. Aegros primum euacuauit rhabarbaro cremori tartari mixto, deinde quotidie praebuit puluerem nucis vomicae ſcrupuli pondere. Ita plurimos ſanauit, quorum longum texit catalogum. Parochis puluerem praebuit p. 307.
ruricolis diſtribuendum. In ſola parochia Schedwi p. 308.
illo 245 vſi ſunt; ex 255 dyſenteria laborantibus, non niſi 22 occubuerunt, inter quos infantes 20, quibus acerbum illud remedium ingeri non poterat, alii tardius adhibuerunt remedium, quam vt morbus vinci illo potuerit. Etiam abſque rhei vſu praecedente profuit. Suadet tamen, id abſque neceſſitate non omitti. Delicatioribus bolos ex nuce vomica cum electuario diaſcordii praebuit. Multi vnico puluere ſumto ſanati ſunt. Inprimis profuit hominibus aetate adhuc vigentibus, labori manuum intenſiori adſuetis; melius praebetur in aqua aut cereuiſia calida, quam in frigidis. Praeter hoc medicamentum cum fructu adhibuit butyrum non ſalſum, pinguiſſimam partem lardi, puluerem pyrium ſpiritui frumenti immiſſum; quibus in ea opinione confirmatur, vim morbi ab acaris eſſe, cum oleoſa et ſulphurea acaris inimica ſint.

7) *De parandis tubis ſclopetorum* eo modo, p. 311.
qui ab vrbe *Damaſco* appellatur, (*Damaſcirtes Schieſſgewehr*)

gewehr) agit PETR. WÅSSTRÖM. Laminae ex chalybe et ex ferro, alternatim ſibi appoſitae, igne et malleo vniuntur. Multa alia ad eam artem pertinentia tradit.

p. 318. 8) Quaedam *eadem de re* addit SVEN KINMAN.

p. 322. 9) IO. MELDERCREVZ tractatum *elementarem* orditur *de lineis ſecundi ordinis*, innixum illi definitioni, ex datis duobus punctis, ductas ad idem curuae punctum rectas, eandem ſemper conſtituere ſummam aut differentiam.

p. 335. 10) *Olof Birgerſon*, ruſticus, *machinam* inuenit *lapidibus maioribus ex agris eruendis* et *auehendis*. Eam deſcribit IONAS NORDBERG.

p. 343. 11) PETR. KALM *crataegum coccineam* ſepibus viuis adhibendam commendat, tum quod aculeis denſis acutis, fortibus, animali cuiuis impenetrabilis ſit, tum quod rigidiſſimas hyemes Finnicas toleret ipſa crataego oxyacantha, quae indigena eſt, melius. Planta eſt Americae Septentrionalis, ab Anglis nomine appellatur, quod calcar galli indicat, *CockſparHawthom:* Sueci Americae borealis incolae, idem nomen ſua lingua expreſſerunt *Tupp-Sporre Hagtom*. Semina non matureſcunt, niſi cum aeſtatis calor intenſior ſatis longo tempore durat. Culturam plantae Noſter docet.

p. 349. 12) *In vrbe* Weſterås, *et pago adiacente*, *natorum*, *vita functorum*, *matrimonio iunctorum*, qui *numeri* fuerint inde ab anno 1623 ad 1753. refert, ABRAH. HÜLPHERS ABRAMSSON, additis, quae ex

hàc

hac computatione duci poſſunt, conſectariis, et ſubiunctis iiſdem numeris vſque ad 1773.

13) *De lapide ſciſſili, ſal Epſomenſe continente*, p. 357.
agit Cl. MONNET. Prope locum *Lottry* in Nor- p. 358.
mandia inferiore lithanthraces effodiuntur. Materiam illis circumiectam examinaturus Noſter, in aëre libero torruit, vbi ſulphuris multum in auras abiit, toſtae aquam ſuperfudit, lixiuium coctione diminuit, cryſtalliſationi expoſuit, poſt horas 24 egregias cryſtallos ſalis Epſomenſis reperit. Lixivium denuo coctum, rurſus ſal Epſomenſe dedit, ſapore ſtyptico, qui alumen et vitriolum indicaret. Coxit lixiuium cum calce vſtá, donec euaneſceret ſapor ſtypticus, et vnice ſupereſſet amaritudo ſalis Epſomenſis, ſequutus theoriam ſuam, calce vſta, praecipitari terram aluminis et ferri, non, baſin ſalis Epſomenſis. Lapis ſciſſilis, quem hoc modo tractauit, griſeus eſt, particulis ſubtilioribus conſtans, quam terra aluminis. Deinde pyrites varios repe- p. 359.
rit, qui, cum aëri expoſiti dilaberentur, ſal Epſomenſe et alumen oſtenderent. Itaque tres terras diſtinguit, quae acidis vnitae, ſalia omnino diuerſa exhibeant, calcem, baſin ſalis Epſomenſis, et argillam. Nominatarum media non fluit in igne, perdit vero tantum non omnes proprietates alcalinas, in acido vitrioli coquenda, antequam ſoluatur, ſed et poſt illam coctionem, ſal Epſomenſe aeque perfectum praebet, ac ante. Cum ſulphure leuiter vnitur, hepar ſulphuris ſic natum facile ſeipſum deſtruit, et verum ſal Epſomenſe relinquit.

14) CAR. LEONH. STÅHLHAMMAR monitum p. 359.
ſequutus, quod iam in actis ac. 1754; p. 236. legitur, ex ſucci aceris cantharis 24 coctione 20 horarum obtinuit cantharum ſyrupi, optimo ſyrupo ſacchari,

ſacchari fere praeſtantioris, fruſtum etiam ſacchari in fundo. Item ex ſucco betulae ſyrupum coxit, illo, quem acer praebuit, paulo dilutiorem, ſed vulgari ſyrupo fuſco multo meliorem.

VIII.

D. IOH. FRIEDR. BLVMENBACHS, *der Med. Prof. ord. zu Göttingen, Handbuch der Naturgeſchichte. Mit Kupfern. Göttingen, bey Johann Chriſtian Dieterich,* 1779. *Zweyter Theil. Ibid.* 1780. 1 *Alph.* 14 *Bogen.* 8. 2 *Kupfert.*

i. e.

Liber manualis ſuper hiſtoria naturali, Auctore D. IO. FRIDER. BLVMENBACH. P. I. et II.

Hoc libro primos limites *vniuerſalis* et *ſpecialis hiſtoriae* naturalis ſimul comprehendere, maximeque iis, qui ſcientiam primis labris tantum delibare, atque amoena naturae miracula magis audire, quam rimari cupiunt, proſpicere voluit. Ideoque vniuerſalem naturalium, animalium, plantarum et mineralium conſiderationem praemiſit, ac praeſertim ſtructurae et actionum rationes in organiſatis, mixtionis vero in mineralibus diuerſitates, atque vſum corporum naturalium commemorauit, vbi ſatis ampla, atque ſi dicendum, quod res eſt, nimis verboſa ſcribendi ratione vtitur. Formarum ſpecialium diuerſitates, quae certis artis terminis explicarentur, non indicauit, neque hos terminos explicuit. Deinde etiam ex ſpeciali corporum hiſtoria varia, maximeque nouitatis cupidinem ſopientia, recenſuit. Generumque et ſpecierum characteres Latine

vt plurimum ex Linneano ſyſtemate excerpſit, nonnumquam tamen etiam mutauit. Itaque haud paucas nouas obſeruationes, tum quoad phyſicam naturalium cognitionem, tum quoad eorum claſſificationem, hic propoſuit. Libros, tironibus vtiles, indicare ſuperfluum iudicauit: raros tamen vel anatomicos libros, vel a phyſicis praeteruiſos, nonnumquam ex diuite Bibliothecae Gottingenſis theſauro nominauit. In eo, quod characterum et formarum conſiderationem *ſiccam* dicat, ſubſcribere Cl. Auctori non poſſumus. Plantarum conſideratio tantum vniuerſalis in parte altera traditur: nomina generum recenſere ſterilem laborem dicit, hiſtoriam ſpecierum vero in Botanica tradendam eſſe. Sed nonne eſt etiam phyſica plantarum conſideratio botanices pars? Poteſtne plantarum ſtructura rite doceri, ipſa cognitione plantarum omiſſa? Iam de nonnullis ſigillatim moneamus, omiſſis tamen plurimis, in quibus a Cl. Auctore diſſentimus.

In animalium deſcriptione ſentiendi facultatis, et in mineralium origine declaranda mixtionis partium conſtitutiuarum nulla fit mentio. Cor- p. 10.
pora, quorum natura nondum ſatis cognita eſt, e. g. *Spongias* et *Fungos*, tamdiu in *Regnum neutrum* locanda eſſe, donec demonſtratum ſit in quodnam regnum, in animale, aut vegetabile pertineat. Naturae catenam ſ. nexum neque in gradatiua forma- p. 13.
tione corporum, nec in eo, quod hoc plantas cum animalibus, illud plantas et lapides nectat, ponit: ſed in operibus vnicuique corpori demandatis, quae viciſſim non iuxta formam, ſed iuxta eorum finem ſibi ſint vicina, quaerit. Animalcula ſper- p. 18.
matica Cl. Auctor infuſoriis ſimilia dicit. In gene- p. 17.
ratione explicanda, quaeſtiones vnde prima mate-

ries corporum organicorum oriatur, et quibusnam viribus eadem efformetur multis adhuc dubiis pre-
p. 21. mi recte ſtatuit. Ipſa *generatio* aequiuoca Auctori Cl. ſaepius illuſa, quam rationibus refutata videtur: vermium ſaltim inteſtinalium vera certaque differentia ab omnibus aliis fluuiatilibus vel lacuſtribus; aſcaridum in animalibus nondum natis a RONSEO et BRENDELIO probata praeſentia, atque Taeniarum in canibus, paucis poſt partum horis a Cl. Auctore diſſecatis, omnem inteſtinorum canalem replentium ingens copia, quibus addi poſſet *Taeniarum hydatigenarum*, in cerebro ouium nidulantium, detectio *), Cl. Auctori et nobis etiam, ex hactenus aſſumtis dogmatibus non declarari poſſe videntur.
p. 22. Monſtra partim malae peruerſaeque praeformationi germinum tribuenda cenſet, exemplis a cochleis ſiniſtrorſum conuolutis, et anatomia monſtrorum per exceſſum ſumtis: at multae etiam adſunt rationes, quae cochleas ſiniſtras, ſpecie a dextris differre probent.

p. 31. In animalium vniuerſali conſideratione deſideramus circuli ſanguinis, reſpirationis, organorum
p. 56. ſenſuum, generationis deſcriptionem. In iudicio de methodo LINNEANA Cl. Auctor non attendiſſe videtur, ſummum virum in conſtituendis generibus magis naturae inſtitiſſe, quam characteri artificiali adhaeſiſſe, atque id quidem conſulto. Atque recte quidem Erinaceum et Talpam ad Feras reduxit LINNAEVS: Quemadmodum enim Leo et Tigris nobis maioribusque animalibus metuendi ſunt, ita et Erinacei et Talpa minora animalia vorant, et ab iis timentur. Iuxta methodi naturalis regulas igitur Mammalia in duodecim ordines diuiſit: nempe Ordo

*) vid. LESKE *vom Drehen der Schafe:* cuius libri ſummam proxime indicabimus.

Ordo I. *Inermis.* Homo.
— II. *Pitheci*, animalia quatuor manubus, vt *Simiae* et *Lemures.*
— III. *Bradypoda*, longis vngulis praedita, tarda. *Myrmecophaga*, *Bradypus.*
— IV. *Sclerodermata*, vel aculeis, *Hyſtrix;* vel ſquamis, *Manis;* vel ſcutis, *Daſypus*, inſtructa.
— V. *Chiroptera*, Veſpertilio.
— VI. *Glires.*
— VII. *Ferae;* Vrſus, Canis, et Felis tantum.
— VIII. *Solidungula*, Equus.
— IX. *Biſulca*, ſ. Pecora LINN. et *Sus.*
— X. *Bellua.* Tapir, Elephas, Rhinoceros, et Hippopotamus.
— XI. *Palmata*, Caſtor, Lutra, Phoca, Trichechus.
— XII. *Cetacea.*

Ex ſingulo genere quasdam ſpecies nominavit, et de iis nonnunquam ſua ipſius obſeruata refert. Sic *Myrmecophagas* ſemper auribus pendulis eſſe, ac, ſi periclitentur, ſeſe conuoluere, mutasque eſſe, quod a laryngis cartilaginibus oſſeis derivat; a quibus non ſimplex trachea, ſed duo membranacea bronchia in magnos loboſos pulmones deſcendebant. *Erinaceum* cum *Hyſtricibus* in vnum genus, inuita natura, vnit. In *Veſpertilione Moloſſo*, cuius icon additur, dentes primores, ſuperiores 2, acuminatos, inferiores 2, breues obtuſos; caninos ſuperiores magnos diſtantes, inferiores minores propinquiores, atque introrſum ſingulos dente, quem quidam ſingularem dentem primorem habuerunt, inſtructos: quatuor autem molares in ſingulo latere, ſuperiores planiores, inferiores cuſpidatos vidit. Inter Glires noua genera, *Glirem*, quorſum

p. 71.
p. 72.
p. 79.

 Sciurus

Sciurus Glis LINN., *Marmotam*, *Cauiam*, *Iaculum*, conſtituit. Ad Glires autem etiam refert *Sorices*, *Talpas*, *Didelphides*, *Lepores*, *Muſtelas*, et *Viuerras*: num recte, iudicent alii. Nobis ſaltem *Mus muſculus* LINN. multo longius a *Viuerra* lotore, Mele, et Melliuora Cl. Auctoris diſtare videtur, quam omnes *Ferae* LINN. a ſe inuicem. Diſtinguit *Viverram Ichneumonem* LINN. omnino *a Muſtela Ich-*
p. 115. *neumone* (SEBAE *theſaur.* I. t. XLI. f. 6.) *Ouem* cum *Capra* vnit.

p. 153. Sequitur auium conſideratio, in qua generales proprietates egregie exponit. Hic etiam organorum aëreorum ſtructuram deſcribit. Saccos in abdomine potiſſimum excretionem ſcybalorum iuuare et diaphragmatis carnoſi vices gerere ait. Roſtra caua Ramphaſtorum, Bucerotum et Pſittacorum
p. 169. etiam caua aërea eſſe, nec olfactui ſeruire. Notatu etiam digna ſunt Cl. Auctoris circa oua auium, at-
p. 123. que euolutionem pulli obſeruata. *Cicatriculam* in vitello nihil niſi veſiculam eſſe putat, cuius leuitate efficiatur, vt germen pulli ſub ea repoſitum ſemper ſuperiorem locum occupet, in quocunque oui ſitu; eundemque etiam vſum praeſtare *Halones*, atque *colliquamentum* ſ. *nidum pulli*: has enim partes per quoddam tempus tantum adeſſe, atque, quo magis pullus eiusque membranae augeantur, eo minores fieri, ac ſenſim plane deleri. Prima pulli rudimenta, 10 vel 12 horis poſt primum matris obſeſſum conſpici, non tamen prius diſtincte a veſicula amnios dignoſci poſſe, quam ſub diei ſecundi finem; praegreſſis 38 horis rudimentum cordis cognoſci, quod tamen quinquageſima demum hora primum motum offerat: eodem etiam tempore oculos iam magnos apparere: quarto die fetum arcuatim flecti, tum etiam ventriculum inteſtina ac membra-

membranam vmbilicalem conſpici: quinto die pulmones comparere, atque ſub finem huius diei motum totius animalculi Cl. Auctor obſeruauit. Decimo quarto die pennas prorumpere, ac decimo quinto viſcera vitalia perfecte eſſe formata: tum iam pullum aërem ſpirare, ac vndeuiceſimo die ſonum iam edere poſſe, et ſub finem viceſimi primi perfectum eſſe, vt ouo excludatur. Hos terminos euolutionis media ratione indicauit, pro varietate enim caloris vel longiores, vel breuiores ſunt. In nonnullis figuris etiam primae euolutionis in ouo veſtigia adumbrauit.

Etiam auium claſſem in alios ordines diuidere viſum eſt, quorum nonnulli quidem cum Linneanis conueniunt, ab aliis vero quaedam genera ablata ſunt: nempe p. 180.

Ordo I. *Accipitres.*
— II. *Leuiroſtres*, vt Pſittacus, Ramphaſtos Buceros.
— III. *Pici*, horum genera ſunt: Picus, Iynx, Sitta, Alcedo, Merops, Vpupa, Certhia, Trochilus.
— IV. *Anſeres.* Huc etiam refert *Phoenicopterum.*
— V. *Struthiones*, nempe Struthio, Caſuarius et Didus, quem tamen haud dubie fictam auem eſſe nuperae relationes docent.
— VI. *Grallae.*
— VII. *Gallinae*, quibus et Columbas ſubiungit.
— VIII. *Coraces:* Coruus, Coracias, Paradiſea, Cuculus, Oriolus, quo aptiſſime tranſitum fieri putat ad
— IX. *Paſſeres.*

 Nobis

Nobis haec ſeries, non magis ad naturalem ordinem accedere videtur, quam Linneana: Aues enim aquaticae et paluſtres aeque ſunt a terreſtribus diuulſae; viditque recte LINNEVS *Picas* ſuas omnes, pluribus proprietatibus conuenire, ideoque non ſolum roſtri figura innitebatur. Hic enim Coraces nimis longe a Picis diſtant, ſic quoque Struthiones, vix naturae conuenienter, Anſeribus et Grallis interponuntur.

Amphibia, *Piſces* et *Inſecta* iuxta LINNEI ſyſtema
p. 255. contemplatur Cl. Auctor. *Sirenem Lacertinam* ex ana-
p. 258. logia Laruam eſſe coniicit. Ranam Pipam, ouo excluſam, etiam metamorphoſin ſubire, ex animantium in ſpiritu ſeruatorum ſerie demonſtrat, in aliorum enim dorſo oua nondum excluſa, in aliis caudatae laruae,
p. 259. in allis ecaudatae Ranae nidulantur. *Ranam paradoxam*, etiam metamorphoſi peracta, caudatam eſſe in exemplis muſei Göttingenſis obſeruauit: at eam etiam caudatam manere inde nobis ſequi non videtur, conſtat enim etiam Ranas Europaeas, pedibus iam inſtructas, per aliquod tempus etiamnum cau-
p. 263. da inſtrui. *Crocodilum* Americanum, Lacertae *Alligatoris* nomine, a reliquis diſcernit his ſignis: *capite imbricato plano*, *nucha nuda*, *cauda ſuperne lineis binis lateralibus aſpera.*

p. 281. Circulum ſanguinis deſcribit in piſcibus modo, qui ARTEDII, DVVERNEYI, GOVANI et noſtris obſeruationibus plane repugnat. Ait enim ex cordis auricula ſuperiore oriri aortam, quae protinus in duos ramos diuiſa ad ſuperiorem maxillae partem aſcendat, atque pro numero branchiarum in 4 ramos diuidatur, in inferiore autem maxillae parte, ſanguine per branchias transgreſſo, iterum in aortam deſcendentem vniatur, atque hinc corpori ſanguinem aduehat. Arteriarum porro branchialium ſubtiliſſimos ramos in totidem tranſire venas, quae

in quatuor ramos confluunt, et circa ſuperiorem maxillae partem in vnum truncum, venam cauam ſuperiorem vniantur, ſicque ſanguinem branchialem auriculae cordis inferiori tradant, cui etiam reliquus ex corpore ſanguis per duas venas cauas inferiores infundatur. Nos neque hanc cordis ſtructuram, neque arteriae aortae diuiſionem, neque venam cauam ſuperiorem ipſi, plurimos licet piſces ſecabamus, vnquam vidimus, neque talem circulum ſanguinis in piſcibus obſeruauimus.

Cor inſectis tribuit *filiforme et longum*, quod p. 311.
tamen haud dubie Laruis tantum competit, certe tamen non in vniuerſum locum habet. *Oeſtrum ouis* cauſſam vertiginis ouium dicit, laruasque Oeſtri in omnibus vertiginoſis ouibus ſe inueniſſe profitetur, nunquam autem hydatides: id tamen omnino LESKII repugnat obſeruationibus; quem quidem ſaepe cum hydatidibus laruas Oeſtri inueniſſe legimus; ſemper tamen illas, ſi vel hae deficerent. Concedimus etiam laruas nonnunquam vertiginem efficere poſſe, diuerſam tamen ab illa lethali, a hydatidibus producta. Vermium ordines conſtituit quin- p. 407.
que: *Molluſca*, *Teſtacea*, *Cartilaginea*, *Corallia*, *Zoophyta*. *Trichurides* ad *Echinorhynchos* refert. p. 410.
Ad *Cartilaginea*, *Echinus*, *Aſterias* et *Encrinus* re- p. 434.
cenſentur. Poſteriori generi Zoophyton *Boltenii*, quod O. F. MÜLLER Actiniam clauatam dicit, ſubmittit. Ex *Tubulariis*, quas Coralliis ſubiungit, p. 440.
noua eſt a Cl. Auctore in foſſis Gottingae detecta, et *Sultana* dicta.

Altera pars botanicam phyſicam ſ. partium p. 449.
praecipuarum actionum et proprietatum in plantis hiſtoriam, atque mineralium vniuerſalem ſpecialioremque conſiderationem continet. In hac

 hypo-

p. 423. hypotheſin de origine telluris noſtrae Cl. Auctor proponit, quam ex petrefactorum diſquiſitione eorumque comparatione cum prototypis inuentaque, vt putat, diſſimilitudine, tum etiam ex obſeruatione montium quondam igniuomorum formauit. Perſuaſus eſt igitur, tellurem noſtram vnum ſaltem diem ſupremum perpeſſam, atque hanc cataſtrophen ſolo igne ſubterraneo, qui fundum maris elevauerit, terramque continentem inundauerit, productam eſſe: Hinc totum animatum orbem ſubmerſum, animalia aquatica autem exſiccata etiam periiſſe: hinc igitur ingens petrefactorum, nondum in natura detectorum, copia, eorumque regularis ſitus in altiſſimis montibus, quos veſicarum ad inſtar igne interaneo ſublatos eſſe cenſet. In millenis locis igne telluris cruſtam perruptam eſſe, indeque innumeros montes igniuomos, nunc exſtinctos, exſtitiſſe: quorum a Göttinga vſque ad Rheni littora quinquaginta circiter detecta ſunt. Montes altiſſimos, aqua non inundatos, vi ignis tamen ruptos, et diffractos, deinde autem ſenſim iterum conglutinatos eſſe; hinc Granitem, vt plurima petrefacta, Vulcanos extinctos et montes Baſalticos eſſe veſtigia telluris praeadamiticae, atque probe a reliquis mineralibus diſcernenda, quae poſtquam refrigerata tellus iterum rebus creatis animata eſſet, vel ſenſim, vel ſimilibus potentibus cataſtrophis orta ſunt. Etenim igne ſubterraneo atque inundationibus etiam nunc et mineralia deſtrui atque oriri: Ex mortuis corporibus organiſatis et inde paratis ſ. artefactis rebus etiam ingentem mineralium copiam gigni: ipſa denique mineralia deſtrui et in alia mutari. Quid in hac hypotheſi verum, aut falſum, aut probabile ſit, iudicent Lectores.

Sequi-

Sequitur nunc ſingulorum nonnullorum mi- neralium recenſio, quae in cognitas 4 claſſes, terras et lapides, ſalia, bitumina, metalla diuidit, iisque appendicis inſtar petrefacta ſubiungit. Nos autem eam hic vberius recenſere ſuperfluum rati ſumus, cum generum et ſpecierum characteres non naturae ſatis reſpondentes videantur, et mox ex hac, mox ex alia cauſſa quid mutatum, vel omiſſum reperiamus. Mixtionem mineralium, ſolam in diuidendis iisdem reſpiciendam rationem, plus ſemel neglexit, et vel pretium, vel duritiem characteris loco contemplatus eſt. p. 483.

IX.

Anfangsgründe der Naturgeſchichte von NATHANAEL GOTTFRIED LESKE. *Erſter Theil. Allgemeine Natur- und Thiergeſchichte, mit* 10 *Kupfertafeln. Leipzig, bey Siegfried Lebrecht Cruſius,* 1779. 1 *Alph.* 17 *Bogen in* 8.

i. e.

Elementa hiſtoriae naturalis, Auctore NATHANAELE GODOFREDO LESKE. Pars I. hiſtoria naturalis vniuerſalis, et zoologia. tabb. aen. X.

Etſi in hunc potiſſimum finem editus ſit hic liber, vt in praelectionibus Cl. Auctori pro norma dicendorum inſeruiat, vtque auditores, quae viderint et perceperint, in memoriam iterum reuocare poſſint: tamen et ita comparatus eſt, vt naturae ſtudioſi lectione ſola de corporibus naturalibus ſat claram notionem nanciſcantur. Generatim quidem eum ordinem, quem in ERXLEBENII elementis obſer-

vatum eſſe alibi*) diximus, ſecutus eſt. Itaque communia attributa corporum naturalium, organiſatorum atque animalium, characteres externi poſteriorum Germanica et Latina lingua praemiſſa ſunt: non ſolum autem in iis ſaepius ſuccincte magis, omiſſis, quantum fieri poterat, verboſis commentationibus, ſcripſit, verum noua etiaminuenta et rerum plurium copiam commemorauit. Atque cum characteres claſſium et ordinum ad cognoſcenda ipſa corpora non ſufficiant, omnium, hactenus a LINNAEO, PALLASIO, FORSKAELIO, O. F. MÜLLERO conſtitutorum generum nomina plurimorumque characteres, atque exempli loco ſpecies notatu digniores propoſuit. Nomina generica et ſpecifica vtplurimum Latino, Germanico, Gallico et Anglico idiomate, characteres autem Germanice expoſuit. Terminorum explicationem ipſis praelectionibus reſeruandam eſſe duxit, exempla autem, in quo characteres occurrant, adiecit. Atque in praefatione demonſtrat hanc characterum cognitionem minime ſiccam, aut ſuperfluam eſſe habendam, quin imo ex eadem ipſam ſtructuram corporum naturalium, eorundemque mirabilia addiſci; quolibet charactere diverſitatem, atque hac naturam corporum indicare, atque ex his aeque, ac ex vitae ratione et actionibus animalium, ſapientiam atque omnipotentiam creatoris elucere. In iis autem ſpeciebus, quas exempli loco nominauit, etiam vitae rationem, et ſi qua praeterea eſſent notatu digna enarrat. In ipſa animalium expoſitione ſyſtema Linneanum, iis, quae poſtea indicemus, exceptis, ſecutus eſt. Reſtat, vt quaedam ſingularia, aliunde non ſumta, exempli loco proponamus.

Omnes

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 493.

Omnes *veras* atque *naturales* ſpecies ab vno indiuiduo vel indiuiduorum pari, olim ortas eſſe putat; iam autem multas ſpecies eſſe conſtitutas, quae quondam varietates fuere. Alia ſigna ad *partienda*, alia ad *cognoſcenda* corpora naturalia eligenda: illa ex natura eorundem, haec ex effectis priorum ſunt petenda. Sic diuerſitas organiſmi fundamentum praebeat diuiſioni animalium et vegetabilium, diverſitas mixtionis autem mineralium: omnia autem haec regna ſignis externis, quae vel ab organiſmo, vel mixtione pendent, ſunt cognoſcenda atque a ſe inuicem diſcernenda. p. 6. p. 7.

Incrementum corporum non in ſola *extenſione*, ſed in ipſa nouis particulis nutritiis facta *adauctione fibrarum quaquauerſum* ponit: illudque tum ceſſare, cum interſtitia fibrarum adeo repleta, fibraeque tam tenaces ſint, vt nouis particulis interponendis non cedant. Ex hypotheſibus ſuper generatione excogitatis, nulla Auctori omnino cum naturae effectis conuenire videtur. Theoriae enim euolutionis repugnant, infinita paruitas germinum per miriades generationum in ſe inuolutorum, ſuperflua, ſi euolutio locum habet, formatio plurium germinum, generatio corporum ſexu deſtitutorum, atque artificialis vermium et plantarum multiplicatio. Illud tamen certum eſſe putat, partes eſſentiales corporum organicorum, proxime generandorum germina, in matre eſſe, atque a maſculo ſemine vitam atque formam accipere. p. 26. p. 29. p. 34.

In animalium conſideratione vniuerſali phyſiologiae vniuerſalis breuis continetur adumbratio. Auditum iuxta MECKELLI obſeruata explicat. Mammalia iuxta ſyſtema Linneanum recenſet; generum tamen ſeriem in nonnullis mutauit. Sic *Veſpertiliones* Feris poſt *Sorices* ſubmiſit. Bruta p. 38. p. 53. p. 110.

iuxta SCHREBERVM enumerat. *Muſtelam Gulonem* ad *Viuerras* reduxit. Ad glirium ordinem noua aliorum genera, *Cauiam*, *Spalacem*, *Cricetum*, *Iaculum*, addidit, ad Pecora *Antilopem*, et ad Belluas
p. 195. *Tapirum*. Genera, vt animalium generatim, ſic et mammalium ſpeciatim, pluribus aliis ſimul vicina eſſe nonnullis docet exemplis. Sic iuxta habitum *Simiis* proxime ſuccedunt *Lemures* et *Bradypi*, cum Lemuribus autem ſimul cohaerent *Didelphides:* itaque ordo prior ſimul ad Bruta et Feras tranſit. *Veſpertiliones* quidem ſitu mammarum, ſtructura manuum et vita monogamica primatibus ſunt affines, vitae ratione vero feris, et corporis forma muribus ſunt ſimiles; alatu denique tranſitum ad aues efficiunt. Per *Trichechum* Bruta cum *Phocis* ſimul vero etiam cum *Cetaceis* cohaerent. Ferae per *Sorices* ad *Mures*, per *Erinaceos* autem ad *Hyſtrices* tranſeunt. *Lutra* vitae ratione *Phocis* et *Caſtori* eſt affinis. *Elephas* et *Rhinoceros* corporis habitu *Tapiro* et *Hippopotamo* propinqui ſunt, reliquis proprietatibus autem cum *Brutis* conueniunt.

p. 202. Auium corpus totum, vt alatui ſit idoneum, eſt fabrefactum. Hinc earum caput paruum, ouatum, roſtrum corneum, plerumque cuneiforme, aëri tranſcindendo aptum: collum longum et flexile; corpus paruum leue, ſubtus carinatum: Oſſa ſpinae dorſi arcte cohaerentia et connata, ſternumque latum, pluraque eorum caua. Hinc corpori firmitas, quae et clauicula bifurca, et coſtis per proceſſus nexis corroboratur, atque leuitas, pennis cauis et pulmonum ſtructura aucta, conciliatur. A pleura enim et membranoſo diaphragmate ſacci quidam ab vtroque latere deſcendunt, atque omne
p. 215. abdominis cauum obtegunt. Auium ordines, a LINNEO conſtitutos, vno auget, aliaque ſerie conſiderat.

I. Aues

I. *Aues*, corpore magno, aliſque paruis inſtructae, vt vel plane non, vel parum alare poſſint. Huc Struthio, Caſuarius atque Otis pertinent, quae Mammalibus maxime ſunt propinquae.

II. *Gallinae*: conuexo et fornicato roſtro, naribusque ſemitectis, has *Tetraone Vrogallo* nectit cum

III. *Accipitribus*:

IV. *Picae*, quae per *Trochilos* tranſeunt ad

V. *Paſſeres*, et hi per *Motacillas* ad

VI. *Grallas*: harum genera ſibi ita ſubſequuntur: *Rallus*, *Charadrius*, *Tringa*, *Scolopax*, *Tantalus*, *Haematopus*, *Fulica*, *Parra*, *Palamedea*, *Myčteria*, *Cancroma*, *Pſophia*, *Ardea*, *Platalea*, *Recuruiroſtra*, et *Phoenicopterus*.

VII. *Anſeres*, et primo quidem acuto roſtro, tum obtuſo, et denique impennes, ſemper natantes.

Didum ineptum ad Aues fictas pertinere propoſuit MOREL in *Journ. des Savans*, et ROZIERI diario phyſico, Aug. 1778. 4.

In amphibiorum enarratione omnino LINNEVM ſequitur: *Meantes* tamen inter *Reptiles* et *Serpentes* poſuit. *Anguemque quadrupedem* ad *Lacertas* retulit. Caeterum *Reptiles* ad Mammalia accedunt; *Draco volans* et *Pegaſus* quodammodo ad Aues: per Nantes autem tranſitus naturalis ad Piſces fit. Serpentes affines ſunt *Muraenis*, atque *Caeciliae* Vermibus. p. 296. p. 332.

Piſcium recenſionem antecedit vberior partium corporis, quoad diuerſitatem, conſideratio. Ordines Linneanos aſſumit, at genus *Cotti* poſt *Trachinum* ponit, quasdamque ſpecies, a FORSKÅLIO p. 341. p. 357. p. 364.

et

et PALLASIO deteſtas, commemorat *Gaſteroſteum*
p. 374. *volitantem* LINN. *Scorpaenae* ſubmittit. *Acanthurum* et *Scarum* FORSKÅLII *Sparo* praemittit.

p. 403. Inſecta ſic dicta hermaphrodita vel monſtra, vel varietates eſſe putat. Etiam hic Linneanum ſyſtema retinuit, in generum tamen definitione cum FABRICIO ad inſtrumenta cibaria attendit, atque iuxta horum diuerſitatem familias diſpeſcuit. Vermes iuxta ſyſtema O. F. MÜLLERI contemplatur, atque ex natura, illiusque ſcriptis partium diverſitatem recenſuit. Seriem ordinum tamen ita inuerſit, vt helminthica, molluſca, teſtacea, cellulana, et denique infuſoria, vtpote ſimpliciſſima animalia conſideret.

p. 497. Non ſolum, vt hoc addamus, per totum librum obſeruationes aliorum cum ſuis comparauit, ſed etiam librorum titulos, addita breui ſaepe eorum cenſura, ſedulo indicauit. Index quadruplex nominum genericorum et terminorum ſubiunctus eſt.

X.

IOANNIS ANT. SCOPOLI Introductio ad hiſtoriam naturalem, ſiſtens genera Lapidum, Plantarum, et Animalium hactenus detecta, characteribus eſſentialibus donata, in tribus diuiſa, ſubinde ad Leges naturae. Pragae, apud Wolfgangum Gerle, 1777. 1 Alph. 14 plagg. 8.

Recte Cl. Auctor, cuius in rerum naturalium ſcientia merita ſunt numeroſa, eos, qui naturalia colligunt, diuidit in *obſeruatores*, *curioſos*, et *mercatores*. Prioribus paucis, caeteris, vtpote ſcientiae noxiis, neglectis, librum hunc offert, vt examinan-

minandis rerum naturalium adfinitatibus ſenſim adſueſcant, ex caracteribus eſſentialibus claſſes et genera facilius adgnoſcant, iuxta datas cuiusque indiuidui partes conſtitutiuas bonam inſtituant deſcriptionem et generum omnium hactenus detectorum compendium habeant excurſuri. Fatendum omnino eſt, eſſe opus ingentis laboris, et quod egregia lectuque digna plurima contineat: Interim, opinamur, obſeruatorem, in excurſionibus, magis ſpecierum compendio opus habere, quam generum, quae ei iam cognita ſint memoriaeque mandata neceſſe eſt. Caeterum optandum omnino eſt, vt curioſi, quorum ingens eſt copia, et qui in detrimentum ſcientiae ſcribunt vera obſeruandi arte deſtituti, ex hoc vel aliis elementaribus libris *diſcant obſeruare*, ne in chaos priſtinum cadat ſcientia, qua, vt recte ait Cl. Auctor, nulla vtilior, nulla nobilior.

Introitu ad hiſtoriam naturalem praemiſſo, regnum lapideum, tum vegetabile et denique animale contemplatur Cl. Auctor. Cuiuis regno, cuivis ordini et tribui praemittitur generalior partium terminis technicis explicatio, et proprietatum conſideratio, tum generum caracteres ſequuntur. Hic noua genera a Cl. Auctore inuenimus ſtabilita plurima, in quibus tamen vix ſemper iudicio Auctoris ſubſcribere poſſumus. Nimiaque ad genera, quae ſemper ſunt artificialia, conſtituenda et iam conſtituta partienda procliuitas ſcientiae augmento plus obeſſe, quam prodeſſe videtur.

Duplex obiectum hiſtoriae naturalis aſſumit Cl. Auctor, cognitionem et vſum: nos poſteriorem magis obiectum oeconomiae et technologiae exiſtimamus, etſi obſeruatori omnino etiam ad vſum attendere eumque noſcere incumbat. Mineralium p. 5. p. 7.

ralium non cryſtalliſatorum nec figuratorum figuras ridiculas recte dicit; vix tamen putamus idem de lichenibus cruſtaceis valere.

p. 11. Lapidum omnium duplex principium eſt; *ſalinum* actiuum ſoluens, et *terreum* paſſiuum, ſolubile. Primigeniam terram ſiliceam appellat. Eſt itaque tellus quarzoſa in aqueo humore concepta moles, corticata terris extemporaneis, ſeu calce ab animalibus elaborata, argillis a mari depoſita et arena demum producta. His acceſſere dein humus, cryſtalli terreae, ſalinae, metallicae; bitumina ac concreta inde varia, fere infinita, quae a diluuiis diſperſa, aut a Vulcanis immutata, nouo cortice obduxere tellurem, nouoque obducent ventura ſaecula. Syſtema minerale perfectum nullum ait,
p. 14. arduamque etiamnum viam. Regni lapidei tres tribus conſtituit. 1) CRONSTEDTI *metalla*, foſſilia ponderoſiora, ab igne fluidificanda, fixa aut volatilia. 2) WALLERII *Salia*, ſubſtantiae actiuae, cryſtalliſationis vnica cauſſa, generantes, genitae, hybridae. 3) POTTII *terrae*, corpora apyra, polymorpha.

p. 16. Metallorum duas *gentes*, 1) *metalla perſiſtentia.* Platinam, Aurum, Hydrargyrum, Argentum; 2) *m. vitreſcentia*, Biſmutum, Plumbum, Stannum, Zincum, Ferrum, Cuprum, Stibium et Arſenicum, aſſumit.

Biſmutum praecipitatur ab aqua ex acido nitri, at non omne, quae ratio phaenomeni? Ferreis tubis ab vno furni pariete ad alium traductis incluſa minera, dimittit in igne Biſmutum ſtillans in ſubpoſitum vaſculum, repetita deſtillatione demum depurandum. Alio etiam modo at longe maiore
p. 20. iactura metalli educitur. Plumbum calciforme coeruleum inueniri ait Cl. Auctor: nos tamen de

eo

eo valde dubitamus, omne enim, quod vidimus, fuit album cupri calce coerulea ſuperinducta. Stibii minera praeſeruantur naues a Teredine. Cobaltum, Nicolum et, ſi quod latet, in Molybdena, Baſalte et Mica, metallum, Cl. Auctori etiamnum paradoxum. Vnum eſſe ſalinum ſpecificum elementare principium vbique diſperſum, quod diuerſimode modificatum ſenſibus obuia ſalia conſtituat, exiſtimat Cl. Auctor. Duplicem hoc ſubiit metamorphoſin, dum in regno lapideo actione ignis ſubterranei vitriolicam, in oceano autem ab inhabitantibus animalibus et plantis muriaticam naturam adeptum fuit. Vana itaque eſt quaeſtio, quale acidum primigenium, cum neutrum eorum ſalium primaeui nomen mereatur. Ex ingenti tamen copia muriae, eiusdem acidi cum hydrargyro, argento, plumbo ac ſtibio vniti ſumma cauſticitate, eiusque habitu ad perfectiora quoque metalla, ſalinum muriaticum parentis ingenio propius accedere colligit. Ex his duobus ſalibus alia vel legitima ſ. compoſita absque corporum organicorum concurſu elaborata, vel hybrida ſ. decompoſita enata ſunt. Duo itaque ſalium genera genuina, *Muria* et *Vitriolum* ab Auctore aſſumuntur. Muriae ſoboles ſunt 1) *metalla* genita ab eiusdem rectificata, ac terrae ſpecificae depuratiſſimae iuncta ſubſtantia; 2) *ſal commune*, cuius credita principia acidum muriaticum et alcali minerale, non genuina elementa, neque educta, ſed mera producta eſſe, alio loco oſtendet. Alumen absque igne ſubterraneo nullum naſcitur, nec vitriolum aut ſal vllum, ad cuius geneſin requiritur acidum ſulphuris.

p. 25. p. 27. p. 28. p. 29.

Corpora plura phlogiſtica, pro veris ciuibus regni lapidei a Mineralogis habita, Noſter ſubſtantia oleoſa, quae ignis vi ex ſolis animalibus et vegetabilibus, aëri libero minime expoſitis, expulſa ſit, p. 30.

ſcatere dixit. Maſſulas puri ſulphuris, quae in calcario lapide inueniuntur, grana indurati et a primaeuis ſub oceano latentibus vulcanis eiecti ſulphuris, terrae calcareae immixta eſſe coniicit, indeque ſequi ait multa, quae lapidum geneſin ac telluris hiſtoriam egregie illuſtrent. Salium alcalinorum mineralium non animaduertimus ſingularem mentionem: niſi quod alcali volatile ex ſolis animalibus, aëri libero expoſitis, putredine euolui, vel in ſchiſto humoſa latere, vel ex corporibus phlogiſticis, animalem ſubſtantiam fouentibus prouenire ſuſpicetur.

p. 33. Terrarum tria genera ſtatuit, *Calcem*, *Argillam* et *Silicem*. Eorum opinioni adſentitur, qui rupes calcareas ex teſtis conchyliorum et litho-zoophytorumque rudimentis enatas temporis, nec creationis filias eſſe: at qui ingentia montium calcareorum iuga, ſaepe petrefactis omnino carentia conſiderat, ſimulque magna omnino ſtrata calcarea in montibus primaeuis, ſub lapidibus primaeuis, e. g. Gneiſſo inueniri *) attendit, *omnem* calcem ex animalibus natam eſſe nunquam concedet.

Vt ſpecimen methodi, qua genera illuſtret Cl. Auctor, proponimus argillam.

p. 34. „16. *Argilla*. Terra mollis igne induranda.

Ex hac rectificata, *Serpentinus*, eaeque terrae, quae cum acido ſulphuris ſal amarum conſtituunt,

reformato ex Talco, *Amianthum*.

transſubſtantiata in embryonem ferreum, cryſtallinum, irreductibilem, *Mica*, *Baſaltes*.

inuerſa ab igne, *Pumex*, aliaque producta Vulcanorum.

reducta ab acido ſulphuris, *Argillae plaſticae*.

inquinata Calce, *Marga*, *Ophites*.

Ochra

*) vid. CHARPENTIER *Mineralogiſche Geographie*; de qua proxime.

Ochra Ferri, *Bolus.*
Humo, *Ardeſia.*

Vidi etiam e longinquo, ni fallor, terram hanc ex Iaſpide et Granite rediuiuam, ſalibus nonnullis ſub alia forma immixtam, vltimaque metamorphoſi ad terrae metallicae dignitatem eueſtam.

Hinc ſtatus Argillae quadruplex; nempe 1) excreſcens in *plaſticam terram:* 2) recreſcens in *ſteatiten*: 3) deliqueſcens in *ſal:* 4) ſubſiſtens in *metallo.*

Nata a reſolutis oceani ciuibus conſtat 1) terra vitreſcibili, 2) principio ſalino inde genito, 3) glutine ſpecifico. Haec generis humani commoda plurimum promouent.„

Iaſpidem ſilicibus adnumerat. Omnes lapides, qui iuxta MARGGRAFII experimenta terram talcoſam pro baſi habent argilloſis adſcripſit. Subiungit alios lapides, qui ex terris ſecum vel cum ſalibus vel cum metallis mixtis ortum duxerunt. Omiſſum tamen reperimus ſpatum ponderoſum, a *Gypſo*, certe diuerſum; neque placet lapides aggregatos, vt *Gneiſum* et *Murka*, his ſimplicioribus mixtis adnumerari.

Praefatio ad regnum vegetabile continet plantarum phyſiologiam et partium, habitus, ſtationum, germinationis, gemmationis, infloreſcentiae, temporis qualitatum, partus et vitae differentias et deſcriptionem breuem. Videtur Cl. Auſtor vaſa aërea diſtinſta a ſucciferis aſſumere, quae tamen non ſunt. Vegetatio eſt Cl. Auſtori continuata aut interrupta extenſio viuorum ſtaminum ab humore indigeno, rarefaſto, propulſo, renouato, ac ſtupenda demum metamorphoſi transmutato in ſuccos, ſalia, terram, vnde truncus, rami, folia, flores, fruſtus. Methodum artificialem inimicam naturae nolimus p. 41.

 appel-

appellare. Cl. Auctor methodum naturalem ſequi ſtuduit, plantasque hactenus detectas, iuxta harum adfinitates, in tribus diuiſit, praeſtantiorum Botanicorum nomina iis impoſuit (quod quidem in methodo naturali nullius vſus eſt), factoque initio a plantis infimae vegetationis, attenta inprimis fabrica ac ſitu floris et fructus, ab vna in aliam progreſſus eſt, iis agmen claudentibus, quae infuſoriis animalibus proximae vniunt regnum vegetabile cum animali. Igitur ab Algis et Filicibus incipit, et per Gramina ad reliquas plantas flore manifeſto praeditas tranſit, atque Muſcis et Fungis agmen claudit. Caracteres claſſicos ad vltima fere diſcrimina reſtrictos elegit, generumque definitiones eſſentiales compoſuit. Claſſes ſubalternae pleraeque artificiales ſunt, vt numeroſa genera ſub vna Tribu militantia a tironibus facilius agnoſcantur. His addidit nonnullarum vires, easque certiores, vt paucarum exemplis excitet botanophilos ad examinandam aliarum quoque vtilitatem medicam et oeconomicam. Placet tabulam ſynopticam regni vegetabilis hic tradere, vt facilius de methodo Cl. Auctoris valeant iudicare Lectores.

Tribus.

I. MICHELII cryptogamae, absque foliis, ac manifeſta radice, *Incompletae;*

II. PLVMIERII ſubcryptogamae, apetalae, *Obſoletae.* e. g. Filices, Inundatae, et Palmae.

III. SCHEVCHZERI culmiferae, glumoſae, *Gramineae.*

IV. WACHENDORFII apetalae, elegantes, ſtaminibus tot, quot ſegmenta, aut folia calycina; fructu in tot locula diuiſo, quot ſunt ſegmenta. *Liliaceae.*

V. AD-

V. ADANSONII fructiflorae, ſtaminibus 1 – 2, *Satyria* et *Scitamineae.*

VI. GOUANII apetalae et corollatae, integrifoliae, calyce monophyllo in apetalis, polyphyllo in aliis; fructu diuerſo a plantis tribus quintae, *Diſpares.*

VII. AVBLETII fructiflorae, polypetalae angioſpermae, ſtaminibus tot, aut duplo pluribus ac petala. *Strictae.*

VIII. RIVINI fructiflorae, polypetalae, gymnoſpermae, *Vmbelliferae.*

IX. VAILLANTII fructiflorae, monopetalae, gymnomonoſpermae, *Compoſitae.*

X. BOERHAAVII fructiflorae, monopetalae, angioſpermae, corolla libera, *Epicarpiae.*

XI. BANKSII fructiflorae, diuerſae a trib. VII – X, corolla cum calyce cohaerente, *Campanaceae.*

XII. IACQVINII monopetalae, ſegmentis corollae ad vnum latus flexis, *Contortae.*

XIII. TOVRNEFORTII monopetalae, ſegmentis corollae non contortis, foliis aſperis, *Aſperifoliae.*

XIV. PETIVERII monopetalae, regulares, gymnoſpermae, receptaculo ſtylifero, *Verticillatae.*

XV. HALLERI monopetalae, irregulares, angioſpermae, germine ſtylifero, *Perſonatae.*

XVI. ROYENII monopetalae, ſubregulares ſtaminibus 5, inordinatis; aut regulares ſtaminibus 2, *Polymorphae.*

XVII. RHEDII monopetalae et polypetalae, ſtaminibus ex inuolucro vno alioue tot, aut duplo pluribus, ac petala aut ſegmenta corollae, *Pſeudo compoſitae.*

XVIII. RAII polypetalae, calyciflorae, hypocarpiae, ſtaminibus tot, aut duplo pluribus, ac petala, *Dumoſae*.

XIX. LINNEI polypetalae, calyciflorae, polyandrae, *Calycantherae*.

XX. SAUVAGESII polypetalae, ſtaminibus ex receptaculo tot, aut duplo pluribus, ac ſegmenta calycina, *Nomadeae*.

XXI. FORSKAELII ſexu diſtinctae, fructu 2–3 loculari, diſco inſidente, *Tricoccae*.

XXII. MAGNOLII polypetalae, polygyniae; ſtaminibus ex receptaculo, *Polycarpiae*.

XXIII. MORISONII polypetalae, monogyniae, ſtam. 12-200, *Polyandrae*.

XXIV. OEDERI polypetalae, ſtaminibus in plura corpora coalitis, *Icoſandrae*.

XXV. HERRMANNI polypetalae, ſtaminibus inter ſe, aut ope alterius corporis a corolla, et calyce diſtincte cohaerentibus, *Columniferae*.

XXVI. BAVHINII polypetalae pleraeque, corolla ſaepius irregulari; ſtaminibus tot aut duplo pluribus, ac ſegmenta, vel folia calycina; fructu elongato, qui modo eſt pericarpium, modo legumen, modo ſiliqua, *Leguminoſae*.

XXVII. HILLII polypetalae ſaepius irregulares, flore aut fructu leguminoſis adfinès, *Anomalae*.

XXVIII. GRONOVII polypetalae, calycinis foliis et petalis 4, ſtaminibus plerumque 6, binis minoribus, *Antiſcorbuticae*.

XXIX. FORSTERII polypetalae regulares, ſtaminibus ſaepius duplo pluribus, ac petala, germine diſco inſidente, *Diſciferae*.

XXX.

XXX. LOEFLINGII polypetalae, petalis vnguiculatis, calyce perſiſtente, germine diſco inſidente, fructu capſulari, *Caryophylleae.*

XXXI. PLVKENETII apetalae, calyculatae, ſtaminibus liberis, ſemine ſaepius vnico intra fructum aut calycem, *Defloratae.*

XXXII. BROWNII apetalae, calyculatae; ſtaminibus imo calycis loco inſertis, fructu monoſpermo, *Seminudae.*

XXXIII. DV HAMELII apetalae, ſexu diſtinctae; floribus aggregatis, maſculis foliolo diſtinctis; ſtaminibus liberis, *Amentaceae.*

XXXIV. MILLERII apetalae ſexu diſtinctae, floribus aggregatis, ſquama diſtinctis, ſtaminibus cohaerentibus, *Coniferae.*

XXXV. DILLENII cryptogamae, foliaceae, in frigido et humido vegetae, floridae, *Muſcoideae.*

XXXVI. BATTARRAE cryptogamae, aphyllae, *Fungadae.*

Has tribus in *gentes* diſpeſcuit, iisque iterum *diuiſiones* ſubmiſit, et demum genera, quorum plura in LINNAEI ſyſtemate deſiderantur, et quae vel ab HALLERO, ADANSONO, Noſtro, vel poſt LINNAEI tempore ab AVBLETIO, IACQVINO, FORSKAELIO et FORSTERO ſunt conſtituta. Nos ad ea ex ipſo libro cognoſcenda Lectores amandamus, atque hic quaedam de ſpeciebus Linneanis, ad alia genera a Cl. Auctore relatis, et de vſu, ab Eodem commemorato, proponamus.

Incompletarum gens prima, *cruſtaceae* geodes, p. 60. terras inter et plantas mediae, particulis indiſtinctis compoſitae, e. g. *Lichen byſſinus.* Fl. Carn. et *Lichenes cruſtacei* HALL., proximo gradu affinitatis

 iunctae

iunctae genti 2, *filamentoſis*, vt Byſſo et conferuis,
hae vero *foliaceis*, vt Fucis: vt pateat, etiam in
regno vegetabili ex mòleculis terreis fibras, ex his
membranas, indeque vaſa excipiendis promouen-
disque humoribus deſtinata produci.

p. 71. Graminum genera naturalia non facilia ſunt:
inflorefcentia, receptaculum, figura, ſuperficies, fal-
lunt ſaepiſſime. Conſtantiores notas ſuppeditat
ſtructura, exhibens floſculos modo perfectos, mo-
do imperfectos ac ſtaminum numerum eundem
ſemper et immutabilem: ſic et numerus florum
ex vno calyce prodeuntium probe eſt attendendus,
p. 73. ſi conſtans eſt. *Phalarin oryzoidem* LINN. ad *Ha-
malocenchrum* HALL., et *Cenchrum racemoſum* LINN.
ad *Tragum* HALL. refert. *Sesleriam* ſuam *Phleo*
p. 74. ſubmittit. *Triticum* LINN. cum *Bromo* vnit. *Dacty-
lis glomerata* ad *Feſtucam* Noſtro pertinere videtur,
atque *Feſtuca calycina*, *Dactylis* dicitur. Ad *Auenam*
cum HALLERO refert *Agroſtes caninam* et *ſpicam
venti*, *Airas ſubſpicatam*, *ceſpitoſam*, *flexuoſam*, *mon-
tanam*, et *Lagurum ouatum* LINN. Ad *Airam* vero
Melicam et *Dactylin Lagopodioiden* LINN. vti et
Cenchrum capitatum. Brizam et *Elymos muticos*
p. 76. LINN. *Poae*, et *Auenam elatiorem Holco* ſubiicit.
p. 83. *Spinifex* LINN. ad *Cenchrum* refertur. *Scilla* LINN.
cum *Antherico*, *Dracaena* cum *Aſparago*, *Sideroxy-*
p. 88. *lon ſpinoſum* LINN. cum *Tekelia* ADANSON: *Morea*
p. 93. cum *Iride* nectitur. Ad *Curcumam Kämpferia*
LINN. refertur.

p. 98. *Breyniam* FORSTERI *) Noſter *Forſteriam*
dixit, cum aliud plantae genus iam *Breyniam* ap-
pellauerit: ſed ex his mutationibus maxima nomi-
num

*) Notamus, forte ex errore typographico ſemper
FÖRSTER impreſſum eſſe, primo loco pag. 58.
excepto.

num et plantarum enaſcitur confuſio. Ad *Cauca-* p. 111.
lin Tordylium latifolium et *Anthriſcus;* ad *Libano-* p. 112.
tidem Athamantae LINN. ſeminibus villoſis et *Scandix* p. 113.
trichotoma EIVSD. vt et *Bubon* LINN.; *Athamanta* p. 115.
Ceruaria et *Oreoſelinum* ad *Selinum*, *A. Meum* vero
et *Cuminum* ad *Seſeli* Cl. Auctori pertinere videntur. p. 114.
Cum *Sio* coniungit *Cicutam* et *Siſon* LINN. nec non
Gingidium FORST. *Aciphyllam* EIVSD. Myrrhidi, vt
et *Scandicis* LINN. ſpecies nonnullas ſubmittit. *Ca-*
rum LINN. ad *Aegopodium* refert, et *Anethum* LINN.
ad *Foeniculum*: *Sium Siculum* autem *Kundmannia* dici- p. 116.
tur. Haec exempli gratia commemoraſſe ſufficiant.

Gens prima obtegit rupes, ne fatiſcant, et p. 61.
arbores, ne gelu pereant. Vluae et Fuci vermibus
pelagicis aſylum et habitacula praebent, marisque
fundum perpetuo virore laetificant. Filices in Car- p. 76.
niolia ſubſternuntur pecoribus loco ſtraminis. Ex
fructu *Bactris maioris* IACQVINII vinum parant
Americani, et ex ſucco *Boraſſi flabelliformis* Saccha-
rum conficitur. *Piper trifolium* bubonibus vene-
reis vtiliter apponitur ab Aethiopibus in Mada-
gaſcar. Praeter cerealia nota, etiam ruricolarum p. 79.
centena millia ſola *Zea* nutrit. *Andropogon ſchoe-*
nanthus dat oleum *Seree*, quod ad confortandum
ſtomachum, cibis et condimentis gratum concilian-
dum odorem et ſaporem per totam Indiam adhibe-
tur, vinumque ex *Palma Saguero* paratum ita con-
ſeruat, vt hac ope in alias tranſmitti poſſit regio-
nes. *Cynoſurus Indicus* adhibetur ad ſedandas con-
vulſiones infantum. Radix *Aletris hyacinthoidis* an- p. 89.
tifebrilis et leniter cathartica eſt, morſumque *Cro-*
tali ſanat. *Thalia* dat tela, quibus animalia trans- p. 94.
figunt Americani. *Angolamiae* fructus habetur pro p. 110.
ſpecifico ad morſus animalium venenatorum. *Hede-*
rae baccae catharticae ſunt; folia vero fonticulis et
inflammatae cuti vtiliter applicantur, ac repellendo

lacti inſeruiunt. *Aralia* vi diuretica vmbellatis pro-
p. 117. xima, hinc et *Saſſaparillae* loco adhibetur. *Ange-*
licae lucidae radix in morbis ventriculi et inteſtino-
rum a cauſſa frigida, praeſertim colica flatulenta
et hyſterica expertum eſt remedium: neque minus
efficax in apepſia et anorexia, indeque orta menſium
p. 136. ſuppreſſione et chloroſi. In nephritide et vbi vri-
na mouenda *Verbeſina Acmella*, ad luem bouillam
Petaſites; contra gonorrhoeam benignam recepta-
cula *Onopordi Acanthii* laudantur. *Atractylis* vero
gummifera praebet gummi feminis Turcicis quoti-
p. 148. die maſticandum. Fructus *Genipae* ſunt edules,
at os colore nigro inficiunt. Succus radicis *Mo-*
rindae aterrimus adhiberi poteſt loco atramenti.
Sinapea laudatur ad Gonorhoeam. *Boerhaauiae di-*
andrae radix emetica eſt et purgans. *Achrae ſapotae*
p. 156. cortex Peruuiano cortici ſuccedaneus eſt. *Nerii*
antidyſenterici cortex celebratur pro ſpecifico in
dyſenteria et haemorrhagia muliebri; decoctum
p. 160. vero ad febres laudatur. Radix *Symphyti* contra
podagram laudata, glutine ſuo tuetur nerueam in-
teſtinorum tunicam, muco denudatam ab acrimo-
nia dyſenterica. Glutinoſi pariter fructus *Cordiae*
Myxae ſunt, vnde viſcum parant Indi pro aucupio.
Varroniam Martinicenſem tumores frigidos reſolue-
p. 179. re, ac neruos roborare affirmat AVBLET. *Cornutia*
corymboſa dat ex radice oleum aromaticum, in ven-
triculi debilitate, dolore et vomitu efficax. Fructus
Creſcentiae Cuietae largitur ſyrupum vtilem in con-
tuſionibus et laeſionibus internis, cortex vero ad
p. 202. vaſa adhibetur. *Potalae amarae* decoctum folio-
p. 206. rum purgans eſt et emeticum. *Globularia Alypum*
p. 237. eſt emetica. Fructus *Auerhoae Bilimbi* eſt edulis,
eiusque ſuccus ſaponaceus maculas ex linteis exter-
git. *Gouxiae glabrae* ſuccus medetur inflammatio-

nibus

nibus oculorum. *Ximeniae* folia, cibis addita, ſto-
machum roborant. *Phyllanthus Niruri* efficaciſſi- p. 246.
ma eſt planta ad pellendam vrinam. Dolor ab ictu
apis applicatis *Iatrophae* foliis tollitur. *Micheliae* p. 261.
Champacae fructus dat nucleum edulem, oleo diui-
tem, panificio idoneum. *Zantoxylum* diureticum p. 274.
eſt et ſudoriferum. Fructus *Pliniae*, *Nitrariae*,
Moriſoniae, et *Mammeae Americanae* ſunt eſculenti.
Crataeua Marmelos ex floribus dat aquam odore ro-
ſarum, ex fructu vero carnem gratiſſimam, antidy-
ſentericam. Ex ſucco Papaueris in Germania Cl.
Auctor obtinuit aeque perfectum opium, ac qui-
dem ſolet in Aſia aut China. Pulpa farinoſa fru- p. 293.
ctus *Adanſoniae* in Aegypto, aliisque Orientalibus
prouinciis vſitata in febribus putridis, lienteria et
dyſenteria. Ex *Hibiſci eſculenti* fructu ſuccus ex-
primitur vinoſus. *Meliaſtrum* melleam dulcedinem
praebet Belgis et Hottentotis. Ex leguminoſis, p. 311.
praeter notas, cibum dant fructus *Cynometrae cau-
liflorae*, *Robiniae*, et *Guilandinae*; *Pointiana* et *Cae-
ſalpiniae* ſunt tinctoriae. *Himenea Courbaril* largi-
tur gummi anime pro parandis vernicibus; ex eius-
dem fructu farinoſo panem conficiunt Americani.
Spondias Mombin dat fructus edules. *Baſellae* fru- p. 328.
ctu rubro colore tingunt Senegallenſes. *Batis* cine- p. 341.
ribus vtuntur Carthagenenſes ad conficiendum vi- p. 352.
trum. Vnguentum cum gemmis *Populi* factum
coecarum haemorrhoidum dolores lenit.

In praefatione ad regnum animale generales p. 367.
nonnullas animantium proprietates ſummatim in-
dicat. Animal, ait, vt vegetabile conſtat *cortice* et
medulla: cortex *exterior* cutaneus inueſtiens; *inte-
rior* carneus, tendineus, cartilagineus, oſſeus; *inti-
mus* membranaceus, efficiens vaſa et receptacula.
Medulla triplex pariter, ſe mouens, ſentiens, multi-
plicans.

plicans. Sola medulla eſt multiplicans, ſiue eam a patre deriuatam, ſiue in matre minimum primordium nouae ſobolis latere dicas: eſſe enim argumenta, quae in animali regno vtrumque multiplicandi modum probent.

p. 372. *Tribus* regni animalis, ab Auctore conſtitutae ſunt:

I. MÜLLERII animalia frigida, minima, ſimilaria, texturae tenerae ſimplicis, *Infuſoria.*

II. ELLISII animalia frigida, apoda, pleraque nuda, tentaculata et mutica, texturae firmioris magisque compoſitae, *Helminthica.*

III. GVALTIERII animalia frigida, apoda, tentaculata, teſtam inhabitantia, compoſita, *Teſtacea.*

IV. SWAMMERDAMII animalia frigida, polypoda, pleraque cruſtacea, in vtroque ſexu aptera, *Lucifuga.*

V. GEOFROY animalia frigida, polypoda, alis nudis volitantia, *Gymnoptera.*

VI. ROESELII animalia frigida, polypoda alis quatuor, ſquamoſis, *Lepidoptera.*

VII. REAVMVRII animalia frigida, polypoda, alis ſaepius quaternis volitantia, ore roſtrato, roſtro deflexo, *Proboſcidea.*

VIII. FRISCHII animalia frigida, polypoda, alis quatuor, ſtructura diuerſa, *Coleoptera.*

IX. ARTEDII animalia frigida, branchiis lateralibus reſpirantia, pinnis natatoriis inſtructa, *Piſces.*

X. SEBAE *) animalia frigida; pulmonibus arbitrariis,

*) Quo iure SEBAE honorem tribuere poſſit Cl. Auctor, vt tribum Amphibiorum ab eodem nominet, non intelligimus; nonne potius LINNAEO dicanda erat, qui eam conſtituit.

trariis, hinc in ſicco et humido viuentia, apoda et pedata, *Amphibia.*

XI. EDWARDI animalia calida, pedata diptera, plumis veſtita, ore maxillis elongatis, corneis, roſtrato, *Aues.*

XII. KLEINII animalia calida, mammis lactantia, *Mammalia.*

HOMO.

Pauciora ſunt inter animalia noua genera a
Cl. Auctore conſtituta, ſed plerumque in *Linnea-*
nis adquieuit. *Monadem gelatinoſam* et *Faſciolam* p. 373.
tremellarem O. F. MÜLL., *Mucori Lycogalae* et *Tre-*
mellis ſimilia, iungere videntur Noſtro regnum ve-
getabile cum animali; etſi Corallinae Lichenibus
filamentoſis Fucisque ſimiliores videantur, ac ani-
malia infuſoria: in his ſequitur MÜLLERVM, noua
tamen addidit genera duo, 1) *Anguinam;* corpore p. 374.
filiformi, habitantem in galla inter glumas et folli-
culos cerealium, quae directionem medullae ita ſae-
pe mutat, vt plura germina prodeant. Marem, fe-
minam, et neutra Cl. Auctor obſeruauit. 2) *Rota-* p. 383.
riam, quae eſt *Vorticella rotatoria.* *Taeniam Hae-*
rucam PALL. nomine *Herucae* vt proprium genus aſ- p. 384.
ſumit. Nouum molluſcum, in ſtercore *Phaſiani*
Galli viſum, dicit *Globariam*, corpore gelatinoſo,
ſphaerico, latera alterne extendens et retrahens;
poro vnico laterali. Inter Teſtacea etiam ex AD-
ANSONO noua genera habet, ex vniualuibus 1) *Na-* p. 392.
tica, huc pertinet *Helix luſitanica*, *Nerita mammilla-*
ris, *Vitellus*, *Albumen etc.*, 2) *Bulimus*, e. g. Helix
putris, fragilis etc. Porro KLEINII *Caſſis*, quae eſt
Buccinum LINN. Inter biualuia 1) *Volſella*, vt *Myti-* p. 397.
lus modiolus LINN. 2) *Pteria* e. g. *Mytilus Hirundo*,
LINN. 3) *Sphaerium*, quorſum *Tellina cornea* LINN.
4) *Codakia* ſ. *Chama Codak.* ADANS. 5) *Chion*, vt p. 399.

Donax

Donax denticulata, LINN. 6) *Doſinia* ſ. *Chama Doſin*, ADANS.

Inſectis ſ. Trib. IV - VIII. praemiſſa eſt conſi-
p. 401. deratio partium generalis. Subſcribimus Auctori dicenti: Claſſes et genera naturalia non ſola inſtrumenta cibaria, non ſolae alae, nec ſolae antennae conſtituunt; ſed ſtructura totius, ac cuiusque vel minimi diſcriminis diligentiſſima obſeruatio. Praeterea notae claſſium et generum faciles ſint, ne aſſiduus microſcopiorum vſus deterreat plurimos a contemplatione naturae. Omittimus caeterum noua genera inſectorum, quae ex Entomologia Carniolica, annis hiſtorico naturalibus et aliis Entomologorum ſcriptis nota ſunt: in hac tribu autem etiam familiarum et plurium ſpecierum mentionem fecit. Diſpoſitio generum Auctori eſt propria.

p. 448. Piſcium diuerſitatibus quoad partes praemiſſis, ſyſtematicam diuiſionem eorundem a ſitu pinnarum ventralium deſumtam, aeque ait eſſe artificialem, ac aliam quamlibet hactenus excogitatam; neque limites certos inter piſces thoracicos et iugulares naturam vbique conſtituiſſe. Auctori igitur piſces, iuxta ſitum ani, in tres ordines diuidere viſum eſt, cum nota haec ſtructuram internam indicet, ac tironibus ad cognitionem horum generum aperiat viam longe faciliorem. *Gens prima* eſt ano inferiore ſ. caudae plus minus approximato, huc plures *Abdominales* LINN. pertinent. *Gens*
p. 452. *ſecunda* piſces ano ſuperiore ſ. capiti plus minus approximato, ideoque *Iugulares* et *Thoracicos* LINN.
p. 454. continet. *Gens III.* piſces ano medio, tum abdominales, tum thoracicos, tum apodes coniungit. Genera Gronouiana plura aſſumit, et *Pteridium* ex *Coryphaena velifera* PALL. conſtituit.

p. 468. Auium affinitatem cum piſcibus oſtendit et breuitas inteſtinorum, vtrique claſſi communis, et

cere-

cerebrum amphibiorum quorundam nulli magis, quam auium ſimile. Diuidit Noſter aues 1) *tibiis reticulatis*, quorſum Anſeres et vrinatores, et palmipedes, Grallae, Gallinae, Accipitres et Pſittaceae pertinent, 2) *tibiis ſcutatis*, vt reliquae Picae et Paſſeres. p. 479.

Mammalium gentes ſunt 1) *Cetacea*, 2) *quadrupedia*, e quibus primo loco aquatilia, tum terreſtria, eaque iuxta pedum diuerſitates, conſiderat. p. 486.

XI.

EIVSDEM cryſtallographia Hungarica. Pars I. exhibens Cryſtallos indolis terrae cum figuris rariorum. Pragae, apud Wolfgangum Gerle, 1776. 18. plagg. in 4. 19. tabb. aen.

Ditiſſimae Cryſtallorum omnis generis copia Schemnizenſes Hungariae inferioris fodinae Cl. Auctori occaſionem praebuerunt magnam cryſtallorum varietatem videre, quam in hoc libro vberius deſcriptionibus et iconibus illuſtrat. Adiecit his, cryſtallos ex fodinis adiacentibus, Cremnizenſibus aliisque Hungaricis collectas. Haec in praefatione monet, ſimulque a ſe remouet iniuſtam ſibi a nonnullis factam accuſationem, ſe Alchemiae operam dare. Prouocat Cl. Auctor ad diſcipulos ſuos, quos ſaepe ac ſerio monuerit, ne adeptorum proceſſus tractent, et ne vllam ineptiis iſtis fidem habeant.

In hac prima parte cryſtallos indolis terreae, et quidem calcarias, gypſeas et ſiliceas contemplatur. In calcareis hos ordines conſtituit; 1) cryſtallos tuberoſas, 2) fibroſas, 3) turritas, 4) leproſas, 5) ſquamoſas, 6) peltatas, 7) lamelloſas, 8)

rugo-

rugoſas, 9) tubuloſas, 10) anomalas. Tuberoſae conſtant vel cubicis aut ſubcubicis, vel rhombeis cryſtallis, vel ſunt ſuperficie irregulari. At cryſtalli cubicae calcareae omnino non reperiuntur, ſed omnes ſunt rhombeae, curioſius conſideratae. *Fibroſae* iterum vel tuberoſae, vel fibroſae, vel faſciculatae, vel ſparſae. Turritae pyramide vel farcta, vel inani praeditae ſunt.

Gypſearum cryſtallorum ſeptem ordines habet, fibroſas, rhombeas, lamelloſas, criſtatas, cubicas, hexagonas, priſmaticas.

Quarzoſae in duos ordines, legitimas et ſpurias diuiduntur: priores vel ſimplices ſunt, vel compoſitae: poſteriores vel cruſtaceae vel zoo - aut phytomorphae.

Latiori igitur ſenſu ſumſit Cl. Auctor vocem cryſtalli: etenim ſtrictiori ſenſu figurae regulares angulis certis terminatae tantum intelliguntur: eae autem, quae tuberoſae ſuperficie irregulari, aut Cl. Auctori dictae ſpuriae, ad figuras ſingulares referri ſolent: aliusque videntur originis ac priores. Optandum etiam fuiſſet, vt diuiſio in ordines iuxta figuram ſingulae cryſtallo propriam, vel cubicam, vel priſmaticam, vel pyramidalem, facta, atque cohaeſio cryſtallorum, ex qua vel tuberoſae, vel turritae, vel alio modo figuratae ſunt ad ſubdiuiſiones cryſtallorum conſtituendas adhibita fuiſſet: illa enim lapidis naturae magis eſſentialis, haec accidentalis et innumeris vix definiendis modis variabilis videtur.

In ſpecialiori cryſtallorum conſideratione Cl. Auctor breuem, ſaepiusque paullo nimis breuem, deſcriptionem cryſtalli Latinam et Germanicam, adiecto ſaepe ſynonymo alius Auctoris, tum locum natalem, deinde ſi qua alia circa colorem etc. notatu digna ſunt, proponit: atque figuras rariorum cryſtallo-

ſtallorum, aeri incidere curauit, ſuntque harum iconum figurae vtplurimum bonae.

Profecto in tanta cryſtallorum varietate, quae curioſum Lectorem non poteſt non delectare, et excitare cupidinem, ipſas cryſtallos videndi, et ea admirandi, quae icone exprimi nequeunt, difficile eſt quaedam ſeligere, vt potius Lectores minerophilos ad ipſum librum legendum adhortari debeamus. Libet tamen pauciſſima exempli loco commemorare.

Singulares praeſertim et rariores videntur: p. 35. Cryſtallus calcaria fibroſa, (Tab. II. f. 14.) fibris faſciculatis, craſſis, articulatis, corneis, ſubpellucidis, faſciculis vncialibus breuioribusque. Habitat in *Thereſiae puteo Schemnizii:* Extremi apices fibrarum paullo craſſiores ſunt rotundati et quaſi clauati. Cryſtallus gypſea priſmatica, columnis compreſſis p. 98. marginatis, margine crenulato opaco albido. Habitat in *Finſterort Schemnizii.*

Cryſtallus quarzoſa ſimplex clauata pyramida- p. 107. lis. Tab. XII. f. 8. Habitat in *Thereſiae* puteo Schemnizii. Columna conuergens hexagona, tandem priſmatica ſuſtinet clauam ſ. cryſtallum pellucidam, cui columna hexaëdra, lineas duas longa, planis aequalibus, nec non pyramis pariter hexaëdra, planis trigonis, at nullibi truncatis. Cryſtallus quar- p. 110. zoſa ſimplex pyramidalis, cryſtallis paruis quarzoſis concentricis coronata. Tab. XII. f. 15. Habitat ibidem. Numerus varietatum, quae in cryſtallis a Cl. Auctore deſcribuntur, eſt 474. Alterius partis editionem exſpectamus.

XII.

EIVSDEM Fundamenta Chemiae publicis praelectionibus accommodata. Editio altera aucta et emendata. Papiae apud Ioſephum Bolzanum, ſ. a.*) plagg. 16. 8.

Quum iam in eo verſaremur, vt primae harum chemiae inſtitutionum editionis **) aliquam velut imaginem in noſtris commentariis depingeremus, altera haec, cuius inſcriptionem dedimus, in noſtras incurrit manus, quae quanto eſt priori emendatior, et quanto plures Illuſtris Auctoris animaduerſiones habet adſperſas, tanto ſtudioſius a nobis deſcribenda eſt.

Duo autem, eaque velut ſumma omnis chemicae inſtitutionis capita Noſter fecit, in quorum primo de obiectis chemiae diſputat, ſimulque ea contemplatur inſtrumenta, quibus artifices in diſſoluendis, componendisque corporibus vti conſueuerunt; in altero vero de ipſis laboribus loquitur, atque adeo calcinationem, reductionem, ſolutionem, praecipitationem, deſtillationem, ſublimationem et mixtionem in ſeptem ſectionibus deſcribit, exemplisque variis praecepta ſua illuſtrat.

p. 1. Chemia, quam eam Noſter ſcientiam vocat, quae abditas rerum naturalium proprietates atque princi-

*) Litteris dedicatoriis ad Comitem CAROLVM DE FIRMIAN datis Auctor triceſimum menſis Auguſti diem anni CIƆIƆCCLXXVIII ſubſcripſit; ſed ipſe liber, niſi fallimur, anno MDCCLXXX prodiit.

**) Prodiit Pragae, apud Wolfg. Gerle, CIƆIƆCCLXXVII et vndecim implet plagulas.

principia rimatur, variis ad perficiendos labores vtitur inſtrumentis, quorum alia *actiua*, alia *paſſiua* ſunt. Ad priora ignis pertinet, qui, etſi vbique vnus atque idem eſt, loci tamen, quem inhabitat, ratione duplex, *inhoſpitans*, (*phlogiſton*,) ſcilicet atque *applicatus* ſtatui poteſt. Phlogiſton, cuius co- p. 7. pia variis in corporibus varia eſt, mox intra corpora abſque vllo diſſolutionis eorum ſigno mouetur, mox ita agitatur, vt, compage corporum, velut in putrefactione, cet. ſoluta, ex iis auolet atque diſpergatur. Qua de re, cum ignis, auctore BOERHAAVIO, intra corpora tamdiu ſoleat conſeruari, quamdiu nondum diſparuere illae partes, in quibus aſſiduo ſuſtinetur, quaeſitum eſt, quae ſint iſtae partes, quae ignem intra indiuidui cuiusque ſubſtantiam retineant atque coërceant, ſeu, cuius indolis illa ſit materies, quae proximam cum igneo elemento affinitatem habeat. Euictum autem, inquit Noſter, p. 8. phoſphori, ſulphuris, olei, cet. teſtimoniis eſt, phlogiſto maximam cum ſalibus eſſe affinitatem, hinc nequaquam a ſubtiliſſima terra, prout BAVMEVS ſuſpicabatur, ſed a ſalino illo principio, quod omnium compoſitorum ſalinorum corporum velut mater eſt, in corporibus retinetur, praecipuumque conſtituit inſtrumentum, quo mediante ignis agit. Iam vero, cum ſalina materie in omnibus corporibus eodem modo inflammabilem cohaerere putandum non eſt, quippe a mercuriali nobilium, quae vocant, metallorum haudquaquam poteſt ſeparari, e phoſphoro autem, ſulphure et ignobilibus metallis cum euoluitur, maxima ſalinae ſubſtantiae pars remanet, et quando ab alcohole ſecedit, ſal, quo ligabatur, ſimul in auras diſpergitur. Toties autem ignis e corporibus, quibus inhaeret, expellitur, quoties cauſa iis vinculis, quibus a ſalino principio immobilis detinetur, diſſoluendis idonea accedit;

hinc eadem erit ignis actio, idemque effectus, ſiue cauſa extus ignem aggreſſa a coërcente ſale eum ſeparet, ſiue ſalinum principium ea proprietate inde fuerit ſpoliatum, ſine qua ignis immobilis detineri atque conſeruari nequit. Ceterum ignis ipſe, qui ex corporibus inflammabilibus exit, haud vnquam purus, ſed mox ſalinis, mox terreſtribus, mox aliis particulis a corporum ſubſtantia ſimul diuulſis perpetuo inquinatus eſt.

p. 13. Diſſolutio corporum triplici modo fit, putrefactione nimirum, fermentatione et fatiſcentia. Putrefactionem Noſter ſolis animalibus propriam eſſe, et fermentationem vegetabilibus competere, eamque a priori diſſolutionis ſpecie probe diſcernendam eſſe dicit, quod neque volatile ſal, nec putrida materies, ſed ardens ſpiritus, acetum et tartarus ea generantur. Ceterum ope inteſtini illius motus, qui in fermentante materia animaduertitur, et qui mox ſpontaneus eſt, mox arte excitatus, corpora, SCOPOLIO auctore, producuntur, quae in ea nunquam praeextiterant.

p. 17. Fatiſcentia ad lapidei regni incolas pertinet, eaque vel ſimplex, vel compoſita eſt; priori corpora tantum diuiduntur, eamque v. c. lapis calcareus crudus experitur; altera vero non ſolum diuidit, verum etiam diſſoluit, nouaque corpora ex diſſolutis partibus profert, quemadmodum pyritis teſtimonio conſtat.

p. 18. Aër, qui pariter inter actiua chemica inſtrumenta numeratur, loci, quem inhabitat, ratione triplex ſtatui poteſt, *fixus* nempe, *inhoſpitans* et *atmoſphaericus*. Fixum Noſter eum dicit, qui in omnibus corporibus tam fluidis, quam ſolidis denſatus deliteſcit, abſque vllo elateris ſui exercitio. Variis corporibus mox maior, mox minor eiusdem quantitas

titas ineſt, eaque igne, putrefactione, frigore, effervescentia, cet. ex iis expellitur. Repetit Noſter a defectu huius fluidi in viua calce cauſticam eius proprietatem, et metallicas calces huic ipſi aëri eminentem ſuam grauitatem debere aſſerit, quippe ſine eiusdem concurſu nulla huiusmodi calcium inſtitui poteſt reductio. Inhoſpitans, qui Noſtro dicitur, aër ille eſt, qui abſque ſui elateris iactura corporum interſtitiis inhaeret, ex iisque facile ſeparari poteſt. Eum aqua, immo etiam viua calx fouet, prout ex aëreis bullis ex ea, cum in acidis diſſoluitur, prodeuntibus patet; hinc, cenſet Auctor, ex p. 21. corporibus euolui inhoſpitantem aërem poſſe, absque eo, vt fixus ſimul prodeat.

Aqua ex duplici principio, actiuo altero, altero p. 24. paſſiuo conſtat. Primum, quod ſalinum elementum eſt, affinitate aquae cum ſalibus, eiusque cryſtalliſatione probari, alterum, idque terreum vel ſolam deſtillationem euincere Noſter arbitratur. Ceterum terreae hae moleculae cum reliquis aquae principiis, igne nimirum et aëre, ſalis ope ita coniunguntur, vt homogeneam, fluidamque maſſam conſtituant; nam ſi aut auolauerit ſal, aut cum aliis illi magis affinibus corpuſculis fuerit vnitum, terreas partes ſecedere animaduertitur. Ad aquae in terram mutationem quod ſpectat, eam amplius in quaeſtione haud verſari Cl. Auctor cenſet, ſiquidem et quotidianum telluris augmentum, et decrementum Oceani ab hac ſola mutatione repetendum putet. Mallemus, vt ſimul argumenta, quae huic ſententiae opponi ſoleant, quaeque fidiſſimis innitantur experimentis, diluere ſtuduiſſet.

Ad ſalia, efficaciſſima chemica inſtrumenta, p. 28. quod attinet, ea pariter ex duobus elementis, actiuo nimirum in igne, aqua, aëre cet. praeſenti, et terreo ſiue fixo genita eſſe certum eſt. Primum

pro diuerſa terrei, cui vnitur, natura varia ſalia efficit, ex quibus rurſus nouae, ſi ita dicere licet, ſpecies poſſunt produci. Neque tamen ſolum, inquit Auctor, putandum eſt, diuerſa, eaque compoſita ſalia parari chemica arte ex ſimplicibus poſſe, verum etiam metamorphoſes eorundem certas omnino eſſe contendit. Etſi vero nos, multis conuicti rationibus, ſemper recedendum nobis putauimus ab iis, qui huiusmodi ſalium transmutationes tralatitias prorſus exiſtimant, dubitamus tamen illis argumentis, quibus Auctor ſuae ſententiae robur addere ſtuduit, contrariae opinioni addictos refutari poſſe, quippe cum pleraque, ne dicam cuncta, compoſitionis tantum atque ſeparationis, nec verae trans-
p. 34. mutationis exempla praebeant. Ceterum metalla etiam ſalium eſſe metamorphoſes, ſiue, quod idem eſt, ex ſubſtantia ſalina ſpecifica, phlogiſticata, fixoque principio intime vnita ea gigni, fidiſſimis conſtare experimentis Noſter aſſerit, indeque proximam metallorum cum ſalibus affinitatem, minimarumque partium eorundem cryſtallinam formam repetendam putat.

p. 38. Ex claſſe phlogiſticorum corporum, quae activis chemicis inſtrumentis annumerari merentur, carbonem, alcohol, olea atque ſulphur Cl. Auctor recenſet. Foſſilis carbo etſi calci parandae, ſalium ſolutionibus euaporandis, aliisque laboribus inſeruire commode poteſt, ad ea tamen paranda, quae aperto igni exponuntur, parum eſt idoneus, quod acore atque fumo, quem copioſum emittit, veram eorundem indolem admodum poſſit mutare, quare factitius his operationibus magis conuenit.

p. 39. Alcohol, ex Auctoris mente, neque eſt eſſentiale, idque ſumme attenuatum, et cum aqua tenerrimi ſalis ope coniunctum oleum, neque aqua copioſiſſimo inflammabili principio foeta; ſed mix-

tum

tum ex duplici ſubſtantia ſiſtit corpus, quarum altera, ſalina ſcilicet, fermentationis auxilio ita attenuatur, vt maximam ignei elementi copiam amplecti poſſit, atque retinere. Cum autem ſingulare hoc ex ſale igneque natum corpus tenuiſſimum ſit et admodum volatile, naturae rerum auctorem eam ipſam ob rem voluiſſe Noſter cenſet, vt aqueum humorem attraheret, eidemque vniretur, ne ligamine deſtitutum auolare libere, diſpergique poſſet.

Olea cuncta inflammabili, quo abundant, principio ignem alunt, ſale autem illo, quod phlogiſton ligat, corporibus nonnullis diſſoluendis idonea deprehenduntur. p. 40.

In altera huius chemiae conſpectus parte, ad quam progredimur, calcinationem Auctor primum conſiderat, qua corpora non ſine aliqua partium conſtituentium iactura, earumque nexu plus minus immutato leuiora aut friabilia reddi, vel et in pollinem omnino fatiſcere dicit. Eſt haec operatio, prout conſtat, diuerſitatis productorum ratione vel *completa*, vel *incompleta*, modi vero, quo peragitur, reſpectu vel *humida*, vel *ſicca*. Viua calx, quae aliis proprietatibus, quam calcareus lapis, gaudet, pariter atque cunctorum metallorum, auro, platina, argento et hydrargyro exceptis, calces completae producta ſunt; gypſum vero, vitriolum, ſal mirabile GLAVBERI cet. calcinatum, quae quippe corpora praecipua attributa, quibus ante calcinationem conſpicua erant, peracta hac operatione retinuerint, incompletae teſtimonia praebent. Illuſtrat Noſter has calcinationes pariter, atque ſiccam et humidam variis ex lapideo, vegetabili et animali regno petitis exemplis, iisque productorum vſum, p. 47.

 et

et corollaria annectit, quorum nonnulla transferi-
p. 74. bamus. Calx haudquaquam primigenia, ſed pro-
ducta ab animalibus terra eſt, eaque, ſi vehementi
igni fuerit expoſita, in viuam calcem abit, variasque
proprietates adipiſcitur, quae, vnde originem ha-
beant, vix poteſt definiri. Nam, vt in hoc vno ma-
neamus, incaleſcentiae eiusdem cum aqua genuina
cauſa a multis quaeſita, nec tamen hactenus inuenta
p. 75. eſt. Cum autem, inquit Auctor, proxima inflam-
mabilis principii cum ſalina ſubſtantia ſit affinitas,
eoque validius agitato, aut a coërcente hoc ligami-
ne quomodocunque ſeparato calor producatur,
eum etiam, cum aqua viuae calci affunditur, pro-
pterea oriri, quod igneum elementum a ſalino cal-
cis principio auellitur, cenſet, idque viuae calcis in
aqua ſolubilitate, aliisque eiusdem attributis pro-
bari arbitratur.

p. 79. Platinae, auri, argenti et hydrargyri calces al-
calinis ſalibus, aut calcarea terra praecipitatae ad
metallicarum calcium claſſem re vera non perti-
nent, quae potius aggregata ex particulis minimis
metallicis peregrino ſale inuolutis ſiſtant.

p. 81. Cineres plantarum non ſemper eandem alca-
lini ſalis copiam largiuntur, atque illi, qui Tache-
niana methodo, ſeu ex plantis in carbonem prius
mutatis, obtinentur; hinc, colligit Auctor, videtur
patere, volatile ſal in fixum mutari, aut ex ſubſtan-
tia vegetabili ſalina ſubacida ignis vi ſal produci,
quod a natiuo, ſeu proprio plantae ſale admodum
ſit diuerſum. Ceterum elutriati cineres terram in
acidis inſolubilem largiuntur, quae tamen, ſi valido
igne fuerit calcinata, cum acidis efferueſcit, et par-
tim ab iis ſoluitur. Praeterea eadem terra, dum
in libero aëre animalia et vegetabilia comburun-
tur, aliqua parte volatilis redditur, et cum oleoſis,
ſalinis-

ſalinisque particulis ſimul auolantibus fuliginem conſtituit.

Calcinationi velut oppoſita reductio eſt, quae p. 82. vel ignis, vel aquae ope, reſtitutoque eo, quod calcinata corpora amiſerant, abſoluitur; hinc ſalibus aërem et aquam, metallicis autem calcibus eam phlogiſti copiam, quae ad metallicam formam iisdem tribuendam neceſſaria eſt, reddi conuenit. Iam vero, cum metalla elaſticum etiam aërem foueant, qui in calcibus eorundem fixus redditus eſt, reductione ſimul hic expelli, aliusque ſubſtitui, aut qui non erat elaſticus in elaſticum tranſmutari debet, vt eiusdem aliqua portio metallo vniri, ſuperflua vero inde excuti queat. Ceterum, quod ſpectat ad rationem, cur nonnulla metalla facile, alia difficilius reducantur, ea a maiore aut minore inflammabilis principii cum metallica ſubſtantia affinitate repetenda non eſt; etenim facilius ſeparatur a ferro et cupro phlogiſton, quam a ſtanno atque biſmutho, et illa tamen metalla haud facile, haec vero facillime reducuntur. An, quaerit Auctor, reductio eo eſt facilior, quo citius fixus aër ex metallica calce expellitur, nouusque metallo intime vnitur? An ea metalla, quorum partes conſtitutiuae facilius inuicem vniri, ſicque metallum efficere poſſunt, facilius reducuntur? Certe, inquit, cuprum etiam in acidis ſolutum immiſſo ferro propterea facile reducitur, quod partes eius conſtitutiuae ab acido leuiter diſſociatae accedente phlogiſticato ferri aëre, metallicam formam denuo recuperant, quod ſecus euenit, cum ſicca via reduci cupri calx debet.

Illuſtrandae huius de reductione doctrinae p. 85. cauſa ſubiunxit Auctor varias methodos, quibus in antimonii, arſenici, biſmuthi, zinci, ſtanni, ferri cet. calcibus reducendis vti conuenit, ſimulque, cuius vſus ſint huius operationis producta, addit. Inter

 corol-

corollaria occurrit Noſtri de ratione, qua ferrum in chalybem mutatur, opinio; nouum ignem a ferro ſuſceptum huius effectus cauſam eſſe non poſſe arbitratur, quod carbo poſt inſtitutam ferri caementationem idem maneat, nec vllum, peracta operatione, metallo accedat pondus; hinc ipſi magis ſimile vero videtur, ferrum ſummopere rarefactum, remittente calore, etiam valde condenſari, hacque ratione maiorem illam duritiem et elaſticitatem acquirere, quae chalybi propria eſt.

p. 95. In tertia ſectione Auctor de ſolutione loquitur, quae fit, quoties ſolidum quoddam corpus ab alio in fluidum ſtatum redigitur. Princeps inſtrumentum, quo haec abſoluitur operatio, ignis eſt, et per eum ſalia. Sic corpora, eaque maxime refractaria, velut calx, argilla, ſilex cet. ſalibus vnita ab igne diſſoluuntur; ſic arſenicum et docimaſtici fluxus omnium terrarum vitrificationem accelerant, et metallicae calces ſulphuratae multo citius, quam nudae, ab igne liquantur. Ceterum cum referri ad ſolutionem fuſio, vitrificatio, amalgamatio, extractio et diſſolutio conſueuerint, Noſter cuiusque operationis iniicit mentionem, et, quo modo peragi quaeque debeat, annotat.

p. 100. Fuſione liquatum corpus haud mutari, vitrificatione autem velut inuerti, illudque in ſubſtantiam fragilem, et plus minus pellucidam transformari notiſſimum eſt. Ignem autem exigit metallorum vitrificatio multo vehementiorem, quam fuſio atque calcinatio, ſunt tamen aliae calces, quae fortiori, aliae, quae debiliori igne indigeant. Cauſa omnis vitreſcentiae a ſalibus repetenda eſt, quippe absque ſale nullum parari vitrum poteſt; hinc ſalia et metalla, quae principio ſalino valde abundant, ſine vllo additamento vitre-

vitreſcunt, quae vero refractaria ſunt, ea, niſi ſalia addideris, vitri naturam haud vnquam induent. Ceterum, quod ſpectat ad rationem, cur eadem metallica calx, pro varia eiusdem praeparatione, nunc facilius, nunc difficilius in vitrum abeat, ea a maiori aut minori phlogiſti eidem inhaerentis copia dependet.

Amalgamatio, quae inter humidam et ſiccam p. 103. ſolutionem velut media eſt, hydrargyri ope fit, eaque mox trituratione, mox fuſione peragi debet. Quo maior autem fuerit metalli ſuperficies, hoc facilius, experientia teſte, cum hydrargyro vnionem init; hinc cuprum a nitri acido in minimas particulas diuiſum, indeque a ferro praecipitatum, promte a mercurio amplectitur. Rubinus arſenicalis cum hoc ſemimetallo pariter vnionem init, purum arſenicum non item, cuius rei cauſa ignota eſt; nam a ſulphure repeti ea, auctore Noſtro, non debet, quod alia ſulphurata metalla difficilius, quam nuda, a viuo mercurio recipiuntur.

His operationibus, quemadmodum etiam extractione atque diſſolutione varia producta parantur, quorum in medicina, oeconomia, aliisque artibus vtilitatem Noſter paucis expendit, ſimulque p. 131. nonnullas enchireſes iis, qui metalla ex mineris excoquunt, profuturas admiſcet.

Operatio illa, qua ſolutum corpus a ſoluente p. 141. rurſus ſecernitur, praecipitatio vocatur, eaque affinitatum potiſſimum innititur ſcientiae. Etſi autem hoc obtinet inter praecipitationes diſcrimen, vt alias ſpontaneas, alias violentas dicamus, putandum tamen non eſt, priores absque omni alterius corporis auxilio peragi, quippe atmoſphaericus aër, commixtaeque cum eo partes ad hoc opus non raro multum conferunt. Inter producta praecipitationis Noſter non ſolum ea corpora, quae che-

mica

mica arte ex ſolutionibus obtinentur, refert, verum etiam illa concreta, quae in animantium et vegetabilium corporibus, aut ex fluidis eorundem, velut praecipitatione quadam generantur, huc trahit, eorumque analyſes reddit cognitas.

p. 171. Ad ſalium cryſtalliſationem quod attinet, etſi ea, auctore BOERHAAVIO, propterea videtur euenire, quod ingens dominatur inter illa attractio, per quam partes eorundem in certa diſtantia poſitae ingenti impetu in mutuos et proxime vnitos ruunt amplexus, ſtatuendum tamen ſimul eſt, aërem cum fixum, tum elaſticum ad omnium ſalium cryſtalliſationem omnino requiri; nam alcalina ſalia fixo aëre deſtituta in cryſtallinam maſſam haud abeunt. Ceterum ratio, ob quam ſal alcali cauſticum redditum ſe ita gerat, forte in igne peculiarem in modum ipſi vnito poſita eſt. Fulminans calcis auri, eam ipſam ob rem fulminantis dictae, virtus a ſalibus eidem adhaerentibus dependet; etenim ſi rite calcem ablueris, aut in alcalino lixiuio coxeris, vel cum vitrioli acido irroraueris, fulminantem vim ea penitus amittet. Alcalinum lixiuio ſanguinis inhaerens ſal cum acidis non efferueſcit, quod animali phlogiſtica ſubſtantia inuolutum eſt, quae, quo minus vniri cum iisdem queat, impedit. Sed hoc ipſum inflammabile illud eſt, quod calcem ferri tingit, eique coeruleum tribuit colorem, quodque in igne auolat, remanente martiali et argilloſa terra, coeruleo colore ſpoliata. Hinc inflammabilis ſubſtantia metallicae terrae magis affinis eſt, quam lixiuioſo ſali.

p. 175. Progredimur ad deſtillationem, de qua Noſter in quinta ſectione diſputat. Quo firmius particulae ab aliis deſtillatione ſeparandae cum iis cohaerent, et quo maior eſt ſpecifica earundem grauitas, hoc fortiori igne indigent. Sic zincum, vitrioli

oleum,

oleum, hydrargyrus cet. maiorem, olea et aqua minorem, et alcohol atque ſalis ammoniaci ſpiritus minimum ignis gradum exigunt. Sunt autem corpora hoc modo parata nunc eductis, nunc productis annumeranda, prout nimirum vel eodem in ſtatu, in quo erant in mixto, expelluntur, vel ignis aut additamentorum vi quodammodo, aut prorſus mutata obtinentur. Refert Noſter, variis rationibus motus, ad productorum claſſem etiam nitri atque muriae acidos ſpiritus, ſiue, quod idem eſt, partem aliquam nitri atque communis ſalis ab igne, certisque additamentis mutari in acidam, aliam vero in alcalinam ſubſtantiam ſibi perſuadet; fatendum tamen eſt, nobis nullam occurriſſe inter argumenta prolata rationem, ob quam hanc ipſam opinionem amplectendam putaremus. Alcoholis in naphtham mutatio propterea haudquaquam euenit, quod a meraciſſimo vitrioli acido inflammabilis ſpiritus ea aqua, quae diuelli alia ratione ab eo non poterat, ſpoliatur, quippe aliis proprietatibus naphtha gaudet, quam vini ſpiritus; hinc ſtatuendum potius eſt, ex illis liquoribus ſimul vnitis nouum, illudque ab vtroque diuerſum exſurgere productum, quod alcohole eam ob rem magis inflammabile eſſe videtur, quia corpus ex phlogiſto ſulphureo acido inhaerenti, et inflammabili alcoholis ſubſtantia mixtum ſiſtit.

Inter deſtillationem atque ſublimationem quae eſt differentia, ea vnice in eo poſita deprehenditur, quod volatilis ſubſtantia priori artificio guttatim, ſiue in fluida forma in recipiens vas tranſeat, in eoque omnis colligatur, altero vero in ſicca forma ſuperiori chemici apparatus loco affixa haereat. Ceterum ſublimatio pariter atque deſtillatio, pro ſpecifica ſublimandi corporis grauitate, mox fortiorem, mox debiliorem ignem exigit, quemadmodum cinnabaris, p. 212.

nabaris, ſalis ammoniaci, cet. teſtimoniis conſtat. In productorum huius operationis catalogo recenſet Noſter ſedatiuum ſal, camphoram rectificatam, ſulphur artefactum, mercurium ſublimatum, flores benzoës, cet. eorumque in medicina vſum docet.

In ſeptima ſectione mixtionem Auctor exemplis variis illuſtrat, ſimulque aduerſus WALLERIVM, VOGELIVM, aliosque monet, cobaltum mixtum eſſe corpus, neque inter metalla referendum; nam dari cobaltinas, quae dicuntur, mineras, quae nullum metallum contineant, et nihilo tamen minus coeruleo colore vitrum tingant, euictum eſt; hinc regulum ex huiusmodi mineris eductum a niccolo, biſmutho, arſenico, cet. originem ſuam repetere ſtatui debet. Ex corollariis huic ſectioni annexis illud notamus, quod ſpectat ad rationem, propter quam pyrophorus in libero aëre accendatur? Scilicet tenuiorem acidi vitriolici partem cum inflammabili principio in pyrophoro ita coniunctam eſſe arbitratur Auctor, vt cohaeſione hac ab aëre accedente ſublata, igneum elementum inde protinus euolui, ſicque flammam producere valeat.

XIII.

Auctarium ad ALB. HALLERI Elementa Phyſiologiae corporis humani excerptum ex noua editione et adaptatum veteri. Faſciculus primus. pagg. 84. Lipſiae et Francof. 1780. 4. Faſciculus ſecundus, ibid. eod. pagg. 87. Faſciculus tertius, ibid. eod. 48. Faſciculi quarti, Pars prima, pagg. 44. ibid. eod.

Deriuatum eſt hoc auctarium ex noua editione, quam curauit Ill. HALLERVS et cuius iam mentio-

mentionem fecimus *), dum eiusdem nouae editionis primam partem recenſuimus. Quapropter, cum iam ipſum librum breuiter indicare inceperimus, hic nihil niſi praefationem, e qua elucet huius inſtituti ratio, conſideremus et reliqua volumina nouae editionis ſubinde commemoremus. Comparatis enim his duabus editionibus, earum differentia potiſſimum cernebatur in forma et in additis rebus nouiter detectis ſeu omiſſis, mendis emendatis nec non in dubiis vel reuocatis vel denuo motis item in rebus aliis atque aliis in locis veteris editionis ſparſis in vnum nouae coactis locum inque rebus aptiori loco collocatis, quam in rerum propoſitarum ordine mutato, quem ſecutus eſt HALLERVS in prima editione. Ac noluit aliter HALLERVS, vti ex fine praefationis Hallerianae nouae editioni praemiſſa, intelleximus: " Ordinem ſervaui eundem et libros perinde triginta, ſed multa contraxi, alia aptiori loco diſpoſui, vere vtilis nihil omiſi. „

In vſum itaque et commodum amicorum veteris editionis Hallerianae phyſiologiae ex noua excerpta atque hic collecta ſpectantur haec additamenta eaque ipſa veteri editioni, ratione typorum ſtanneorum, chartae, formae cet. ita ſimilia effecta, vt ne, hoc auctario adiuncto, vllum, quoad contenta veterem inter et nouam editionem intercederet diſcrimen. Vt autem ſpatio, volumini et pecuniae parceretur, hae adhibitae ſunt cautiones.

Ac primum quidem quod ad praefationes quorundam nouae editionis tomorum attinet, eae pene verbotenus deſcriptae ſunt. Collecta poſtea ſunt omnia omnino ea additamenta, quae nouitatem rerum prae ſe ferunt ſiue emendationi ſiue illuſtra-

*) vid. ſupra. p. 29.

luſtrationi veteris editionis ſeruiunt ita in octo faſciculos, vt ſinguli faſciculi initium dirigat finis vnius cuiusque tomi primae editionis in forma quarta. Quapropter, vt quilibet faſciculus cuique tomo veteris editionis commoditatis ergo poſſit iungi, paginarum numerus ſinguli faſciculi fine eſt finiendus.

Faſciculi autem quarti diuiſio in primam et ſecundam partem pendet a fine octaui voluminis, quod hactenus vltimo loco de noua hac editione prodiit. Simulac reliqua vero volumina apparuerint, ita ſecunda pars faſciculi quarti finietur, vt ſinguli tomo reſpondeat ſingulus faſciculus.

Singulorum autem verborum vnam eandemque rem ſignificantium, nec ſenſum mutantium, nec iam dictas in vetere editione illuſtrantium res, aliqua habita eſt cura. Loci porro in vetere disiuncti et in noua editione vniti aut in hac ex ea omiſſi aut breuius ſeu bis dicti diligenter laudati ſunt et, rebus mutationem paſſis, accurate repetiti.

Notarum ita eſt habita ratio, vt nouis additis, emendatae commemorarentur et omiſſae delerentur. Typographica errata eaque non adeo rara huius nouae editionis corrupta effecerunt loca varia. Pariter nomina Auctorum, librorum inſcriptiones cet. erroribus non ſunt deſtituta. Quibus in rebus ita verſatus eſt editor huius auctarii, vt, ſi fieri potuit, hi errores emendarentur. Quod ſi vero per eorum difficultatem non licuit, quid eſſet ſentiendum, communicatum, ac ſi prorſus nulla corrupti loci adhiberi potuit medela, ſaltem indicatum eſt. Quae et forte alia ab editore huius auctarii ſi editor nouae editionis corriget, finita ea, repetere promittitur, hoc auctario ad finem perducto. Tabulae aeneae, quae nouitatem produnt, curabuntur.

Quae

Quae praeterea in veterem et nouam huius phyſiologiae Hallerianae editionem cadit diuerſitas, intelligi facile poteſt ex praefatione veteris editionis aucta, nouae praemiſſa et huic ipſi auctario, quatenus nouitatem ſpectat, inſerta. Omnibus demum his octo faſciculis finitis, qui octo tomis veteris editionis ita accommodati et adaptati ſunt, vt ad ſingulum tomum veteris editionis ſingulus faſciculus huius auctarii reſpiceret, vltimo loco index horum additamentorum adhibebitur, partim vt Lectorum queat indulgeri ſtudiis, partim vt et hac in re haec denuo vulgata additamenta, eaque ipſa non parua, veteri elementorum phyſiologiae editioni prorſus ſimilia efficiantur.

XIV.

Herrn S. A. D. TISSOT, *der Arzneykunſt Doktors und öffentl. Lehrers zu Lauſanne, Mitglieds, der königl. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu London, der mediciniſchphyſiſchen Akademie zu Baſel, der ökonomiſchen Geſellſchaft zu Bern, und der Geſellſchaft der Phyſiſchexperimentalen zu Rotterdam ſämmtliche zur Arzneykunſt gehörige Schriften, nach den neueſten von dem Herrn Verfaſſer ſelbſt verbeſſerten uud vermehrten Originalausgaben, aus dem Franzöſiſchen und Lateiniſchen überſezt, und mit einigen Anmerkungen begleitet, von* IOH. CHRIST. KERSTENS, *der Weltweisheit und Arzneykunſt Doktor und öffentl. ordentl. Lehrer auf der königl. Univerſität zu Kiel, der Römiſchkaiſerl. Akademie der Naturforſcher Mitglied. Erſter Theil. Zweyte viel verbeſ-*

verbeſſerte und vermehrte Auflage. *Leipzig, bey Friedrich Gottlob Jacobäer und Sohn,* 1779. 8. *Seitt.* 682.

i. e.

S. A. D. TISSOT opera medica aucta per Auctorem et translata in Germanicam linguam e Franco Gallica et Latina, additis nonnullis annotationibus, a Cl. IOANNE CHRISTIANO KERSTENS.

Prorſus ſuperuacaneum videtur tam opera haec hic laudare, quam translationem ipſam, quae altera vice iam prodit. Interim maiorem in modum placere et nobis hoc ipſum inſtitutum, cuius rationem iam damus, non poſſumus non fateri. Ac primum quidem pollicetur Cl. KERSTENS omnem curam atque diligentiam in hac verſione, porro nouiſſimas ſemper et genuinas editiones Tiſſotianas vertit, et praeterea verſiones iamiam vulgatas de quibusdam Tiſſotianis libris, iisque potiſſimum additas notas in vſum hunc vocat. Triplex itaque que notarum genus hic occurrit, vnum pertinet ad TISSOTVM, alterum ad translatores praecedentes et tertium ad Cl. KERSTENS; Editionum item hic expendit varietatem. Nos vero hic ita volumus verſari, vt ea Tiſſotiana, quae iamiam a nobis commemorata ſunt, laudemus et notarum potiſſimum rationem hic habeamus, reliqua autem, vti ſolemus, indicemus.

De ſanitate plebis inſtructio *). Eiuſdem libri
p. 1. editiones et verſiones variae hic narrantur. Haec verſio

*) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 543. et 552. ibi de diverſis editionibus et translationibus huius libri cum auctariis diſſeritur.

verſio eſt ſecundum ſextam editionem facta. Febris ſtipularis (*Stoppelfieber*) a tempore, quoniam poſt meſſem apparet, ita nominata, pertinax eſt et mixta *). Eſt nempe compoſita ex irregulari intermittente maligna, bilioſa putrida et inflammatoria febre. Cortici Salicis albi vulgaris vis febrifuga tribuitur. Quaſſia prorſus conuenit cum radice gentianae rubrae, et, vti nobis videtur, cum radice columbo gentiana. Clyſteres ex fumo nicotianae a TISSOTO et ab aliis, ventre infimo clauſo, in auxilium vocati non opem ferre Cl. KERSTENS videntur, dum magna aëris copia his ipſis enematibus immittitur. Inuaginatio inteſtinorum ſaepius eſt effectus morbi ilei, quam cauſa. In morbo ileo Cl. KERSTENS praefert, vti HAENIVS praecipit, iniectiones aquae tepidae in anum copioſiſſimae mercurio viuo et globulis plumbeis. Semen cinae ſ. ſantonici anthelminticum bonum quidem, inprimis infantibus, iudicatur; interim tamen hic notatur, ex eius vſu ortum eſſe magnum aeſtum cum alienatione ſenſuum, quae ſymptomata mox ceſſabant, ſepoſito ſeminis ſantonici vſu. Continuus vſus limaturae martis vermium generationi officit, vitrioli martis granum dimidium cum larga ſacchari doſi bis de die Cl. KERSTENS in hoc caſu praefert. In contuſionibus, vbi tumoris diſcuſſio ſine inflammatione praeſtanda eſt, laudatur mixtura ex aceto vini, ſpiritu frumenti et ſale communi. Hoc, quantum fieri poteſt, calide ſoluitur in aequalibus partibus duarum reliquarum, ſiue vna parte frumenti ſpiritus et duabus aceti vini. (Nos elegimus acetum et ſal commune in frigida ſolutione non fruſtra in hoc caſu, pariter vt et ſpiritum

*) Diſſ. inaug. de febre amphimerina ſtipulari in tractu Cyderoſtadienſi quotannis epidemica, Praeſide KERSTENS, Reſp. *Ebio.* Kil. 1774. 4.

MINDERERI cum ſpiritu matricali). Clauis pedum conducit cataplaſma pulpae citri quotidie renouatum, dolores enim non ſolum lenit, ſed emollit quoque et facilitat exſtirpationem.

XV.

Diſſ. medica inaug. de homine dextro et ſiniſtro. Auctore MEINARDO SIMON DU PUI. L. B. 1780. 8. apud fratres Murray, pagg. 191. praeter dedicationem, praefationem, diſſertationis argumenta et mantiſſam poſitionum medicarum.

Collectae ſunt hic notatu dignae obſeruationes morborum, quae in dimidia corporis humani parte ſolummodo ita oboriuntur, vt alterius lateris actiones nequaquam laedantur. Quemadmodum nunc SYDENHAMVS neruorum ſyſtema *hominem in homine* appellauit, morborum genera, qui vnum tantum corporis latus affligunt, titulo *hominis dextri et ſiniſtri* affectionum Noſter inſigniuit.

p. 2. In ſectione prima de affectionibus alterutrius lateris, inprimis ex vaſorum ſyſtemate, aliiſue partibus deducendis agitur. Introductione, qua de elegantia et harmonia corporis humani diſputatur, praemiſſa, ad obſeruationes Noſter progreditur propoſitam rem attinentes, et partim a Cl. DU PUI factas, partim ab aliis cum Eo communicatas, vel ex libris repetitas.

Caput Imum. *Obſeruationes morborum dimidii hominis continens.*

p. 5. Icterum vnius lateris hactenus apud nullum Auctorem reperit Noſter, obſeruauit tamen in apo-

plectico,

plectico, qui hemiplexia dextri lateris et eiusdem lateris ictero laborabat, corpus adeo accurate diuidente, vt etiam naſi, dextrum latus icteritium et ſiniſtrum prorſus integrum eſſet. Reſtitutus eſt aeger ſanitati, non diu autem poſt, ira iterum iterumque valde commotus, continua febre mortuus eſt.

Mater quinque liberorum ſiniſtrorſum ſudabat, inter grauiditatem vtrinque, eaque finita iterum ſiniſtrorſum. p. 8.

Quidam ob pediculos ſibi inungebat vnguentum mercuriale, indeque expertus eſt ſaliuationem ſolius dextri lateris. p. 29.

Hemizonatis necroſin obſeruauit DE MEZA in actis Hafnienſibus *). Euacuationes criticae alterutrius lateris, inprimis per nares dextras et ſiniſtras, hic enarrantur. p. 33.

In capite IIdo expoſitarum obſeruationum, harumque phaenomenorum cauſae disquiruntur. Explicationis cauſarum difficultate monſtrata, alios Auctores diligenter conſulit ſecundum ordinem obſeruationum in capite primo collectarum, quarum nonnullae a nobis non multum ante ſunt excerptae. p. 38. Quaenam momenta in explicatione cauſſarum affectionum alterutrius lateris conſideranda ſint, proponitur. p. 47. 1) Nonnullae vnius lateris affectiones, quae capite praecedente pertractantur, pendent quandoque a cauſis mechanicis ſolis, ita diſpoſitis, vt neceſſitate mechanica in vno modo producant latere affectiones; 2) aliae ſunt, quae a dynamica vaſorum actione repetendae ſunt; 3) ſuos quandoque producit vnius lateris morbos ſyſtema neruoſum et 4) lymphaticum; denique magnam hic meretur attentionem textus celluloſus,

 vt

*) vid. Vol. I. p. 141. Havn. 1777. 8.

vt totum corpus permeans, ſic praeprimis, et quod ad rem propoſitam magis ſpectat, obtegens illius ſuperficiem vna cum eius partibus, quae cutis nomine veniunt. Haec eſt Noſtri opinio, et vt hoc melius pateat, quid quaeuis lex, quidque quoduis particulare ſyſtema his contribuat, videat Noſter primum, inquiſiturus poſtmodum, quantum conſenſus omnium ſyſtematum, viriumque dynamicarum et mechanicarum connexio et conſociatio hic afferat praeſidii. Quapropter eo ordine hanc rem hic Noſter perſequitur eamque multis exemplis ex variis Auctoribus magna cum ſtudii aſſiduitate collectis et lectu dignis confirmat.

p. 76. Ergo finitis coniecturis de vnius lateris morborum cauſis, ad caput tertium Noſter progreditur, atque quaerit: num venaeſectio in pleuritide, aliisue morbis e directo, an in oppoſito latere inſtituenda ſit? Diuerſis Auctorum HIPPOCRATIS, GALENI, aliorumque opinionibus et variis rationibus pro et contra rem propoſitam traditis, ANDREAE VESALII *) ſingulari opinione examinata, WIPACHERI **) explicatione explorata, et ſelectus venarum ſecandarum in apoplexia ***), et laeſione cerebri, quam conſequitur hemiplegia, ratione habita, quid de venaeſectione e directo, an ex oppoſito inſtituenda ſtatuendum videatur, exponitur.

In

*) Epiſtola docens venam axillarem dextri cubiti in dolore laterali ſecandam eſſe, et melancholicum ſuccum ex venae portae ramis ad ſedem pertinentibus purgari. Baſil. 1539. 4. Hanc epiſtolam in omnibus VESALII operibus a BOERHAAVIO et ALBINO editis non reperiri, et admodum raram eſſe hic Cl. Auctor narrat.

**) v. comm. noſtr. Imae decad. Suppl. p. 433.

***) Addenda hic eſt diſſertatio IMMANVELIS GOTTLOB GERDESSEN de ſanguinis ex parte ſiderata per venam eductione, Praeſ. IOANNE CAROLO GEHLERO. Lipſ. 1778. 4.

In ſectione ſecunda de affectionibus alterutrius lateris a neruoſo ſyſtemate ſuam repetentibus originem agitur. Alii contendunt, vnum cerebri ſi afficiatur latus, ſuos in vno tantum latere produci effectus; alii e contrario ſectiones cadauerum et experientia edocti ſtatuunt, eſſe quidem duplex in ſua collectione, diſtributione atque agendi modo cerebri organon, verum ita illud eſſe comparatum, vt functiones alternent, ſic vt dextri hemiſphaerii nerui ſiniſtri corporis functionibus inſeruiant, ſiniſtri dextro corpori. Quam in doctrinam ab aliis acceptam et ab aliis rurſus reiectam hic inquirit. Ac primum quidem praemittit affectionum neruoſarum dimidii hominis obſeruationes in primo capite, dein in ſecundo Auctorum varias opiniones de alternorum ſyſtematis neruoſi morborum cauſis admodum diligenter proponit, ita vt ab HIPPOCRATE vſque ad METZGERVM *) opiniones colligat. p. 107.

His praemiſſis progreditur Noſter ad tertium caput et inquirens in doctrinam de decuſſatione neruorum eam quinque argumentis ab anatome et ratione repetitis praemiſſis reiicit et coniecturalem iudicat. Poſtea difficultates memorat Auctor, quae, reiecta hac doctrina, ſupermanent, atque disquirit num, negata decuſſatione, alia phaenomenorum explicatio in promtu ſit. Atque hic MORGAGNI et METZGERI, qui pariter decuſſationem neruorum non largiti ſunt, ſententias perſequitur, quae Noſtri non reſpondent aſſenſui, etiamſi Noſter hanc rem in dubio relinquit. „Conſtantem enim, inquit, hic haud eſſe obſeruationem, ita vt decuſſatim hic ſemper oritura ſint phaenomena laeſi dimidii cerebri, inuictis, ni fallor, demonſtraui argumentis; demonſtraui inſuper, haec ipſa phae- p. 166. p. 180.

 nomena

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 457.

nomena fictam neruorum deſtruere decuſſationem, et alia ratione ſuggeri argumenta, quae illam penitus reiiciendam ſuadeant: at ſimul ab altera parte innui, dubia hic ſupereſſe quaedam haud leuis momenti, ita vt, quid proprie de hac quaeſtione ſtatuendum ſit, in medio relinquam. Sufficit mihi, per multa ſecula inhaerentem opinionem et huic infidam ſuperſtructam explicationem excuſſiſſe cet.„

p. 182. Vtrum in apoplexia et laeſione cerebri, quam conſequitur hemiplegia, venaeſectio inſtitui debeat in affecto latere, an in oppoſito? quaerit Noſter et reſpondet in oppoſita parte affecti corporis. Porro quid ſtatui debeat de effectibus vulnerum capitis conuulſiuis vel paralyticis pro dimidia parte corporis, in facienda eorum ſedis diagnoſi, periculi prognoſi et curationis methodo. Sed fallit hic experientia, ideoque nihil hic poteſt determinari. Id quod amplius demonſtratum accipiemus in diſſertatione, quam Cl. DU PUI de contrafiſſura et vulneribus ca-
p. 184. pitis vulgabit. Vltimo loco inquiritur, quid ſyſtema neruoſum per ſe, quidque actione ſua in alias partes ad morbos vnius lateris conferat.

Quod attinet ad mantiſſam poſitionum medicarum viginti ſedecim, nonnullarum modo faciamus mentionem: „HVLMII *) lithontripticum, (vt ceterorum etiam ſors fuit), tantum valuit in aegro, cuius ſanationem prodidit in ſuo tractatu, vt poſt mortem eius calculorum magna copia in veſica fuerit inuenta.„ Scorbutus ad claſſem putridorum morborum pertinet, eiusque cura antiſeptica vnica eſt.

XVI.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 681.

XVI.

Noua phyſico-medica.

Academia nouiter fundata *Lisbonenſis* quaeſtionem, anno 1781 ſoluendam, propoſuit hanc: *Diſquiſitio cauſſarum phyſicarum, quae regionis fertilitatem efficiunt, e quibus facile deduci poſſint regulae eae, quarum ope diuerſae ſpecies pro pretio ſuo diſcernantur, agri boni cognoſcantur, atque mali meliores reddantur.* In annum 1782 dedit definitionem *legis, ad quam corpora iacta per medium reſiſtens moueantur ita, vt ex hac regulae practicae artis baliſticae ſine magna difficultate formari poſſent.*

Praemium eſt moneta aurea 50000 Rees (ſeu 83-84. thalerorum); Octobri menſe eiusdem anni tractatus expectantur.

Regia *Gottingenſis* ſcientiarum Societas exſpectauit menſe Nouembris anno 1780 huius quaeſtionis ſolutionem: *Quo modo veterum metallifodinae comparatae erant et conſtitutae, ita, vt declaretur accuratius, quam adhuc factum eſt, veterum res metallica, hoc eſt, ars et ratio, quam veteres in fodiendis et tractandis metallis ſequuti ſunt; atque comparetur ea cum re metallica noſtri aeui; et doceatur, ſi quid inde elici poſſit, quod vtilitatem aliquam in re noſtra metallica habeat?*

Cuius quidem quaeſtionis ſolutio ad menſem Nouembrem anni 1783 relata eſt.

In annum 1781 menſis Nouembris quaeſtio propoſita ita ſe habet: *Alcali minerale et lixiuioſum, ſuntne ſpecie diuerſa, an ſola varietate? Si ſpecie non differunt, quaeritur: an poſſit additamento aliquo lixiuioſum mutari in minerale? Quod qui effecerit, plurimum videtur profuturus iis, qui ſal humorem ex aëre attrahens coquunt.*

Praemium eſt moneta quinquaginta nummorum aureorum pretio. Ceterae cautiones poſſunt inueniri in ſuperioribus horum commentariorum voluminibus.

Societas naturae ſcrutatorum *Berolinenſis* viginti nummorum aureorum pretium ei conſtituit, qui propoſitiones ſequentes optime reſoluet: *Combien de tems la rage ou la matiere venimeuſe réſide-telle chez les animaux, & pendant quel eſpace de tems ſe communique-telle? Combien de tems cette même matiere venimeuſe peut-elle exiſter dans un corps ſans ſe manifeſter? Du moment que le mal ſ' eſt communiqué, quels moyens peut-on employer avec le plus de ſuccés, jusqu' à l' inſtant ou, la rage ſe manifeſte, afin d' obtenir une guériſon radicale?* id eſt: *Quousque rabies vel materia venenoſa in animalibus manet et quonam temporis ſpatio ſe aliis communicat? Quamdiu haec materies latere in corpore poteſt, priusquam ſe prodit? Si malum contagio ſuſceptum eſt, quaenam remedia ſtatim initio vſque ad rabiei eruptionem optimo cum fructu in auxilium vocanda, vt ex toto malum profligetur?*

Qui has quaeſtiones enucleare volunt, mittant ſua ſcripta aut Latine aut Gallice exarata ante diem 24 Iunii 1781. ad M. OTTONEM, qui huic Societati eſt a ſecretis.

Quam Academia Regia *Pariſina* d. 20 Octobr. anno 1778. propoſuerat quaeſtionem *de febre miliari, eiusque differentia ab aliis febribus exanthematicis;* 300 librarum Gallicarum pretium d. 31 Aug. 1779. decreuit Cl. AUFAUVRE, Doctori medicinae in Academia Monſpelienſi. Eadem duo praemia diſtribuit inter Cl. RAYMOND, Socium Maſſilienſem, Cl. DIDELOT, Chirurgum, Cl. VILLARS, medicum et botanicum, et Cl. FLANGERGUES filium, medicum Vivarien-

rienſem, illi enim omnes certorum locorum topographiam medicam egregie ſcriptis explicauere.

Rurſus quoddam pretium nouae fundationis conſtituit ſolutioni propoſitionis ſequentis: *Etablir par l' analyſe chemique, quelle eſt la nature des remedes anti-ſcorbutiques proprement dits; par l' obſervation, quel doit être leur uſage & leur combinaiſon dans les différentes eſpeces & complications du ſcorbut.* id eſt: *Analyſi chemica medicamentorum antiſcorbuticorum naturam definire, et eorum vſum et coniunctionem in diuerſis et complicatis ſcorbuti generibus obſeruationibus* demonſtrare.

Diſputationes tradantur Academiae ante menſ. Iun. 1781. Pari modo optat, vt ei elaborationes mittantur, tractantes, 1) *deſcriptiones topographicas medicas variarum Galliae vrbium,* 2) *Analyſin et effectus aquarum mineralium,* 3) *Artificum morbos,* 4) *Morbos tam acutos, quam chronicos, quibus animantia bruta omnis generis ſunt ſubiecta.* Scripta huius argumenti ſibi tradita praemiis remunerabit elaborationibus omnino dignis.

Inter Facultatis medicae *Lipſienſis* Aſſeſſores *) mortuo b. POHLIO **), Cl. ADAMVS MICHAEL BIRKHOLZ eſt receptus.

Cl. ERNESTVS GOTTLOB BOSE Senior Facultatis factus Pathologiae profeſſionem nactus eſt.

Cl. IOANNES CAROLVS GEHLER Anatomiae et Chirurgiae Profeſſionem accepit et

Cl. ERNESTVS PLATNERVS Phyſiologiae Profeſſionem adiit programmate, de inſpiratione principii vitalis.

Cl. NATHANAELIS GODOFREDVS LESKE Societatis liberae Imperialis oeconomicae *Petropolitanae* electus eſt Sodalis.

XVII.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 560.

**) v. ibid. Vol. XXIII. p. 716.

XVII.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1774 prodierunt.

Mémoires et obſeruations recueillies par la Societé économique de Berne, a. 1772. Vol. I. et II. à Bern.

Nuova raccolta d'opuſcoli ſcientifici cet. Vol. XXVI. (*v. ſupra.*)

Verhandlingen te Haarlem XV. Deel.

Verhandlingen te Rotterdam.

Abhandlung der freyen ökonomiſchen Geſellſchaft in St. Petersburg, zur Aufnahme des Ackerbaues und der Hauswirthſchaft, 3. *und* 4*ter Theil. Petersb. und Riga.*

Medeciniſchchirurgiſche Bibliothek. 1. *B.* 1. *St. Koppenh.* 8. (Auctore IOANNE CLEMENTE TODE.)

Geſchichte und Verſuche einer chirurgiſchen Privat-Geſellſchaft zu Koppenhagen. Koppenh. 8. (Editore IO. CLEM. TODE.)

Abregé elementaire de botanique à l'uſage de l'école de botanique de Lisle. à Lisle. 8.

Verzeichnis der vornehmſten, rareſten und beliebteſten Fruchtbäume, welche in den Baumgärten der Cartheuſer zu Paris gezogen werden. Wien. 8.

Theoretiſch praktiſcher Wegweiſer zur höhern Chemie. Breslau und Leipz. 8.

Pharmacopoea Auſtriaca provincialis. Vienn. 8.

Hiſtoire et mémoires de la Societé formée à Amſterdam pour ſecourir des noyés a. 1767. à Amſterd. 8.

Regola ſtabilita per la pubblica ſcuola veterinaria iſtituta dal Senato per il decreto del 9 Sett. 1773. nella città di Padova. In Venezia. 4.

Schets der geheele Verloſſing geſchekt van derſelben Grondluzingelen velkommen te beren. Haag. 8.

Abhandlung von den wilden Caſtanien, und deren Nutzung zur Fütterung und Mäſtung des Hornviehes und der Schafe, (ſ. l.)

Abhandlung von der Viehſeuche zum Beſten des Landes zu Bern bekannt gemacht.

Der Preuſiſche Sammler zur Kenntniß der Naturgeſchichte, zur Verbeſſerung der Stadt und Landwirthſchaft, der Polizey und des Finanzweſens, zur Ausbreitung der Preuſiſchen Geſchichte und Alterthümer. I. *Band. Königsberg.* 8.

Abhandlung vom Hopfenbau. Dresden. 8. (Inſerta eſt etiam haec tractatio actis Societatis oeconomicae Lipſienſis.)

Dizionario univerſale economico ruſtico. Vol. III. et IV. In Milano. 8.

Das gerechte Verhältniß der Viehzucht zum Ackerbau, aus der verbeſſerten Meklenburgiſchen Wirthſchafts-Verfaſſung abgeleitet. Berlin. 8. (Noua eſt editio.)

Die Fiſchjagd für einzelne Liebhaber, in zwey Abtheilungen. Hamburg und Flensburg. 8.

Inſtruccion curativa de las Viruelas, diſpueſta para los Facultativos, y acomodata para todos; Por el Doctor Don IOSEPH AMAR. En Madrid.

Table pour ſervir à l'hiſtoire anatomique cet. Par M. FELIX VICQ'D'AZYR. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 263.)

Tractaat of te cordeel kundige anmerkinge over de beruchte Kayſerſnee, door P. I. VAN BAVEGHEM. Dendermonde. 8.

Récherches ſur la maladie epizootique pour ſervir de reponſe à la lettre cet. Par Mr. BELLEROCQ. à Bourdeaux. 8.

I. F. DE BERKHEY natuurlyke hiſtorie van Holland 3. Deels. 4. Stuck. Amſterd. 8. (*Prodiit huius libri verſio Germanica.*)

Abre-

Abregé de l'art d'accoucher à l'uſage des accuocheurs, des ſages femmes & des meres de famille de Montpellier. Par Mr. BERDOT le fils. à Bâle. 8.

Lettera di FRANCESCO BIVMI ad un amico ſull' efficacia dei purganti nel volvolo. 12. (*ſ. l.*)

PH. ADOLPH. BOEHMER diſſ. inaug. de rheumatiſmo, febreque rheumatica. Reſp. *I. F. C. Hartog.* Hal. 4.

Aphoriſmos de Cirurgia de HERRMANN BOERHAAVE, comentados por ſu diſcipulo VAN SWIETEN, y traducidos al Caſtellano, con las notas, de Mr. LUIS. Por Don IUAN GALISLEO Y XIORRO, Profeſſor de Medicina, y Académico de la Real Academia Medica Madridenſe. En Madrid. 8.

* BONNART diſſ. vlcus inueteratum ſi exaruerit, arte renouandum. Reſp. *le Tenneur.* Pariſ. 4.

* BORDENAVE diſſ. de abſceſſu abdominis et effuſione ab eroſione vermium. Reſp. *M. Noell.* ib. 4.

VON BORN *Briefe über mineralogiſche Gegenſtände* (v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 496.)

G. F. BRANDERS *kurze Beſchreibung einer kleinen Luftpumpe. Augsburg.* 8. *m. K.*

D. I. P. BRINCKMANNS *Wirkung des Blattereiters, bey der Inokulation. Cleve und Düſſeldorf.* 8.

* * BROVSSOVNET diſſ. de variolis et earum inſitione. Reſp. A. VINÇENS. Monſpel. 4.

La maſcalcia, o ſia medecina veterinaria ridotta a' ſuoi veri principj da GIOVANN. BRVGNONE. In Turin. 8.

An Herrn IO. FRIEDR. HENKEL *von* IO. CHRIST. BRVNS. *Hannover.* 4. (Obſeruationes chirurgicae variae).

P. BRYDONE'S *Reiſe.* (v. Erxleben.)

G. L. DE BVFFON hiſtoire naturelle, generale et particuliere, Supplement. Tom. I. à Paris. 4.

Gerech-

Gerechtelyke en ontledkundige verhandeling over te tekeren van leven en dood in nieuwgeboorene Kinderen, van P. CAMPER. Leuwarden. 8.

Gedachten over de misdaed van Kindermoord, over de gemakkelykke wyze Vondlinghuyzer in te voeren, over de oorzaken van Kindermoord en over Zelfmoord, van P. CAMPER. Leuwarden. 8.

Het belang der maatſchappie in het beteugeln van den Kindermoord, in brieven, aan H. PET. CAMPER. van *S. M. V. D.* ibid. 8.

I. F. CARTHEVSER diſſ. ſiſtens quasdam theſes phyſico - medicas varii argumenti. Reſp. *G. Rupprícht.* Franc. ad Viadr. 4.

Carta Hiſtórico - Medica, eſcrita por D. MANUEL RUBIN DE CELIS á un amigo ſuyo, ſobre la inoculation de las viruelas, en que ſe explica el origen de eſta práctica, los efectos de ella, el modo de executarla y ſus ventajas. En Madrid. 4.

I. CLAPROTH *Erfindung aus gedruckten Papier wiederum neues zu machen, und die Druckfarbe völlig heraus zu waſchen. Göttingen.* 8.

Directions for the management of children. By CLARKE. Lond. 8.

Oſſervazioni meteorologiche e botanico - mediche del Abb. BONAVENT. CORTI. In Moden. 8.

Mémoire ſur la meilleure methode d' extraire et de raffiner le ſalpêtre. Par Mr. TRONSON DU COUDRAY etc. à Upſal.

I. A. CRAMERS *Anfangsgründe der Metallurgie,* I. *Theil. Blankenb. und Quedlinb.* fol.

L. M. V. D. Brieven an CAMPER V. CAMPER.

IO. HENR. DELIUS diſſ. de aethiope vegetabili cum additis nonnullis de ſalibus. Reſp. *I. L. Meyer.* Erlang. 4.

CARL NIC. DESMONEUX, Non ergo ex pulſu nota

criſium

criſium praeſagia. Reſp. *Petr. le Conte.* Caen. 4.

Iconum et nominum plantarum rariorum horti Elthamenſis, a I. I. DILLENIO deſcriptarum. L. B. et Berol. fol.

Mémoire ſur la maladie epizootique contenant le rapport de l' ouverture de deux boeufs morts de cette maladie. Par Mr. DOOZEN. à Bordeaux. 8.

Medical commentaries. By ANDR. DVNCAN. Vol. II. Lond. 8.

Unterricht von der allgemeinen Kräuter und Wurzeltrocknung, I. *Theil, von Zugemüßen, Sallaten und Gewürzen, wie ſolche getrocknet und in Kartuſe verpackt werden ſollen, mitgetheilt von* I. G. EISEN. *Riga.* 8.

Geſammlete und geprüfte Nachrichten von der Winterung der Bienen, von I. L. EYRICH. *Nürnb.* 8.

Conſultation ſur la maladie epizootique, qui regne en Gayenne et dans les pais circonvoiſins. Par Mr. FAVRE DE BEAVFORT. à Bordeaux. 4.

Remede approuvé pour querir radicalement le cancer occulte et manifeſte. Par LE FEBVRE. à Paris. 8. *Remedium eſt arſenicum quod interne et externe exhibet, in cancro occulto et aperto pro corporis conditione et remedii effectu prudenter obſervatis.* Cum vero huius libri poſſeſſione deſtituamur, amandamus noſtros Lectores ad elegantem collectionem obſeruationum *), cui ea Germanice inſerta ſunt, quae ad huius remedii vſum attinent, additis quibusdam aliis obſeruationibus de eodem remedio. Fuiſſe praeterea arſenicum in cancro non nuper laudatum a IOANNE AGRICOLA in ſuis obſeruationibus, ſuper

POPPII

*) *Sammlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauche pracktiſcher Aerzte. Zweyter Band. Viertes Stück. Leipzig,* 1775. 8. *p.* 170.

POPPII chemica medicamenta in HEMMANNI *) obſeruationibus, qui dubitare videtur de huius remedii effectu, legimus.

Ricerche fiſiche ſopra l' ari fiſſa dell' Abbate FELICE FONTANA. In Fiorenza. 4.

EIVSD. deſcrizioni ed uſi d' alcuni ſtromenti per miſurare la ſalubrità dell' aria. ibid. 4. c. f.

A critical inquiry into the ancient and modern Manner of treating the diseaſes of the urethra, with an improved method of cure. By JESSE FOOT. Lond. 8.

* GAUTHIER ſur l' uſage des cauſtiques pour la gueriſon radicale des hernies de façon à n' avoir plus beſoin des bandages. à Paris. 12.

El Hypocaſtano, ó Caſtaño de Indias, verdadero ſucedaneo de la Quina, trasplantado à los Iardines del Rei nueſtro Señor: Hiſtoria natural y Medica de ſus virtudes para la curacion de várias enfermedades: traducida del Italiano al caſtellano por Don CASPAR DIEZ Y GAVARDO. En Madrid. 4. c. fig.

Le monde primitif analiſé et comparé avec le monde moderne, conſideré dans l' hiſtoire naturelle de la parole, ou grammaire univerſelle comparative, avec figures. Par Mr. COURT DE GEBELIN. Tom. II. ibid. 4.

Mémoires des inſectes. Par Mr. DE GEER. Vol. IV. et V. (*v. comm. noſtr. Suppl. III. decad. P. I. p. 92.*)

A. GENOVESI *Grundſätze der Bürgerlichen Oekonomie, aus dem Italiäniſchen überſezt, von* A. WITZMANN. *Leipzig.* 8.

L' hy-

*) *Mediciniſch chirurgiſche Aufſätze hiſtoriſch prackti-ſchen Jnhalts, von* I. A. HEMMANN. *Berlin,* 1772. 8. *p.* 2.

L'hygiene, ou art de conſerver la ſanté, Poëme traduit du Latin, de Mr. GEOFFROY. à Paris. 8.

IO. FR. GLASERS *Beantwortung und Wiederlegung verſchiedlicher wieder ſeinen erfundenen und bewährt befundenen brandabhaltenden Holzanſtrich gemachten Einwendungen. Leipz.* 8.

EIVSD. *phyſikaliſch-ökonomiſche Abhandlung von den Blüthen verderbenden, auch Laub und Obſtfreſſenden ſchädlichen Raupen der Obſtbäume, und bewährten Hülfsmitteln, ſolche Raupen von den Obſt-Bäumen abzuhalten und zu vertreiben, nebſt mehreren andern dabey noch zu verſuchen vorgeſchlagenen Mitteln. Frankf. und Leipzig.* 8.

I. G. GLEDITSCHS *ſyſtematiſche Einleitung in die neuere aus phyſikaliſch-ökonomiſchen Gründen hergeleitete Forſtwiſſenſchaft. Berlin.* 8. 2. *Bände.*

Medical and chirurgical obſervations, or an appendix to a former publication. By BENIAM. GOOCH. Lond. 8.

THOM. GOULARD diſſ. de lue venerea. Monſpel. 4.

G. L. GROSSMANN *Plan zu Auseinanderſetzung ganzer Gemeinden mit ihren Ländereien, in Gegenden, wo das Erdreich von verſchiedener Güte und Beſchaffenheit iſt. Berlin und Stralſ.* 8.

Elements of the practice of phyſic. By IOHN GREGORY. Lond. 8.

Mémoires de Phyſique ſur l'art de fabriquer le fer, d'en fondre & forger des canons d'artillerie; ſur l'hiſtoire naturelle, ſur divers ſujets particuliers de phyſique & d'économie, avec vne table analytique des matières en forme de dictionaire pour ſervir à l'intelligence des termes techniques. Ouvrage orné de treize planches en taille douce: par Mr. GRIGNON. à Paris. 4.

Beyträge zur Naturgeſchichte des Schweizerlandes, 3. *Stück. Anzeige der Schweizeriſchen Mineralien,*

zuſam-

zuſammengetragen von G. S. GRVNER. *Bern.* 8.

Von der Sicherheit wider die Donnerſtralen, von PHILIPP. PETER GVDEN. *Götting. und Gotha.* 8. (Tractatio a Bavarica Scientiarum Academia praemio ornata.)

V. V. D. GVNNERVS Sammlinger die Huushalduings Widenſchaberne. Förſte Band, förſte hefte, indeholdende ekonomiſh Afhandling om Dannemarks og Norges natürlige Fordeele til Föde for Menneſchet af Planteriget. Kiöbenhave. 8.

A. DE HAEN de magia. Vienn. 8.

Mémoires ſur la maladie du betail. Par Mr. DE HALLER. à Berne. 4.

La generation, ou expoſition des phaenomenes relatifs à cette fonction naturelle, traduit de la phyſiologie avec des notes. à Paris. 8. 2. Voll. (Auctore EODEM.)

EIVSD. artis medicae principum Tom. X. et XI. Lauſannae. 8.

Epiſtolarum ab eruditis viris ad ALB. HALLERVM ſcriptarum Vol. II. - V. Bern. 8.

EIVSD. *Anfangsgründe der Phyſiologie, 6. Band.*

Traité genéral des pêches. Par Mr. DV HAMEL DV MONCEAU. à Paris. fol.

H. R. HARLE'S comment. VII. philologicae de Oculo. Erlang. 4.

Storia naturale dell' Iſola di Corſica all' Ill. Signore GIOVANN. GIORGIO HASENÖHRL DE LAGVSIVS. In Firenza. 8.

De ongerymdheid en ſchaadelyckheid van de ſtelling, betreffende het omfeilbare vermoogen van de Koortsbaſt in het geneezen van alle afgaande Koortzen, door ABR. HEEMSKERKE. Rotterd. 8.

Der graue Staar und deſſen Herausnehmung, nebſt einigen Beobachtungen von I. L. HELLMANN. *Magdeburg.* 8.

I. F. HENCKEL *chirurgiſche Operationen. 6. Theil.* (v. comm. noſtr. decad. IIdae Suppl. p. 728.)

I. L. HERRMANN *Abhandlung und gegründete Wahrnehmungen von der Kriebelkrankheit, ſo in Niederheßen 1771. und 1772. graſſirt hat. Caſſel.* 8.

I. HILLS Eden, or a compleat body of gardening etc. London. Fol.

H. W. HÖNERT *gründliche Anleitung zum Anlegen und Unterhalten eines wohlbeſtellten Blumengarten. Bremen.* 8.

T. E. HOPPENS *Geraiſche Flora. Iena.* 8.

Expoſition raiſonnée des differentes méthodes d'adminiſtrer le mercure dans les maladies vénériennes, précedée de l'examen des préſervatifs. Par Mr. DE HORNE. à Paris. 8.

Natuurlyke hiſtorie van LINNAEVS. 2. Deel, van F. HOVTTVYN. Amſterd. 8.

I. E. G. JACOBSON *Schauplatz der Zeugmanufakturen in Deutſchland etc. Berlin.* 8.

IACQVIN flora Auſtriaca. Vol. II. (*Primum volumen v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 241.)

H. F. W. IAHN ep. plantas quasdam circa Lipſiam nuper inuentas continens. Lipſ. 4.

FERD. DE IEAN diſſ. ſiſtens hiſtoriam, analyſin chemicam originem et uſum oeconomicum ſodae Hiſpanicae. L. B. 4.

EIVSD. diſſ. de medicatione morborum ſine operatione manuali. ibid. 4.

Geheime Scheidung der Metalle und derſelben Nutzbarkeit, von G. I. ITTERHAGEN. *Braunſchw.* 8.

E. IVES *Reiſen nach Indien und Perſien, aus dem Engl. mit hiſtoriſch und geographiſchen Zuſätzen vermehrt von* E. W. DOHM. 8.

Kurze Abhandlung derjenigen inländ. Pflanzen, durch deren unvorſichtigen Gebrauch bey Menſchen und Vieh großer Schaden, ja der Tod ſelbſten verurſacht

werden könne, von J. H. KOCH. I. *Stück. Bern.* 8.

I. KOEDYK Verhandeling van de Sectio Caeſarea of Keizersſneede. Utrecht. 8.

AL. B. KOELPIN de cultura hiſtoriae naturalis Pomerianae. Stett. Fol.

Table raiſonnée des trente premieres volumes du journal de médécine redigée, par A. M. LALLEMENT. à Paris. 8.

I. F. A. LALOVETTE diſſ. fauſtum omen in amauroſi periodica. Praeſide Parente. ibid. 4.

LAMBERTS *Hygrometrie, oder Abhandlung von den Hygrometern, aus dem Franzöſiſchen.* 8. *m. K.*

PETR. MATHVRIN BOLENTIN LANGLOIS diſp. an utilia in graviditate, partu, et poſt partum balnea, theſes anatomico chirurgicae. Reſp. *Theob. Styh. Lauverjus.* Paris. 4.

Abregé elementaire de botanique à l'uſage de l'ecole de botanique de Lisle. Par Mr. LESTIBOUDOIS. ibid. & à Lisle 8.

EIVSD. cartes de botanique diſpoſées d'une manière toute nouvelle enluminées. ibid. 8.

L'art de la peinture ſur verre & de la vitrerie par feu Mr. LEVIANT. à Paris. fol. c. f.

Connoiſſance pratique des médicamens les plus ſalutaires ſimples & compoſées, officinaux & extemporanés, ou magiſtraux internes & externes etc. ou nouveau diſpenſatoire, qui contient 1) la chemie pharmaceutique, 2) les noms, la deſcription, les qualités, propriétés, vertus, doſes & uſages des medicamens ſimples. 3) Les préparations & compoſitions des pharmacopées de Londres d'Edimbourg cet. 4) Les formules ou recettes choiſies des Hôpitaux Anglois, celles des médecins les plus célebres. Par Mr. LEWIS. Ouvrage traduit de l'Anglois avec des augmentations de l'Editeur. ibid. 8. 3. Voll.

I. B. B. V. LEZEREL diſſ. de emolumentis inſitionis variolarum. Monſpel. 4.

De l'homme & de la femme, conſidérés phyſiquement dans l'état du mariage. Par Mr. DE LIGNAEC. à Lisle & à Paris. 12. (*Nova editio et aucta, tribusque voluminibus comprehenſa novis iconibus additis.*)

Mémoire ſur une découverte dans l'art de bâtir, faite par le Sr. LORIOT. à Paris. 8.

PET. MADACK diſſ. de theoria affinitatum chemicarum. Tyrnav. 8.

Allgemeine oder mathematiſche Beſchreibung der Erdkugel, von FR. MALLET, *aus dem Schwediſchen überſetzt, von* LAMB. HEINR. RÖHL. *Greifsw.* 4. *m. K.*

Examen et analyſe chemique des différens remédes, que le ST. RICH, & pluſieurs autres empiriques mettent en uſage pour la guériſon des maladies vénériennes. Par Mr. MARGES. à Paris. 12.

All the preſcriptions contained in the new practice of phyſic, by THOMAS MARRGAT. Lond. 8.

Dell' acqua ſalubre e bagni di Nocera da LORENZO MASSINI. In Roma. 4.

Nouveau & parfait limonadier, ou manière de préparer le thé etc. Par MASSON. à Paris. 12. (*Nova editio.*)

FR. CASIM. MEDICVS *von der Glückſeligkeit eines Staats, in welchem der Ackerbau blühet. Manh.* 4.

Traité ſur le ſcorbut, traduit du Latin de Mr. de MEILLEUR. Par Mr. GIRAUD. à Paris. 12.

Ode ſur la maladie de Mesdames. Par Mr. LE MIERE. ibid. 12.

Obſervations on antimony, read before the medical Society of London, and publiſhed at their requeſt. By JOHN MILLAR M. D. Lond. 8. (*Inutile, noxium atque venenatum dicit medicamen antimonium Noſter. Id quod autem prorſus non cadit in antimonium, multo potius contrarium. Dedimus*

dimus ſaepe et diu antimonium crudum cum conchis ſine igne praeparatis in morbis ſeroſo-lymphaticis e. gr. glandularum obſtructionibus, non ſolum ſine vlla noxa, ſed cum optimo ſucceſſu; Emeſin interdum inde obſeruauimus, praetereaque nihil, de quo timendum aliquid eſſet. Grauat pulvis imbecilliorum ventriculum, et laedit digeſtionem, tumque eius vſus eſt interdicendus.)

Obſervations on the prevailing diſeaſes of Great Britain. Together with a review of the hiſtory of thoſe of former periods an other countries. By IOHN MILLAR. Lond. 8.

I. G. MODEL *vom Seleniten in der Rhabarber.* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 528.)

Tratado de las Siembras y Plantios, de Arboles, y deſu cultivo, ó medios de multiplicar y criar árboles; de plantarlos en Eſpeſillos y Alamedas; de formar Montes y Boſques, y de conſervar los y reſtablecer los que eſtén deterio rados: traducido del Francés del celebre Mr. DU HAMEL, DU MONCEAU. Por el Doct. D. CASIMIRO GOMEZ DE ORTEGA. En Madrid. 4.

A tour in Scotland and vogage to the Hebrides 1772. Cheſter. 4. *m. K.* (*Auctor eſt Cl.* PENNANT.)

Traité de la diſſolution des métaux. Par Mr. MONNET. à Paris. 12.

A rational account of the cauſes of chronic diſeaſes. By IOHN MORLAND M. D. Edit. the ſecond. Lond. 8.

Mémoire, dans lequel on cherche à déterminer quelle influence les moeurs des François ont ſur leur ſanté. Par Mr. MVRET. à Amiens & à Paris. 8.

Funacza Peſtyere, ſeu antri Funacza dicti hiſtorico-phyſicá relatio, concinnata ab AL. NEDECZKY. Vindob. 8.

Vollſtändiger Auszug zur beſten allgemeinen Bienenzucht, aus den neueſten Büchern und inſonderheit

des Convents der Franzöſiſchen Bienengeſellſchaft, mit dem Beyfalle derſelben entworfen von I. M. NEIDHARD. *Nürnb.* 8.

NIEBVHRS *Reiſe nach Arabien*, (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 318.)

L'inoculation par aſpiration. Epitre préſentée à la Reine par Mr. l'Abbé DE NORVEAU. à Paris. 8.

D. NOOTNAGEL diſſ. de amauroſi. Erlang. 4.

HENR. NUDOV obſeruationes de natura embryonis humani. Lipſ. 4.

F. T. OEHME *von einer ſcirheuſen Frauenbruſt mit einem ofnen Krebſe. Warſchau.* 8.

E. OLAFSENS *und* B. POVELSENS *Reiſe durch Island, aus dem Däniſchen überſezt.* 4. *m. K.*

Spicilegia zoologica Faſc. X. Auctore PALLAS, (*antecedentes faſciculos v. comm. noſtr. Vol. XIX. p.* 668.)

Nouvelle conſtruction de ruches des bois avec la façon de gouverner les abeilles, inventée par Mr. PALTEAU; & l'hiſtoire naturelle de ces inſectes, avec des fig. en taille douce. à Paris. 12.

Récreations phyſiques, économiques & chymiques par Mr. MODEL. Ouvrage traduit de l'Allemand par Mr. PARMENTIER. ib. 8. (*Eſt verſio cum additamentis Cl.* PARMENTIER. *v. comm. noſtr. Vol. XII. p.* 218. *et XXI. p.* 522.)

Diſcurſo ſobre el mejoramiento de los terrenos, traducido del Francés en que le eſcribiò Monſieur PATULO, con un diſcurſo del Traductor, en que demueſtra el ſiſtema y medios politicos de liacer florezer la agricultura. Va aña dido al fin un cotejo de las medidas agri menſorias de las diferentes Provincias de Eſpaña, reducidas al Eſtado-Real-general; y otta noticia de las medidas de áridos y liquidos, con los peſos uſuales en las principales Plazas de Commercio de Europa, y de las monedas de camblo en que ſe llevan ſus livros. En Madrid. 8.

PAVL V. anonymos.

A Tour

A Tour in Scotland and voyage to the hebrides 1772. By PENNANT Lond. 4.

Remède nouveau contre les maladies veneriennes, tiré du règne animal, ou eſſai ſur la vertu anti-vénérienne des alcalis volatils. Par Mr. PEYRILHE. à Paris. 12.

A voyage towards the North Pole 1773. By CONSTANT JOHN PHIPPS. Lond. 4. (*verſio Germanica prodiit.*)

I. C. POHL progr. de oſſificatione vaſorum praeternaturali. Lipſ. 4.

Beſchreibung einer neuen ſehr bequemen Maſchine zur Heilung des Schienbeinbruches, das Fuſsbette genannt, von CARL POPY. *Wien.* 8. *m. K.*

PERCIVAL POTTS *Abhandlungen über verſchiedene Gegenſtände der Wundarzneykunſt. Aus dem Engliſchen überſezt von* G. L. RVMPELT. *Zweyter Band. Dresden.* 8.

POVELSEN vid. OLAFSEN.

PRINGLE of the air (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 126.)

G. RAMMELT *gemeinnützige Abhandl. zum beſten der Gärtnerey und Landwirthſchaft,* 3. *Band. Hall.* 8.

Tratado Teórico-práctico de materia médica interna y externa, que explica los medicamentos naturales ó ſimples, aſi como las praeparaciones chimicas las mas uſuales, ſus doſis, ſu modo de obrar, los caſos donde convienen, y ſus fórmulas, con un ſuplemento á lo ultimo, compueſto por Don IUAN RANCÉ, Doctor en Medicina. En Barcelona. 4. 3. Vol.

Traité analytique des eaux minérales fait par ordre du Gouvernement. Par Mr. RAVLIN. Tom. II. des eaux minérales en particulier. à Paris. 12.

Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire des Inſectes. Par Mr. RÉAUMUR avec 267. figures. à Paris. 4.

IO. CHRIST. GVIL. REDLICH diſſ. inaug. de ſubmerſorum reſuſcitatione. Lipſ. 4.

E. REICHARTS *Anhang zu den ſechs Theilen des Land- und Garten-Schatzes. Erfurt.* 8.

A. I. RETZ faſciculus obſeruationum botanicarum, (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 669.*)

Verwandlung der jetzigen Modebienengeſellſchaften in Dorfgeſellſchaften, zum wahren Nutzen der Bienenzucht, von IO. RIEM. *Mannheim.* 8.

I. RIVEIRO *Nachricht von einer ſchrecklichen Naturbegebenheit in Oſtindien, welche ſich in den Monaten September und Oktober des leztverwichenen Jahres zugetragen hat. Amſterd. und Leipzig.* 8.

Hiſtoire naturelle & raiſonnée des differens oiſeaux, qui habitent le globe, contenant leurs noms, leurs deſcriptions, les couleurs de leurs plumages, leurs dimenſions, le temps de leur ponte, la ſtructure de leurs nids, la groſſeur de leurs oeufs, leur caractére & enfin tous les uſages, pour lesquels on peut les employer tant pour la médécine, que pour l' économine domeſtique. Premiere partie, ornée de vingt-trois planches, qui en forment environ 125 eſpéces differentes des oiſeaux de la ménagerie du Roi, gravées d' après la nature, Par le célébre ROBERT. à Paris. fol.

I. M. S. SIEDLER DE ROSENECK diſſ. de butyro medicinali. Ultraiect. 4.

I. I. ROSENSTENGELS *verneuerter Eſſigkrug; oder die Kunſt auf die vortheilhafteſte Art Eſſig zu brauen und aufzuſetzen. Nebſt Auszügen aus den neueſten ökonomiſchen Schriften, worinnen von dieſer Wiſſenſchaft gehandelt wird. Sorau.* 8.

A letter to Dr. WILLIAM HVNTER on the dangerous tendency of medical vanity occaſioned by Death of the late Lady Holland. By WILLIAM ROWLEY. Lond. 8. (*Liber nihil continet praeter litem perſonalem, cum* ROWLEY *ſe ab* HVNTERO *laeſum putet.*)

LE ROY de l'ecorge du Garou (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 570.)

C. H. A ROY Comm. anat. chir. de ſcolioſi. L. B. 4.

Medicina Hippocratica o arte de conocer y curar las enfermedades por reglas de obſervacion y experiencia. Vâ añadido un Diſcurſo ſobre la Inoculacion de las viruelas, y el modo de conocer, quando ſe hallan en eſtado contagioſo los hecticos y los pthiſicos: ſu Autor el Doct. Don FRANCISCO RVBIO. En Madrid, 1774. 4. i. e. Medicina hippocratica ſ. ars cognoſcendi et curandi morbos iuxta regulas ex obſeruatione et experientia. Praecedit diſcurſus de inoculatione variolarum et modo cognoſcendi ſtatum contagioſum hecticorum et phthiſicorum, Auctore FRANC. RVBIO.

C. E. RÜCKERT *Früchte der Einſamkeit. Berlin.* 8.

N. RYTSCHKOW *Kaiſerl. Ruſſiſchen Capitains Tagebuch über ſeine Reiſe durch verſchiedene Provinzen des Ruſſiſchen Reichs, in den Jahren* 1769, 1770, *und* 1771. *Aus dem Ruſſiſchen überſezt, von M.* CHR. HEINR. HASE. *Riga.* 8. *m. K.*

ED. SANDIFORT Brief van eenige Proeven en Warnemingen opzigtelyk tot het gebruik van de Smelting der obgeheeven bytende kwik des Heeren Looff in de Venusziekte, door DAVID VAN GESCHER. Te Amſterd. 8.

GHPH. SAXII epiſtola ad HENR. VAN WYNN de veteris medici ocularii gemma ſphragide prope Traiectum ad Moſam nuper eruta. Traiect. 8.

MATTH. SAXTORPH tentamen medicum inaug. de mechaniſmo partus perfecti. Reſp. et Auctore IANO BANG. Hafniae. 4.

I. C. SCHAEFFER elementa ornithologica iconibus viuis coloribus expreſſis illuſtrata. Ratisbonae. 4.

AD. GOTTH. SCHIRACHS *Waldbienenzucht mit einer Vorrede von* IO. GEORG. VOGEL. *Breslau.* 8. *m. K.*

F. I. W. SCHROEDER diſſ. de vitae robore, tono et vitalitate nec non de medicamentis roborantibus ſeu vitae balſamicis confortantibus, tonicis et polychreſtis praeſidiis 1771. defenſis nunc iterum recuſis. Marburg. 4.

EIVSD. de temperamentis hominum ſic dictis. ib. 4.

Epitome hiſtoriae febrium putridarum anno 1754. naſcentium in 1773. perſeuerantium, geneſis, mutationes, cauſas, diagnoſis et prognoſis, prophylaxis et therapiae leges exhibens a A. F. SETTAGAST. Bonnae. 8.

Problema Phyſicum de mirabili quodam repulſionis effectu ex ſucci Tithymali in aquam inſtillatione reſultante, nunc forte primum philoſophis propoſitum, ſed ſolui etiam atque illuſtrari tentatum à THOMA VILLANOVA. Doct. Med. Valenziae. 4.

Anweiſung zur Experimentalphyſik. Aus dem Franzöſiſchen des Herrn SIGAUD DE LA FOND *überſezt. Dresden.* 8. *m. K.*

SIMS obſervations on epidemical diſorders, (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 101.)

EIVSD. diſcourſe on the beſt method of proſecuting medical inquiries delivered before the medical Society of London at their annual meeting, January 18. 1774. Lond. 8.

Diſertacion ſobre el Sen de Eſpana. Pruebaſe come eſpecificamente no es diſtinto del Alexandrino ù Oriental; y explicanſe ſus virtudes en la Medicina, ſu cultiuo, y la utilidad que ſu uſo y propagacion va ya reſaltando à la ſalud publica, y á la induſtria popular de nueſtra Nacion: a que ſe annade la Lamina de la Planta. Por Don SALVADOR SOLIVA, Medico. Madrid. 8. c. f.

Das von den Ruſſen in den Jahren 1765 - 1767. *entdeckte nordliche Inſelmeer zwiſchen Kamtſchatka und Nordamerika beſchrieben von* STAEHLIN. *Stuttg.* 8.

I. STEI-

I. STEIDELE *Sammlungen* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 518.)

EIVSD. *vom Gebrauch der Inſtrumente in der Geburthshülfe*, (v. ib. Vol. XXII. p. 70.)

ADAM STRASZGVTL diſſ. ſiſtens hiſtoriam vermium et febris verminoſae. Vienn. 8.

Elemens de chirurgie en Latin & en Francois avec des notes. Par Mr. SVE le jeune. à Paris. 8.

F. G. SVLZERS *Naturgeſchichte des Hamſters*, (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 361.)

Medécine pratique de SYDENHAM, avec des notes. Ouvrage traduit en Francois ſur la derniere edition Angloiſe. Par feu Mr. IAULT. à Paris. 8.

C. SZEN de cataracta ab effluuiis aquae fortis nata. Ien. 8.

I. N. TETENS *über die beſte Sicherung ſeiner Perſon bey einem Gewitter. Bützow und Wismar.* 8.

BARTH. TERSIER natuur-en geneeskundige Bibliothek, P. 1. et 2. Amſterd. 8.

Geneeskundig Handboeck door den Heere I. A. UNZER, vit het Hoogduitſch vertaald en met Aanmerkingen uitgegeven. ibid. 8. (Translatore EODEM.)

I. C. A. THEDEN *Unterricht für die Wundärzte bey Armeen. Berlin.* 8.

Lettre de M. TISSOT ſur l'inoculation. à Paris. 12.

EIVSD. l'inoculation juſtifiée, ou diſſertation pratique & apologetique ſur cette methode, avec un eſſai ſur la mue de la voix. ib. & à Lauſanne. 12.

DE LA TOUCHE vid. MEHE'E.

Mémoire chemique & médical ſur les principes & les vertus des eaux minérales de Contrexeville en Lorraine. Par. Mr. TOUVENELLE. à Nancy & à Paris. 12.

BALTH. LVDOV. TRALLES de animae exiſtentis immaterialitate et immortalitate. Vratislav. 8.

I. E. TRAMPELS *Beſchreibung der Meinberger Mineralquel-*

ralquellen. Lemgo. 8. (vid. comm. noſtr. Vol. XXI. P. IV. p. 674.)

A new ſyſtem of Husbandry. From experiments never before made public. With tables ſhewing the expence and profit of each crop. How to ſtock farms to the beſt advantage. How the crops are to follow each other by rotation. Of trench-plowing ſhewing how to raiſe good crops without manure. On breeding and feeding cattle. Of a new diſcovered cheap food for cattle. A deſcription of a moſt valuable moving ſheep houſe for eating turnips on the ground. Of cabbage Hubandry. Of the naked Wheat. Of all Sorts of manures, marles. With choice receipts for the cure of all ſorts of cattle. By C. VARLO. the *fourth* edition. 8.

Traité de la culture du melon. Par Mr. L'Abbé VELEN. à Paris. 8.

* VON VERI, *Grafen, Kaiſerl. Königl. Kammerherrns etc. Betrachtungen über die Staatswirthſchaft. Aus dem Italiäniſchen überſezt. Dresden.* 8.

Obſervations ſur les moyens, que l'on peut employer pour preſerver les animaux ſains de la contagion, & pour en arrêter lê progrès. Par Mr. VICQ D'AZYR. à Bordeaux. 12.

Saggio dell' Iſtoria Erbaria degl' Alpi di Piſtoja, Modena e Lucca, con nuove oſſeruazioni botaniche e mediche eſpoſte in vna lettera dal P. D. FULGENZIO VITMAN, Monaco Vallombroſano e Regio profeſſore di Botanica nell' Vniverſità di Pavia, diretta all' eruditiſſimo Sig. D. ANTONIO MANTANI.

E. F. VOGELS *praktiſcher Unterricht von Taſchenuhren, ſowohl für die Verfertiger, als auch für die Liebhaber derſelben. Leipzig.* 8. *m. K.*

Gewiſſe Vortheile, wo von der Kunſtgährung, der Verbeſſerung der Felder und Wieſen und andern Benutzun-

Benutzungen gehandelt wird, *von* G. L. VOLLART. *Langenſalza.* 8.

UNZER vid. TERSIER.

C. F. WEBERS *Abhandlung von dem Bau und Nutzen des Hufs der Pferde, und der beſten Art des Beſchlags zu ſeinen Vorleſungen entworfen. Dresden.* 8.

EIVSD. *kurzer Begrif von der Knochenlehre des Pferdes, in der Vieharzneyſchule zu Dresden entworfen. ibid.* 8.

NICOLAI WEIS diſſ. inaug. de variolis. Argent. 4.

F. WENDT hiſtoria tracheotomiae, (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 267.)

Obſeruations on the uſe of Dr. IAME'S Fever Powder emetic tartar and other antimonial preparations in fevers. By WILL. WHITE. Lond. 8.

Select caſes in phyſic, which have been treated at the waters of Aix la Chapelle etc. By I. WILLIAMS. ibid. 8.

Further obſervations on Lightning; together with ſome experiments etc. By BENIAMIN WILSON. ibid. 4.

An inquiry into the moving powers employed in the circulation of the blood, in a lecture delivered at Newcaſtle etc. By ANDREW WILSON. ibid. 8.

CASP. FRID. WOLF theoria generationis (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 483.)

I. E. WOLF *neues Leipziger Kochbuch, oder gründliche Anweiſung, wie ein angehender Koch alle Speiſen zubereiten ſoll. Nebſt beygefügter allzeit fertig rechnenden Köchin. Frankf. und Leipzig.* 8. *m. K.*

XENOCRATES (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 231.)

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Journal de médécine, chirurgie cet. Tom. XLVII. et XLVIII. pag. 3
II. HALLERVS de partium C. H. praecipuarum fabrica cet. Tom. I. 29
III. EIVSD. bibliotheca anatomica. Tom. I. 39
IV. SOEMMERING diſſ. de baſi encephali et originibus neruorum cranio egredientium 71
V. Experiments upon vegetables. By INGENHOUSZ 74
VI. DE MONCHY de medico optimo naturae obſeruatore cet. 85
VII. Kongl. Vetenſkaps Academ. Handling. för Aor. 1773. Vol. XXXIV. 91
VIII. BLVMENBACHS *Handbuch der Naturgeſchichte* 112
IX. LESKE *Anfangsgründe der Naturgeſchichte 1ſter Theil.* 121
X. SCOPOLI introductio in hiſtoriam naturalem 126
XI. EIVSD. cryſtallographia Hungarica P. I. 143
XII. EIVSD. fundamenta chemiae 146
XIII. Auctarium ad HALLERI elementa phyſiologiae ex noua editione excerptum et veteri adeptatum. 158
XIV. TISSOTS *ſämmtliche zur Arzneykunſt gehörige Schrifften, durch* KERSTENS, *1ſter Theil.* 161
XV. DU PUI diſſ. de homine dextro et ſiniſtro 164
XVI. Noua phyſico medica 169
XVII. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1774 prodierunt. 172

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXIV. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXXI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde. Zweyter Band. Mit 12 *Kupfertafeln. Berlin, bey Ioachim Pauli,* 1776. 1 *Alph.* 15 *Bog. in* 8. *Dritter Band.* 1777. *Mit* 11 *Kupfertafeln,* 1 *Alph.* 14 *Bog. Vierter Band,* 1779. *Mit* 21 *Kupf.* 1 *Alph.* 18 *Bog.*

i. e.

Acta Societatis Berolinenſis naturam ſcrutantium amicorum. Vol. II. III. IV.

Celeri progreſſu Acta huius Societatis cum edita ſint, atque etiam nunc praematura Cl. MARTINI, in cuius locum Cl. OTTO ſucceſſit, morte ſubſequantur, ac praeterea inſigni varietate rerum ſeſe commendent, vt eos, quorum intereſt ſingula noſcere, ipſum librum legere oporteat, nos breviſſime tantum ſumma rerum capita indicabimus. Volumen ſecundum et tertium b. MARTINI adhucdum, quarti autem editionem Cl. OTTO curauit. Ad membra ordinaria acceſſerunt, praeter ſupra dictos, Cl. IO. ES. SILBERSCHLAG, et I. C. A. BRAND; atque numerus membrorum honorariorum exterorum eſt 184. Iam ad ipſos voluminis ſecundi commentarios accedimus.

1. *Adnotationes ad experimenta* Cl. BERTIER, *ex quibus collegit, pondus corporum augeri, quo magis a centro telluris remota ſint*, Auctore FRANCISCO Vol. II. p. 1.

CAROLO ACHARD. Cognita eſt lis orta inter NEWTONI adſeclas, qui, quo magis a centro telluris remoueantur, eo leuiora fieri corpora, recte contendunt, et Cl. BERTIER, qui contrarium ſe expertum habere affirmauit. Repetito a Cl. ACHARD experimento BERTIERII, is diuerſis temporibus varia effecta ſequi vidit, atque denique intellexit, cauſſam varii effecti pendere a diuerſitate tempeſtatis vel ſiccae, vel humidae. Adhibito enim, fili lintei loco, quod facillime humorem in aëre contentum attrahit, filo metallico, idem fere ſemper ſequi, et BERTIERII ſententiam falſam eſſe expertus eſt.

p. 12. 2. EIVSDEM *de phaenomenis electricis, quae frictione mercurii ſupra reſinoſa corpora producuntur.* Negauit Cl. DE LVC *) lumen, quod interdum barometra ſpargunt, pendere ab electricitate, quum, mercurium ſupra globum vitreum fricando, idem ſequi non videret. Noſter igitur corpora reſinoſa, quae leuiori frictione facile electrica fiunt, adhibuit, mercuriumque vario modo iis adfricuit, atque tum omnino effecta electrica oriri expertus eſt.

p. 20. 3. O. F. MÜLLERI *de Vorticella polymorpha* **). Quasdam motus et ſitus varietates huius mirandi animalculi verbis et iconibus illuſtrat. Sacci impleti inſtar diu haeret, altera extremitate ampliore: album eſt et ciliatum pilis, quos pro arbitrio circumrotat: interdum os duplex ſ. diuiſum apparet, interdum globi, mox cyathi formam, vel infundibuli aſſumit: deinde quietum, in figura parallelogrammi iacet; ac ſubito in membranam tenuiſſimam

*) Recherches ſur les modifications de l' Atmoſphére. Tom. I. p. 54.

**) Hiſtor. verm. Vol. I. Part. I. p. 98.

mam mutatum decedit. Alia etiam animalcula, ipſo minora, deglutit.

4. Cl. BLOCH *deſcriptio Lacertae ſerpentis.* p. 28. Eſt eadem cum *Angue quadrupede* LINN. quam, cum veris pedibus 4, et meatu auditorio externo, quo Angues carent, inſtruatur, recte ad Lacertas reduxit Cl. Auctor, addiditque bonam eius iconem.

5. *Foſſilia, plantas et animalia, quae ad lintea* p. 35. *dealbanda adhiberi poſſunt*, recenſet CHRIST. FRIDER. REUSS.

6. IO. BECKMANN docet rationem, *inſectorum* p. 69. *collectiones commodius inſtituendi.* Ciſtae nempe, quibus inſecta acu perforata induntur, ſunt illinendae mixtura ex reſinae communis partibus 10, cerae flauae part. 6. et terebinthinae part. 1.

7. CAROLI IOSEPHI OEHME *de irritabilitate* p. 79. *in regno vegetabili.* In *Mimoſae*, quam *ſenſitiuam* dicit, quae autem rectius *pudica* LINN. diceretur, articulis ramorum glandulam eſſe, cuius ſtructuram animali magis, quam vegetabili ſimilem eſſe dicit, at non demonſtrat. Cauſſam contractionis huius et aliarum ſeſe, ſi attingantur, contrahentium plantarum, vt et ſic dicti ſomni plantarum in irritabilitate fibrae vegetabilis ponit: atque quotidianam foliorum circa veſperam contractionem non tam a defectu luminis, quam a mutata aëris temperie pendere ait.

8. Cl. BLOCH *additamenta ad Copali hiſtoriam* p. 91. *naturalem.* Demonſtrare hic annititur Cl. Auctor omnem Copalum eſſe vegetabilis originis, itaque praemiſſa generaliori eiusdem hiſtoria, chemicam

disquiſitionem proponit, vbi eum omnino ſpiritu vini ſolui, non vero oleo terebinthinae, eiusque oleum et phlegma a phlegmate et oleo ſuccini differre expertus eſt. Denique magnum numerum Inſectorum, aliorumque corporum in Copalo incluſorum recenſet, atque iconibus, vt nobis videtur, ſuperfluis illuſtrat.

p. 197. 9. I. H. CHEMNITZ *deſcriptio itineris verſus Faxoe et Stevens Klint.* Plura petrefacta ibi inuenit conchyliorum, quae ex orientalibus regionibus huc delata eſſe vniuerſali diluuio putat.

p. 225. 10. IO. ELERT BODE *de ſolis natura et origi-*
p. 233. *ne macularum in eodem.* Solem putat eſſe obſcurum planetam, eiusdem cum tellure naturae, in quo terra et aqua, montes et valles ſint, qui etiam atmoſphaera circumdatus ſit. Illic materiam luminis eſſe collectam, quae ſolem, vti aër noſtram tellurem, circumdet, qua in re EVLERI hypotheſi
p. 237. adſentitur. Maculae ſolares oriuntur, ſi materia luminis hic vel illic retrahatur, atque ſic, factis aperturis, partes obſcuri corporis ſolaris appareant. His aſſumtis omnia macularum phaenomena facile declarari ait.

p. 253. 11. IO. AVG. EPHR. GOEZE *de inſectis, quae in aliis animalibus et in ipſis inſectis habitant.* In omnibus auibus indigenis vnam eandemque tan-
p. 257. tum pediculi ſpeciem inuenit. In Veſpertilione Pulicem inuenit, quem ab eo, qui homines irritando vexat, ſpecie differre putat, ideoque dixit P. *irritantem, pallido fuſcum, minorem.* In eiusdem Veſpertilionis labiis *Acarum fuſco rufum, corpore lentiformi ſquamulato, pedibus breuiſſimis, magnitudine milii,* vt et aliam *Acari* ſpeciem, quam et in Aphidibus,

Muſcis,

Muſcis, Gryllis et Cicadis vidiſſe ſe ait, et denique *Acarum Veſpertilionis* LINNEO dictum. Plura de pedum ſtructura inceſſu et generandi modo huius inſecti, diligenter expoſita ſunt. In ipſis etiam *Acaris Gymnopterorum* LINN. alios multo minores ſpecieque diuerſos infixos eſſe atque ex iis nutriri demonſtrat. In alis *Muſcae feneſtralis* minutiſſimum inſectum, quod *Pediculum* dicit, *corpore oblongo glabro, pallido, pellucido, pedibus anterioribus longioribus, duabus ſpinulis lateralibus inſtructis;* praeterea *Acarum Muſcarum* LINN. *Pediculum Libellae* et *Cicadae* nouos, vt et *Cyclidium pediculum* MÜLLERI *) deſcribit, omniaque dicta inſecta iconibus illuſtrat.

12. IDEM *Vorticellam rotatoriam* hieme in conclaui calido in infuſione foeni facile oriri narrat. p. 287.

13. O. F. MÜLLER *deſcriptio duarum Meduſarum*, quarum icones et definitiones ſpecificas has tradit. 1) *M. Carauella* oualis, ſubtus medio tentaculis longiſſimis, ſupra velo crenulato: hanc SLOANE Voyage Vol. I. p. 7. t. 4. 5. et BROWNE civil and natural hiſtory. iam habent. 2) *M. vmbella* orbicularis, tentaculis diſci nudis, marginis glanduloſis. Eſt eadem cum *Holothuria* FORSKÅLII deſcript. animall. p. 103. Vtraque in Mari Atlantico habitat, et a Cl. KOENIG Noſtro communicata eſt. p. 290.

14. Cl. KLEIN, *Preßburgenſis*, experimenta circa *Robiniam Caraganam*, *Linum perenne* et *Polygonum Tartaricum*. p. 299.

15. F. A. M. *de iis, quae ad ſerendas, et plantandas arbores in ſiluis fieri debeant, vt res feliciter ſuccedat.* p. 307.

*) vid. EIVSD. hiſt. verm. P. I. p. 54.

p. 326. 16. F. W. H. DE TREBRA *de minerarum quarundam fruſtis in Marienbergenſis regionis fodinis reperiundis.* In vno minera argenti rubra cum cryſtallis ſandarachae coniuncta, originem illius ex argento et arſenico ſulphure penetratis demonſtrat. Quae de lapide *Gneuß* diſſerit, ea aſſenſum noſtrum non merentur.

p. 340. 17. *Deſcriptio et icones oſſium, quondam circa Quedlinburgum effoſſorum*, Auctore Cl. ZÜCKERT. Calcinata tantum haec oſſa ſunt, et cum iis, quae Cl. PALLAS in Sibiria inuenit *), conueniunt, vt igitur eadem Rhinocerotis oſſa recte iudicentur.

p. 347. 18. *Miſcellanea conchyliologica*, Auctore FR. HENR. GVIL. MARTINI. Primo monſtroſas formas *Serpulae Penis* LINN. deinde nouam *Serpulam, Infundibulum* dictam, *Trochum* nouum conchilegum, *Patellam Vnguem, Pholadem* nouam atque *Mytilum lithophagum* deſcribit.

p. 376. 19. IO. GOTTL. GLEDITSCH *de correctione pratorum naturalium plantis varii generis.*

p. 420. 20. IO. H. F. MEINEKE *tentamen nouae Papilionum partitionis.* In hac metamorphoſis potiſſimum rationem habet. Sed prius haec perfecta eſſe non poteſt, quam metamorphoſis ipſa omnium ſpecierum ſatis detecta ſit. Confundit etiam Auctor generis cum claſſis nomine. Interim aliquando hac methodo naturale Papilionum ſyſtema oriri poteſt.

p. 446. 21. LAVR. SPENGLERI obſeruationes circa *Monoculum Polyphemum* LINN. Recte monet hoc inſectum

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 362. et 683. ſeqq.

inſectum minus recte *Monoculis* ſubiungi, quum illius oculi, quos nemo antea rite deſcripſerit, procul a ſe inuicem diſtent. Poſita ſunt iidem in dorſo cruſtae anterioris media in coſta eleuata, ſuntque, vti *Oniſci Entomi*, ex multis corneis compoſiti. Pedum etiam anteriorum quinque paria chelis inſtructa ſunt, ſextum autem par, praeter paruam chelam, lamellis linguiformibus cingitur.

22. EIVSDEM *deſcriptio et icon Oſtreae nodoſae* LINN. p. 451.

23. EIVSD. *deſcriptio et icon Argonautae noui*, ſpiris viſibilibus. p. 458.

24. I. C. F. MEYERI *diſquiſitio Zeolitae radiati.* p. 462. Acidis eum ſoluit, et quidem vidit, acido ſalis et nitri eum plane ſolui. Calcinatum Zeoliten ad experimenta adhibuit. Per experimenta cum acido nitri ex Zeolite radiato terrae ſiliceae drachmas 2, et grana 20, calcareae grana 54, et aluminaris drachmas 2, et ſcrupulum 1 obtinuit. Atque igitur Zeoliten radiatum ad lapides *aluminares* referendum, cryſtalliſatum vero ab eodem mixtione differre coniicit, quod tamen Ipſe Auctor in Volumine IV. horum Actorum refutat.

25. IO. GOTTL. GLEDITSCH *de detecto Cobalto in Sileſia relatio.* p. 482. A Cl. REICHARTO et GERHARDO 1769. in montibus ſummis circa vicum *Schreibershau* dictum et in fodina a Maria Anna dicta prope *a monte nudo Querbachi* (*am Kahlenberge zu Querbach*) detectum eſt Cobaltum.

26. I. A. E. GOEZE *hiſtoriam animalculi aquatici*, tomo I. horum actorum p. 359. *deſcripti*

 com-

complet. Nimis multis verbis nempe docet eſſe idem laruam *Tipulae littoralis* LINN.

p. 510. 27. IO. GOTTL. GLEDITSCH *obſeruatio de* Sii nodiflori LINN. *vſu, in pabulo recenti pecudum.*

p. 532. 28. *Breuiores relationes e litteris.* Cll. PALLAS et BERGIVS quaedam commemorant, *Acipenſeris*
p. 536. *Ruthenici* hiſtoriam naturalem attinentia. Cl. KÖNIG *de Islandiae* hiſtoria naturali praeſertim de
p. 542. monte Hecla quaedam narrat. Cl. I. C. F. MEYER ferrum natiuum Sibiricum in igne diſquiſiuit, atque inde illud vere natiuum eſſe confirmat: quod contra Cl. CAROL. CHRIST. BRVMBEY, vt nobis videtur, iniuſte negat. Cl. PALLAS monet *Mergum*, a Cl. BECKMAN in tomo I. horum actorum p. 170. deſcriptum non eſſe *Serratorem*, ſed *Merganſerem*
p. 559. LINN. Cl. CHEMNIZ teſtimonia ſuam de margaritarum origine theoriam confirmantia refert. Cl. SPENGLER noua quaedam conchylia deſcribit.
p. 571. Nouum Sal neutrum, circa vicum *Kanal* in Italia repertum deſcribitur, quod ſapore amaricante ſtyptico nonnihil, non tamen iniucundo inſtruitur. Praeterimus alia.

p. 584. 29. *Breuior vitae*, a PHILIPPO LVDOVICO STATIO MÜLLERO geſtae, deſcriptio.

Vol. III. Volumen tertium haec habet:

p. 3. 1. CHR. FRID. REVSS oſtendit, *ſcientiam naturalem eſſe fundamentum bene diſpoſitae oeconomiae, atque vtriusque nexum.*

p. 29. 2. D. AVG. CHRIST. KÜHN *entomologicas* obſeruationes profert, eaeque *Phalaenam Aeſculi, Phal. Geom.*

Geom. chaerophyllatam, *Tineas* nouas, quas *ſcalacellam* et *marmoream* dicit, *Alucitam* nouam *tridactylae* LINN. affinem, cui *aurantiae* nomen dat, *Pyralidem ſulphuralem*, et *Tortricem hamanam* attinent, omniumque icones bonae adduntur.

3. CAROLI DE MEIDINGER *methodus linum ita praeparandi, vt loco goſſypii adhiberi poſſit.* p. 44.

4. BALTHAS. HACQVET *praecipuas ſpecies et varietates minerarum hydrargyri Idrienſium* deſcribit, eo ordine quidem, quo ſeſe in rerum natura ſubſequuntur. Nos tamen cum partim in SCOPOLI libello, tum in *Oryctographia Carniolica* expoſitae ſint, eas hic recenſere ſuperfluum putauimus. p. 56.

5. Cl. GÜLDENSTÄDT *deſcriptio Soricis moſchati*, (*Caſtoris moſchati* LINN. *Deſman* BUFF.) icone illuſtrata. Eſt animal carniuorum. *Faſciolam inteſtinalem* LIN. ſub cute eiusdem habitare ait; nos tamen vehementer dubitamus, fuiſſe vermem illic inventum veram Faſciolam: longitudinem horum vermium ipſe Auctor ait fuiſſe trium pedum. A *Siluro* pergit vorari ipſum Soricem. Succedit accurata partium deſcriptio et externarum, et internarum. p. 107. p. 115.

6. CAR. IOS. OEHME *de irritabilitate plantarum.* Microſcopicae obſeruationes. In eodem, quem ſupra monuimus, errore pergit, et plantam *Mimoſam ſenſitiuam* dicit, cum tamen *M. pudica*, communis illa in hortis curioſorum planta fuerit, in qua obſeruationes inſtituit. p. 138.

7. Perill. Equitis DE MEIDINGER *de luce, quam in tenebris quaedam ligni putreſcentis ſpecies ſpargunt.* p. 149.

gunt. A minutiſſimis animalculis, quae quidem, optimis etiam microſcopiis adhibitis, videre non potuit, eandem produci opinatur.

p. 157. 8. CHR. FR. REVSS recte adhortatur Germanos, *vt plantas oleiferas* diligentius colant, docetque, qua ratione ex iis oleum, oliuarum oleo optimo (*Provençer Oel*) ſimile, parari poſſit.

p. 173. 9. I. I. D. ANNONE *deſcriptio quarzi, vario ſitu varios colores offerentis ex terra Labrador.* Parvula fuerunt tantum fruſtula, neque igitur deſcriptio perfecta eſſe potuit. Docuit vero alibi *) Cl. LESKE hunc lapidem eſſe *Spati ſcintillantis* varietatem.

p. 184. 10. BERNH. WARTMANN, *deſcriptio et hiſtoria piſcis ad Salmones referendi, et cum Salmone Lauareto* LIN. confuſi, a quo colore coeruleo, et maxilla ſuperiore cum inferiore aequali praecipue, tum et habitu differt. Germanice dicitur, *der Blaufelch.*

p. 214. 11. IO. IAC. REICHARD deſcribit *duas Pezizas:* alteram dicit *Pezizam radicatam*, fuſcam, hemiſphaericam, glabram; radice ſimplici, fibrillis paſſim donata, a nemine antea deſcriptam; alteram *Pezizam luteam*, cuius iam SCOPOLI *Flor. Carn.* ed. II. Tom. II. p. 481. nomine *Eluelae luteae* meminit.

p. 219. 12. I. C. F. MEYER quaedam addit experimenta, quibus diuerſitas terrae ſiliceae et aluminaris comprobantur. Obtinuit quidem alumen Cl. Auctor, ſed id cum SCHEELIO ex ſolutis partibus crucibuli deriuat.

13. P.

*) *Naturforſcher* 12 *Stück.*

13. P. S. PALLAS *de equo, quoad partes genitales monſtroſo.* Hermaphroditus dicebatur, ſed Cl. Auctor hoc refellit, atque ad generationem ineptum et haud dubie marem imperfectum fuiſſe demonſtrat: mortuo eodem, Cl. WOLFIVS in diſſectione veſtigia teſticulorum et veſicularum ſeminalium inuenit. p. 226.

14. IO. ERN. WICHMANN *de cingulo Lumbrici.* Diſſenſum Helminthologorum ita feliciter componit, vt in hoc cingulo partes genitales eſſe demonſtret, et lumbricos, eo carentes, iuniores, necdum puberes exiſtimet. p. 232.

15. Cl. HACQUET *deſcriptio et icon Byſſi* et *Conferuae*, quas vt et Mucores in vniuerſum ex plantarum regno eſſe excludendas opinatur. Nam ligno putrido aquae in ſpatio aëre vacuo immiſſo easdem germinare vidit. Ideoque has plantas *naturalia mortua vegetabilia;* chemica arte productas arbores vero artefacta mortua vegetabilia nominat, atque ſic a *viuis organiſatis* plantis diſcernit. p. 241.

16. IO. SAM. SCHRÖTERI tractatus *de Aſteriis petrefactis Coburgenſibus.* Easdem nucleos tantum, et in lapidem arenarium mutatas, eidemque innatas eſſe, atque ad vnum genus pertinere demonſtrat. Tres tamen ſpecies obſeruauit. 1. *Aſteria lumbricalis, corpore pentagono, lateribus lunatis.* Vid. LINK *de ſtell. marin.* tab. XXII. 35. 2. *Aſteria lumbricalis lacertoſa*, corpore ſphaerico. LINK. l. c. t. II. f. 4. WALCH *Naturgeſch. Th. II. Abſchn. II. S.* 295. *N.* 6. BOURGU. *tr. petrif.* t. LIX. f. 438. 3. *A. coriacea.* p. 253.

17. FR.

p. 273. 17. FRID. HENR. GVIL. MARTINI *de Biualvibus cardine crenato in vniuerſum agit*, et *quasdam nouas huc pertinentes ſpecies deſcribit.* Plurima, quae huc refert, ad *Arcas* LINN. quaedam ad *Oſtreas* pertinent. In tria genera eadem partitur. I. *Piloſa*, quorſum *Arca pallens*, *undata*, *Glycimeris*, *piloſa* et *Pectunculus* LINN. pertinent. II. *Arcae verae*, vt *Arca Noae*, *barbata*, *antiquata*, *ſenilis*, *granoſa*, *et lactea*. His nouas 1) valuis *antiquatis*, 2) *A. concameratam*, *A. tortuoſam* LINN. et *Arcam Pernulam*, quam tamen hic ex errore et *Myam corrugatam*
p. 299. dicit. III. *Alata*, huc *Oſtrea Iſogonum* LIN. et noua, quae Cl. Auctori *Arca mytuloides ſpuria*, cardine laterali plicato ſerrato, ſuperficie violacea, vndis cinereis virgata dicitur, pertinent.

p. 314. 18. MART. THR. BRÜNNICHE deſcriptio *Tellinae*, quam dicit *inaequivaluem*, teſta oblongo-roſtrata, valuula altera plana.

p. 315. 19. *Vberior eiusdem Tellinae deſcriptio*, Auctore LAVR. SPENGLERO.

p. 321. 20. et 21. Cl. I. H. CHEMNIZ *Conum*, *Gloria Maris* dictum, teſta candida elongata, ſubcylindrica, venis reticulatis faſciisque longitudinalibus vermi-
p. 332. culata, columella laeui: et *Buccinum achatinum*, nebulatum, vmbilico profundiſſimo inſigniter dentato deſcribit.

p. 344. 22. OTH. FRID. MÜLLER *de Fungo, in Lauri fiſſo trunco exorto.* Noua eſt *Clauaria*, quam dicit *flauam, baſin verſus tenuiorem.* Non ſolum in Lauro, ſed etiam in ſiluis inter muſcos eam naſci vidit. Praeterea etiam *Clauariam* flauam gelatinoſam, conicam apice acuto, ſaepe medio coalitam trun-

truncis Faginis innatam, et *Tremellam rubram*, ſublobatam, externe glabram, ſiccam, interne liquore viſcidam deſcripſit et iconibus illuſtrauit. In *Boleto igniario* ſe ſeminis emiſſionem vidiſſe, quod per aëra difflatum diſpergatur. Hac ratione etiam ſemen Clauariae in truncum Lauri deueniſſe putat.

23. FRANC. CAROL. ACHARDI *tentamina ſuper reſina elaſtica.* Primo circa gradum elaſticitatis tentauit varia; portio reſinae elaſticae 12 lin. longa, 5 $\frac{1}{2}$ lin. lata et $\frac{3}{4}$ lin. craſſa, pondere ſeptem librarum extenſionem 37 $\frac{8}{10}$ lin. paſſa, octo librarum pondere autem rupta eſt. Deinde digeſtioni et deſtillationi eandem ſubmiſit, et de ſolubilitate in ſpiritu vini, ſalibus acidis alcalinisque et oleis agit. Soluit ſpiritus vini partem tantum deſtillati ex hac reſina olei; exinde patet aliam eiusdem olei eſſe ad aetherea, aliam partem autem ad pinguia olea referendam. Salia alia eam ſoluunt; alia, vt lixiuium alcalinum, plane non, alia vt ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus, aether nitri et aceti parum mutant. Oléa autem omnia *aetherea* eandem ſoluunt, maxime chamomillae, terebinthinae, et ſuccini; *pinguia* parum in eandem agunt, *empyreumatica* plus ex eadem, quam pinguia, minus tamen, quam aetherea ſoluunt. Si oleis aethereis ſoluta reſina ſpiritu vini commiſcetur, haec ab illis ſeparatur, et inſtar viſcidi muci apparet, qui aëri expoſitus libero, et ſiccatus priſtinam reſinae elaſticitatem recipit. Hoc modo minoribus longe ſumtibus ex hac reſina inſtrumenta chirurgica parantur, quam MACQVERI methodo. p. 356.

24. I. A. E. GOEZE *de animalculis infuſoriis, alia vorantibus. Trichodam Cimicem* MÜLL. alia, quae tamen non nominat, vorare Noſter obſeruauit, id- p. 375.

que

que machina preſſoria confirmauit: preſſu enim *Trichoda* rupta eſt, et animalcula ab eâ deuorata libere natarunt.

p. 385. 25. I. C. F. MEYERI *tentamina cum ferro natiuo Sibirico* a Cl. PALLAS inuento. Igne et acidis Cl. Auctor ferrum et lapidem, eidem immixtum diſquiſiuit: atque exinde colligit, ferrum hoc vere natiuum eſſe: fuſum enim eſſe non poteſt, cum non rigidum ſit, ſed malleo cedat. Lapidis vero drachma ex terrae martialis granis 8, ſiliceae granis 27, et *ſalis amari* vel talcoſae gran. 25, componitur, vt igitur Noſter eundem ad lapides talcoſos referat. Praeterea etiam ex his experimentis ſequitur chalybem et ferrum columnare, maximam in praeparatione phlogiſti partem amiſiſſe, etenim non niſi hoc addito igne fundi poterant: deinde phlogiſto ferrum rigidius fieri.

p. 415. 26. M. E. BLOCH, M. D. deſcribit nouas *Milleporas lineatam* et *ſubulatam*.

p. 420. 27. I. CH. E. refert, ſe in vaſis pulmonalibus *Apri* iunioris *Gordios* inueniſſe, qui *Gordio marino* ſimiles, diuerſi tamen ab eodem, eſſent.

p. 424. 28. Sequuntur *breuiores ex litteris relationes.*
Cl. HENSCHEN, Pharmacopoeam Bremenſem, ex
caſeo antiquo et putreſcente phoſphorum paraſſe
p. 431. refert Cl. KAPP, M. D. Lipſienſis. Cl. DE MEIDIN-
GER quarzum ſic dictum muſcoideum, atque ci-
p. 453. trum monſtroſam deſcribit. Notatu dignae ſunt
Cl. OTTONIS, M. D. Gryphiswaldenſis, obſeruatio-
nes de auibus. In *Mergis* tracheam characterem
certum praebere ait. *Striges ſcandiacam, flammeam,*
p. 467. et *Vlulam* LINN. varietates eſſe putat. A nimia
electricitate, et aëre electrico reſpirato Cl. BRINK-

MANN

MANN peripneumonia et febre putrida affectus eſt, atque hinc electricitatem vi diſcutiente et putreſcente praeditam eſſe colligit. Cl. FVCHS refert, ſe prope a Potsdamo dentes Elephantinos molares et caninos effodiſſe. Cl. MEINEKE narrat, non procul a *Deſſauia* in littore Albis etiam dentem elephantinum effoſſum eſſe. Cl. GOEZE in *Gordio Anguillae* viuos embryones vidit, quae de *Taeniis* hic ſcripſit, nouis obſeruationibus, etiam ipſius Cl. Auctoris correcta iam ſunt. p. 474. p. 480. p. 495.

29. IO. HENR. HAGEN, Pharmocopaeae Regiomontani, et BERNHARDI FELDMANNI M. D. vitae rationes deſcribuntur.

30. Bibliothecae et muſei Societatis catalogus.

Voluminis *quarti* contenta ſunt: Vol. IV.

1. D. IO. GERH. KÖNIG *hiſtoria naturalis Termitis fatalis*. Varia ad Cl. FABRICII obſeruata *) adduntur a Noſtro, qui in loco natali haec inſecta contemplatus eſt. Nidos et diuerſitatem ſexus diligenter deſcribit. Lingua omnino ſunt inſtructa, qua ad aedificandos nidos vtuntur. Praeter vulgarem et aliis dictam ſpeciem, tres ſpecies huius generis eſſe putat, quarum prima ad vias in graminoſis locis habitat, et reliquis maior eſt; altera ſilvas occupat, et phalangae digiti magnitudinem aequat, eſtque coloris nigro cinerei: has duas ſpecies nondum certe conſtituit, quum non ſatis eas disquirere potuerit. Tertia autem certe diuerſa eſt, et colore nigro, et nidorum compoſitione, tum etiam ſingulari maxillarum ſtructura, globoſa nucha, p. 1.

cornu

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 560.

cornu oblique deſcendente frontali. Icones bonae ſunt additae.

p. 29. 2. IO. ANDR. BEN. BERGSTRAESSER *Phalaenae crataegatae* LINN. hiſtoriam ex SEPPII libro vertit, huiusque egregiam iconem addit.

p. 42. 3. OTHO. FRID. MÜLLER *de muſcis aquaticis inviſibilibus*. In corporibus, quae nudis oculis non cognoſcuntur, ditius longe eſt regnum animale, quam vegetabile. Noua, quae deſcribit Cl. Auctor, ſunt: *Conferua hirta*, filamentis flexuoſis, dichotomis, ramulis apicem verſus ſecundis. In aquis circa Pyrmontum inuenit eandem, quae verum *Vorticellae nigrae* locum natalem praebet. Reliquas inuiſibiles plantas in aquis Weynbergenſibus reperit, easque *Muſcum burſaeformem*, (*Beutelmoos*) et *veſiculoſum* (*Blaſenmoos*) nominat. Poſterioris duas formas habet. Rara haec phaenomena iconibus bonis illuſtrantur.

p. 55. 4) EIVSDEM *de Arca Pernula* et *Mya corrugata*, quam poſteriorem bene depictam tradit. Prioris iam in tab. III. f. 17. 18. voluminis tertii icon inuenitur, atque illic cum poſteriori confunditur. Noſter eam vindicat hoc nomine: A. teſta oblonga, ſtriata, apice ſubtruncato, natibus incuruis approximatis, margine integerrimo clauſo.

p. 60. 5. M. E. BLOCH hiſtoria naturalis *Salmonis Maraenae* et *Maraenulae*. Habitant in lacu *Madui*, altera loco natali, lingua acuta, numero radiorum in pinnis earumque colore differt. Anatome etiam diligenter eſt ab Auctore ſubiuncta.

6. PET. CAMPER *de vera cauſſa morborum epi-* p. 95.
demicorum in animalibus. Hic quidem tractatus a Societate praemio eſt coronatus. Cl. Auctor autem praemium Societati reddidit, quae aliam quaeſtionem proponeret, vt hoc praemio optima tunc diatribe coronaretur. Morbi, quos conſiderat Cl. Auctor, ſunt, lues bouilla, varioli ouium, aphthae boum, et equorum coryza maligna (*Rotz*). In primo capite oſtendit Cl. Auctor cauſſam morborum horum graſſantium eſſe *quoddam ſingulare principium.* Certiſſimum eſſe, ait, luem bouillam, nulla p. 102.
alia pecora, nec equos nec oues, nec capras, neque ceruos infeſtare, quae omnia Cl. Auctor in vno eodemque ſtabulo cum lue affectis bouibus nutriuit, iisque venenum luis inſitione indidit, ſaluis tamen ſingulis. Ex Dalmatia primum in Italiam veniſſe et deinde per vniuerſam Europam diffuſam eſſe putat. Materies luis inficiens vim inficiendi ple- p. 104.
rumque praelapſis duabus ſeptimanis, aut ſaltem quatuor ſeptimanis perdit. Minima interim huius venenatae materiei portio animal ſanum, nec dum lue affectum inficit, inſitio fiat in quacunque demum corporis parte. Nullus ex millenis bouibus bis lue, vel naturali, vel inſitione producta eſt affectus. Vitulos etiam, qui nondum in aërem liberum venerint, a lue non infici affirmat, quod autem iidem poſtea aeque facile, ac alii boues experiantur. Vituli a vacca, quae luem perpeſſa eſt, nati, primis quinque menſibus veneni leniora effecta ſentiunt. Mortuos a lue vel artificiali, vel naturali boues diſ- p. 108.
ſecuit Noſter, in vtrisque tamen easdem mutationes vidit, HALLERoque adſentitur, qui pulmones ſemper eſſe malo tactos, aliis variisque paſſim ſymptomatibus accedentibus.

Variolos ouium ſimili modo oues tantum eas- p. 109.
que ſolas afficere demonſtrat, eosque plane a vario-

lis infantum differre: horum enim materies ouibus
p. 111. inſita nullas omnino mutationes produxit. Equorum coryza maligna equos, aſinos, mulos hinnosque ſolos, igitur totum equinum genus occupat: ſed materies ichoroſa cum potu ſanis equis data eos raro afficit, neque ſi aeger equus vno in ſtabulo cum ſanis detineatur, hi inficiuntur: ſed materies, ichoroſa, ſanorum equorum ſanguini inſitione mixta, eos omnino afficit. Hunc morbum inſanabilem eſſe, et, ſi ſummus ſit, inficientem putat.

p. 114. Eſſe igitur vnicuique horum morborum ſingulare principium, quod ſemper vnum eundemque morbum producat et per aërem tanquam vehiculum vndique diſſeminetur, atque reſpiratione vel muco narium vel ſaliua, vel nutrimentis in corpus introducatur et cum ſanguine miſceatur, affirmat.

p. 115. In altero capite negat Cl. Auctor, hoc principium in aëre generari, quod, praeter alia argumenta, confirmat, Heluetia aliisque regionibus, vbi lues plane eſt ſuppreſſa ſubitanea boum interemtione. Aër igitur, frigus hibernum, aeſtus aeſtiualis, variique vapores neque augent, neque imminuunt luis
p. 125. ingreſſum. Sic et tertio capite, hoc venenoſum luis bouillae principium in ipſis boum corporibus latere negat, eosque, qui id affirmant, refutat. Febres etiam, homines afficientes, a materia maligna in aëre vagante deriuat: neque bilem deprauatam cauſſam febris, ſed potius effectum iudicat. Sic etiam originem luis venereae ex America defendit, negatque hanc ex ſolo coitu oriri poſſe. Interim varia adſunt teſtimonia, quae contrarium magis vero ſimile reddant *). Atque dubia tamen ſemper manet quaeſtio, vnde primum horum morborum
p. 133. principium ortum ſit. Ab inſectis hos inficientes morbos oriri capite quarto recte negat.

Iam

*) cf. FORSTERI itineris deſcriptio infra. p. 221.

Iam capite quinto ad remedia his morbis op- p. 140.
ponenda accedit. Curatoria omnino nulla dantur *). Equos coryza affectos primo morbi indicio necari vult. In reliquis malis remedia prophylactica ſunt conquirenda, quae vt certo definiri poſſint, multis tentaminibus ſuadet tempus determinari, quo vis veneni inficientis animalis lue mortui
ceſſet: Ideoque 1) quosdam boues, lue mortuos, p. 150.
ſepeliri ſuadet, atque horum cadauerum carne ad ſexageſimum diem vſque inſitionem tentari: 2) idemque fieri vult, carne ſalita et fumo indurata, a bouibus lue affectis ſumta, 3) eadem tentamina cum ſebo repeti iubet. Expertum enim eſt, homines quidem ſine noxa carne morbidorum boum fruitos eſſe: at hac carne tamen in alia regione boues infici poſſunt. Eadem tentamina cum variolis ouium et coryza equorum poſſunt inſtitui.

Subitaneo animalia lue affecta necare prae- p. 153.
ſtantiſſimum quidem eſt remedium, ſi poſſeſſori noxa ſumtu communi reſarcitur atque ingreſſus pecoris ſuſpecti impeditur: attamen non vbique adhiberi poteſt, niſi *omnes Europaei Principes vnanimi conſenſu loca, in quibus lues graſſatur, ſuis limitibus arceant*, quemadmodum in peſte fit. Donec
hoc fiat nullum remedium, luem imminuendi, eſſe p. 158.
docet capite ſexto, niſi *ipſam luis inſitionem.* Hac enim 1) vituli tantum, minus pretioſi, morbi periculo ſubmittuntur, 2) prius lue afficiuntur vaccae, quam coierunt cum tauro, quod maximum commodum eſt: lue enim naturali affectae vaccae, ſi vel reconualeſcant pariendo ſunt ineptae. Innumerabilibus Cl. Auctoris et aliorum experimentis probatum eſt, boues, a lue inſita ſanatos, nunquam

*) cf. in vniuerſum HALLERI de lue bouilla tract. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 609.

ab ea infici, atque longe maiorem boum numerum inſitione ſeruari, quam a naturali lue omni vel cura adhibita ſanantur. Eſt igitur inſitio inſtituenda in vitulis, ante quintum aetatis menſem. Atque ne aliquando materies deficiat nonnullos vitulos, communi ſumtu eſſe deſtinandos, quibus certo quodam tempore his morbus inſeratur *).

p. 167. 7. LAVR. SPENGLERI *de Pholade lignorum* ſ. *Pholade puſillo* LINN. et *de Turbone* nouo, extus cavitatibus burſaeformibus praedito, pertinente ad *Turritorum* familiam. Vtraque teſta egregiis eſt iconibus et deſcriptione bona illuſtrata.

p. 183. 8. I. H. CHEMNIZ *de Balaena roſtrata.* Cutis eiusdem eſt nigerrima. In capite etiam oleoſa materies, perperam *Sperma Ceti* dicta reperitur, ex qua candelae parari poſſunt. Eſt rariſſimum, velociſſimumque animal. Capitis ſtructura adeo ſingularis eſt, vt ex eo ſolo, quod Cl. Auctor tantum obtinuit, diffi-

*) Placet hoc loco, recentiores quosdam libros, inſitionem luis venereae commendantes nominare, quum eorum, quippe a noſtro inſtituto remotiorum, vberiorem mentionem reddere non poſſimus.

Erfahrungsmäſſige Abhandlung von den verſchiednen Seuchen und Krankheiten des Rindviehs etc. von dem Verfaſſer der Berliniſchen Beyträge zur Landwirthſchaft. Berlin. 1779. 8.

Die gehobne Gefahr beym Eintritte der Rindviehſeuche. Berlin, 1779. 8.

Genaue Beſchreibung der von dem Herrn von BÜLOW *verſuchten Jnokulation der Rindviehſeuche. Büzow und Wismar,* 1779. 8.

ULRICH CHRIST. SALCHOW *eröfnet ſeine erfundne Heilung und gänzliche Tilgung der Rindviehſeuche. Hamburg.* 1779. 8.

IDEM *erläutert und beſtätigt ſeine Durchſeuchungscur etc. Bremen,* 1780. 8.

difficile ſit iudicatu, quaenam maxilla inferior, quae ſuperior dicenda. Quod ſi, vt LINNAEVS ait, craſſior maxilla eſt inferior, haec firma et immobilis, ſuperior autem mobilis erit. An igitur forte craſſior maxilla eſt ſuperior? Roſtrum dentibus inſtructum eſt. Dubitat Noſter Balaenam hoc roſtro lac ex mammis ſugere poſſe, ideoque eam a mammalibus ſeparari mauult. Ex hac deſcriptione varia in LINNEI, KLEINII et ERXLEBENII dictis corrigi poſſunt.

9. HENR. SANDER *deſcriptio itineris ſubterranei in fodinis lithanthracum circa Valenciennes.* Nihil niſi communia et cuilibet, qui ſemel fodinas intraverit, cognita refert. Lithanthraces illic in *venis* inueniri, de quo tamen dubitamus, atque machinis igne mouendis aquam ex altitudine educi aſſerit. p. 190.

10. GVIL. FRIDER. Liberi Baronis A GLEICHEN, RVSWORM dicti, *anatome et microſcopicae obſeruationes Taeniae latae* LINN. et *Vermium ſic dictorum cucurbitinorum*, icone illuſtratae. Egregiae ſunt obſeruationes, ſed dubia videntur, quae ex iisdem colligit. Vidit Cl. Auctor interiori membranae *Taeniae*, adhaerere corpuſcula minima, in *lata* oblonga, in *cucurbitina* orbicularia, quae quidem ſingula animalcula in communi membrana incluſa eſſe defendit, adſentiturque Cl. DELISLII hypotheſi, Hydras congeriem talium animalculorum habenti. Aperturas in ſingulo articulo ora eſſe putat: etſi caput vniuerſale non negat, quo affiguntur taeniae. Ipſos hos articulos ſolutos nunc eſſe viua animalcula, vt hydrae partes, quae tamen non iterum aliis vniantur, neque in inteſtinis maneant. p. 203.

p. 225. 11. IO. E. GOEZE *de vero devoratore Hydrarum.* Nullum a TREMBLEYI tempora animal detectum eſt, quod *Hydras* voraret, donec Cl. EBEL, Berolinenſis, obſeruaret, *Helicem ſtagnalem* LINN. ſ. *Buccinum paluſtre* O. F. MÜLLERI easdem copioſe vorare. Quam quidem obſeruationem Cl. GOEZE confirmat, ſimulque in dubium vocat SLABBERI *) obſeruationem, qui laruam *Tipulae littoralis* Hydris veſci ſcripſerit, cum Ill. Comes DE BORKE Hydras his laruis frui viderit; forte igitur vtrumque locum habere coniicit.

p. 241. 12. In *Buccino Lapillo* LINN. veram purpuram contineri ex obſeruatis Cl. STRÖM refert I. H. CHEMNIZ. Non in vaſis, ſed in vtero cochlearum eandem inuenit, ſimulque hic ratio, eadem tingendi, docetur.

p. 254. 13. *Deſcriptio Zeolitae, eius ſpecierum et varietatum, quoad characteres externos* a IO. ZOEGA. Tres varietates aſſumit Zeoliten fractura terrea, vel friabilem, vel ſolidum; radiatum et cryſtalliſatum. Optaremus, Cl. Auctorem vſum fuiſſe terminis magis diſtinctis et determinatis iuxta methodum a Cl. WERNERO propoſitam **). Interim et haec varietatum recenſio eſt laudanda.

p. 263. 14. IO. GOTTL. GLEDITSCH *de noxiis effectis Rhois Toxicodendri* LINN. Homines circa hanc fruticem operantes quolibet verno tempore exanthematibus in cute inflammatoriis et veſiculoſis ſ. *Phlegmone puſtuloſa*, infeſtabantur: acceſſit febris, dyſenteria et alia mala, quae tamen praeterito verno et aeſtiuo tempore iterum ceſſabant. Cl. Auctor hanc

*) *Phyſicaliſche Beluſtigungen.* S. 10.
**) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 66.

hanc plantam aliasque huius generis, vt *R. radicantem, Vernicem*, diligenter et vberius deſcribit.

15. I. F. W. HERBST *deſcriptio et icones quorundam inſectorum nouorum vel nondum depictorum.* Noua ſunt: *Elater punctatus*, *Dytiſcus tardus*, *Carabus dubius*, *Bupreſtis Berolinenſis:* haec omnia ſunt indigena. Primum hic depicta: *Hiſpa atra*, *Curculio Spengleri*, *Cerambyx Thomae*, *Scarabaeus Sphinx* et *Cetonia verſicolor* FABRIC. quam poſteriorem *Scarabaeum Thebanum* nominat. Icones ſunt mediocres: in exoticis ſaepe ne antennarum quidem veſtigium apparet. p. 314.

16. I. C. F. MEYERI *tentamina cum Zeolite ſpathoſo.* Es iisdem patet, contineri in eodem *terrae ſiliceae* 58 ½ partes centeſimas, *calcareae* 6 ⅔, *aluminaris* 17 ½, et *aquae cryſtalliſationis* 17 ½ pro centenario. Caeterum et Auctoris et Cl. BERGMANNI experimenta confirmant proportionem hanc partium conſtitutiuarum admodum variare. p. 327.

17. IO. ESAIAE SILBERSCHLAG *phyſico mathematica deſcriptio montis Bructeri.* Prope ab Ilſenburgo crater obſeruatur, cuius longitudo circiter 200 perticas et latitudo 100 pert. aequat. Ex hoc eiectos eſſe ſilices aliaque fruſta lapidea, atque ſic illic quaquauerſum vſque ad ſummum Bructeri cacumen diſperſa. Montis igniuomi tamen nulla inuenit veſtigia. Ipſe Bructerus granite conſtat, atque ſuperficies turfa, muſco et plantis humilibus tecta eſt, quibus ſtatim granites ſubiacet. Scaturigines ex ſummo monte, altiori in loco, quam vlli alii montes, oriuntur, easque ex ipſis Bructeri interaneis naſci, neque a vaporibus, nebulis aut nubibus, neque ex aliis montibus deriuandas eſſe ſtatuit. p. 332.

p. 349. Ipſum igitur Bructerum intus cauum eſſe, atque cavitates tres ſibi eſſe ſuperimpoſitas putat.

Cum Noſter in Bructero eſſet, nubem illic quieſcentem intrauit, variaque vitae pericula, ſimulque ſonum perire, atque vento potiſſimum grandinem formari, niuisque cryſtallos ſubito oriri expertus eſt. Adiicit catalogum plantarum, ab Ill. GLEDITSCHIO in Bructero et circa eundem inuentarum, nominibus Linneanis. In ſummo monte, praeter Papiliones quosdam et Motacillas, nulla animalia vidit. Quaedam de ſignis tempeſtatis mutandae et electricitate Bructeri. Trigonometrica methodo altitudinem Bructeri metitus eſt Cl. Auctor, atque inde eius altitudo euenit 2722 pedum Pariſinorum, quae altitudo ea, quam Cl. Auctor quondam barometrica dimenſione inuenit, 57 pedibus, et illa, a Cl. ZIMMERMAN etiam barometro inuenta, 85 pedibus maior eſt. Ex cacumine montis ſuperficiem, cuius diameter 35 miliaria Germanica aequat, intueri poteſt obſeruator. Additae ſunt tres tabulae aeneae montem ipſum et regiones circumiacentes illuſtrantes.

p. 408. 18. Cl. M. E. BLOCH differit *de origine regularium impreſſionum in lapidibus vitreſcentibus.* Primo originem *Echinitae fauoginei* conſiderat. Cellulas eiusdem a cryſtallis, interiora Echinitae occupantibus, deinde autem ſolutis oriri cum Perill. DE BROCKENBVRG et aliis *) putat: figuram vero cryſtallorum et cellularem, vel 3, 4, 5, 6, 7edram a figura aſſularum, teſtam Echini conſtituentium, non vero a mixtione lapidis cryſtalliſati pendere; ſi vero cellulae triëdrae ſolae adſint, echiniten iam fuiſſe petrificatum et intus glabrum atque ſic lapidem genuinam formam aſſumſiſſe. Deinde

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 715.

Deinde de variis impreſſionibus, aliis lapidibus, praeſertim quarzo, chalcedonio, etc. factis, agit, easque vel ab aliis cryſtallis, vel a petrefactis ortas eſſe, easque horum lapidum, cum orirentur, mollitiem demonſtrare putat.

19. Cl. IO. HERRMANNI, Profeſſoris Argentoratenſis, deſcriptio *Phocae* nouae, quam *Monachum*, capite inauriculato, dentibus inciſoribus vtriusque maxillae quatuor, palmis indiuiſis, plantis exunguiculatis, pilis nigricantibus ſiccitate ſurrectis molliuſculis, dicit. Hanc a LINNEO aliisque praeteruiſam, veteribus vero iam dictam eſſe demonſtrat, atque varia alia ad huius animalis hiſtoriam, vt et ad reliquarum Phocarum cognitionem egregia addit. Icone bona forma corporis illuſtratur. p. 456.

20. I. F. BOLTEN *de Ammonitis*. Eos potius partem caudalem incogniti cruſtacei, quam petrefactas cochleas iudicat. Etenim cum Ammoniten nodoſum late carinatum, cuius icon addita eſt, a limo, cui inhaereret, purum redderet, non ſolum nucleum cauum et initium Ammonitae, inſtar caudae apicis ſeparatum, inuenit, ſed elaſtico etiam motu omnes gyros ſolutos atque articulos mobiles fieri, arcte tamen inter ſe nexos manere obſeruauit. p. 510.

21. I. CHR. FVCHS, *quaedam ad petrefactorum hiſtoriam addit.* In Iaſpide et Iaſpachate varia conchylia petrefacta inuenit, quae tamen calcarea erant: qua quidem obſeruatione hactenus aſſumtum axioma in *Iaſpide petrefacta nulla inueniri* limitari putat. p. 518.

22. D. M. E. BLOCH ad *hiſtoriam Vermium in aliis animalibus viuentium* quaedam addit. Medicos p. 534.

erraſſe

erraſſe recte monet, qui remedia anthelminthica quaererent, incurii de natura et origine vermium, ex quarum cognitione tamen remedia demum colligi poſſint. Deſcribit deinde Vermes quosdam ex Piſcibus, vt *Faſciolam Lucii*, *Taeniam tricuſpidatam Aſcarin Acum*, et *Taeniam hydatidem* ex Lucio, *Taeniam Craſſam* et *Faſciolam inteſtinalem*, quae in variis piſcibus habitant. In ventriculo Falconis larvas Oeſtri inuenit, ex Anſere *Taeniam Anſeris*, ex Anate penelope *Taeniam lineatam* et *Taen. infundibulum* indicat. Iis ſubſcribit Noſter, qui hos vermes non alibi vnquam eſſe, ſed in ſolo animalium corpore tantum habitare ſtatuunt. Caeterum haec, a Cl. BLOCH propoſita, illis, a Perill. DE GLEICHEN obſeruatis, plane repugnant. Iconibus nouae ſpecies illuſtrantur.

p. 562. 23. *De apparitione et curſu Cometae anni* 1779, *Auctore* I. E. BODE.

p. 579. 24. Cl. BLOCH *miſcellanea ornithologica*. Lectu digna ſunt obſeruata circa ſtructuram tracheae, admodum variabilem in Auibus. Non ſolum in Cuculo, ſed in pluribus aliis auibus e. g. *Coracia Garrula*, *Caprimulgo Europaeo*, *Fulica atra*, *Falcone Tinnunculo* et aliis etiam ventriculum proxime ad peritoneum ante inteſtina ſitum eſſe obſeruauit: igitur hunc ſitum ventriculi cauſſam eſſe, cur Cuculus ouis nequeat incubare, negat contra Cl. HERISSANT et LOTTINGER *).

25. Sequuntur breuiores relationes. Cl. CAR. GVIL. SCHEELE terram ponderoſam eſſe a calcarea diuerſam docet: nam fluit in igne, eius aqua calcarea omnia

*) vid. mém. de l'Academie de Paris, ann. 1752. et comm. noſtr. Vol. VI. p. 648. et 672.

omnia ſalia vitriolica neutra decomponit; ſpatum ponderoſum regeneratum in aqua non ſolui poteſt, cum acido nitri et ſalis cryſtallos aëre non deliqueſcentes, et cum aceto ſal deliqueſcens format. HENR. SANDERI relatio de lacu in margrauiatu Badenſi, Zircenſi in Carniola ſimili. De cornubus *Ouis Strepſicerotis*, quae ab *Antilope Strepſicerote* omnino differt. IO. GOTTL. STEGMANNI deſcriptio noui acu magnetica praediti inſtrumenti, quo etiam altitudo et planities metiri, ſic quoque acus magneticae inclinatio et declinatio inueniri poſſit. p. 619.

26. *Epitome* vitae, a Cl. MARTINI geſtae. Prodiit vberior diligentiſſimi ac meritiſſimi viri vita, a Cl. I. A. E. GOEZE ſingulari libro deſcripta.

II.

A Voyage round the World in his Britannic Majeſty's Sloop, Reſolution, commanded by Capt. IAMES COOK, during the Years 1772-1775. By GEORGE FORSTER, F. R. S. Member of the Royal Academy of Madrid and of the Society for promoting natural Knowledge at Berlin. In two Volumes, Vol. I. London, printed for B. White, 1777. pagg. 602. praeter praefationem. Vol. II. ibid. eod. pagg. 607.

item.

IOHANN REINHOLD FORSTERS *Reiſe um die Welt, wärend den Jahren* 1772 *bis* 1775, *in den von Seiner itztregierenden Grosbrittanniſchen Majeſtät auf Entdeckungen ausgeſchickten, und durch den Kapitain* COOK *gefürten Schiffe* the Reſo-

lution *unternommen. Beſchrieben und herausgegeben von deſſen Sohn und Reiſegefärten* George Forſter. *Vom Verfaſſer ſelbſt aus dem Engliſchen überſezt, mit dem Weſentlichſten aus des Kapitain* Cooks *Tagebüchern, und andern Zuſätzen für den teutſchen Leſer vermehrt, und durch Kupfer erläutert. Erſter Band. Berlin, bey Haude und Spener,* 1778. 451 *Seit. in* 4. *Zweyter Band. ebendaſ.* 1780. 467 *Seit.* 4.

i. e.

IOAN. REINH. FORSTERI iter circa orbem terrarum, annis 1772-1775 peractum in naue, *Reſolutio* dicta, et a IACOBO COOK gubernata. editum et deſcriptum a filio GEORGIO FORSTERO. Vol. I. II.

Vtramque et Anglicam, et Germanicam huius libri editionem nos indicamus, ita tamen vt poſterioris potiſſimum rationem habeamus, quae multis in locis auctior et emendatior eſt. Neque tamen perfectam epitomen dabimus, ſed ad potiores relationes, quarum plurimae libro inſunt lectu digniſſimae, Lectores attentos reddere cupimus. In introductione narratur, Braſſicam fermentatam, gelatinam animalem, ex iuſculo carnium inſpiſſatam, gelatinam Orchidis, Salep dictam, rob Citri, ac ſuccum inſpiſſatum Dauci Carotae, atque inprimis infuſum polentae efficaciſſima fuiſſe remedia contra ſcorbutum et alios morbos nauales.

p. 3. Primum caput continet iter a *Plymouth* verſus inſulam *Maderae*, cuius deſcriptio additur. Incolae ſunt colore nigreſcente, bene formati, magnis tamen pedibus inſtructi. Tota inſula eſt mons, quem

quem quondam igniuomum fuiſſe lapides poroſi, lauae ſimiles, cementum naturale, atque crater in eius ſummitate demonſtrant. *Arum eſculentum* et *Conuoluulus Batatas* cum *Fago Caſtanea* coluntur, atque comeduntur. Auium plures, et inter eas, *Tetrao rufus* et *Loxia Aſtrild* ibi habitant.

Capite ſecundo iter vſque ad Caput Bonae Spei narratur. Inſulae Capitis viridis deſcribuntur. Incolae miſero in ſtatu viuunt. *Simia Sabaea* illic habitat. Circa aequatorem nouum molluſcorum genus, quod *Glaucus* atlanticus dicitur, obſeruatum eſt: colore erat coeruleum, limaci ſimile, tentaculis quatuor ramoſis. Sic quoque noua *Dagyſae* ſpecies, cuius indiuidua ſibi inuicem adhaerebant, nouaque Meduſae ſpecies apparuit. In alto aequore *Helix Ianthina* obuenit, ſimulque opinio refutatur eorum, qui hanc cochleam Purpuram Veterum eſſe propoſuerunt *). Prope a Capite Bonae Spei omnis oceanus lucere incepit: atque haec lux a corpuſculis gelatinoſis minimis, quae proles Meduſae Noſtro videntur, pendet, et motu aquae marinae augetur. p. 23. p. 38.

Tertio capite remora in Capite Bonae Spei, atque relatio de colonia Belgorum enarratur. Praeter *Bubalim* alia bouis feri ſpecies, quae ab incolis *Gnu* dicitur, illic habitat, omninoque Antilopum ſpeciebus diues eſt regio. Etiam Hirundines illic habitant, vt igitur KOLBIVS recte, et DE LA CAILLE perperam obſeruauerit, quemadmodum etiam Noſter prioris relationes omnino naturae conuenientes inuenit. p. 46.

Quarto capite itineris in inſulas antarcticas atque acceſſus in oram nouae Seelandiae ratio datur. In latitudine auſtrali 49 graduum et 45 minutorum p. 65.

*) vid. HAWKESWORTHS Hiſtoria itiner. Vol. II. p. 13.

rum ingentes maſſae glaciales, lente natantes animaduerſae ſunt; atque eaedem probant in alto mari glaciem natantem oriri. Magis verſus polum auſtralem nihil, niſi glaciem, obſeruarunt nauigantes: vt itaque omnis BOUVETI de terris auſtralibus relatio ad fictiones numeranda ſit. In hoc glaciali mare nihil niſi aues impennes, quas *Aptenodytes* nominat, *Procellarias*, et *Delphinos* videre licuit. Frigus erat ſummum, etſi non vltra 55 gradum profecta eſſet

p. 78. nauis. Aptenodytae pennis duris et laeuibus inſtruuntur, eaeque ſquamarum ad inſtar ſibi incumbunt, auemque a frigore cuſtodiunt: cutis praeterea eorum dura, pinguedineque farta, et venter eorum latus eſt. Procellariarum pennae ex ſingula radice duae oriuntur, alia penna, alia pluma; alae earum ſunt longiſſimae, vt 700 Anglica milliaria a terra continente volantes occurrant. Mol-

p. 81. luſcis veſci videntur. Ex glacie, tepida tempeſtate diffluente, aquam dulcem obtinuerunt, quae purior erat illa, in naui ſuperſtite: interim, cum congelaſcendo aërem fixum perdidiſſet, non aeque ſana erat; nam omnes, qui ea vſi eſſent, glandulis tu-

p. 88. mefactis in collo infeſtabantur. In 58 gradu auſtralis latitudinis *auroram auſtralem* obſeruarunt, quae praeſertim colore albo a boreali diſtinguebatur. Caelum hoc meteoro praeſente erat clarum, aërque maxime frigidus. Eodem in gradu mare lucere viderunt, quod in tanto frigore notatu dignum eſt.

p. 93. Quinto capite remora in Noua Seelandia narratur atque huius deſcriptio datur. In auſtrali inſulae parte nauem appulerunt, in qua nunquam homines habitaſſe ſiluae denſiſſimae, arbores vento vel ſenio collapſae, atque putrefactae, filicum et aliarum plantarum repentium maxima copia, vti et aues minores ſ. paſſeres adeo cicures, vt nec homi-

homines, nec feles timerent, ſatis ſuperque demonſtrarunt. Nouis autem et plantis et animalibus ditiſſima erat inſula. Illarum quaedam hic deſcriptae et depictae ſunt, vt Myrtus noua, cuius folia infuſa Theae ſimilem potum, guſtu ſuauem ſuppeditabant; deinde Abietis ſpecies, quam florentem non obſeruarunt, quae cocta cereuiſiam porrigebat. Huc etiam pertinet *Dracaena auſtralis*, cuius medulla amygdali ſaporem aemulatur. Ex *Phormio tenaci* FORST. fila et funes ad cymbas ligandas parantur. Ex piſcibus *Gadi* noua ſpecies, nigro colore praedita, carnis ſapidiſſimae erat. *Phoca vrſina* etiam hic habitat, quae ab Kamtſchatkaënſi ſolum minori magnitudine differt. Ex adipe oleum coqui curauit Cl. COOK, carne vix veſci poterant nautae; cor et hepar autem eſu ſunt aptiſſima. *Pſittaci* etiam illic degunt, quos praeterea in calidioribus tantum regionibus peregrinatores obſeruarunt. Omnis *noua Seelandia* montoſa, montibus ſummis, et praecipitibus, qui vel ex Granite, vel ex ſtratoſo lapide argillaceo et talcoſo, quem alibi lapidem Nephriticum nominat Cl. Auctor, conſtant. Eſtne forte hic lapis idem cum Gneuſſo noſtratium, vel Schiſto micaceo. Optaremus omnino diligentiorem montium eorumque naturae deſcriptionem, quae phyſicam telluris cognitionem magnopere illuſtraret. In omni auſtrali *nouae Seelandiae* parte tres tantum hominum familias obſeruarunt, quae ingenui moribus, fortes et reliquis borealis regionis huius inſulae incolis ſimiles erant. Generatim itaque huius ſinus, *Duſky Bay* dicti, clima inſanum et humidum eſt, neque vllae plantae antiſcorbuticae ibi creſcunt.

Sextum caput itineris verſus boreales nouae Seelandiae regiones, atque remorae in ſinu Charlottae (*Charlotten Sund*) rationes refert. Illic plan- p. 143.

 tas

tas antiſcorbuticas inuenerunt, *Lepidium*, *Apium*,
p. 152. *Sonchum oleraceum*, et *Tetragoniam cornutam.* Montes hic plerumque ſunt argillacei atque lapide nephritico abundant, vti et ſaxo, quod ex mica et quarzo componitur.

Incolarum mores vberius ſimul deſcribuntur. Ad mammalia huius inſulae, quae in priori itineris deſcriptione *) indicata ſunt, pertinent *Phoca leonina*, *Canis familiaris*, et quidem ea varietas, quae gregibus ouium cuſtodiendis adhibetur, atque *Veſpertiliones.*

p. 175. In littore etiam fruſta Pumicis atque Laua diſperſa erant, ceu certa indicia in hac inſula aut montes igniuomos fuiſſe, aut etiamnum illic reperiri. Noſtri peregrinatores vſu plantarum atque reliquorum ciborum omnes reconualuerunt, vt menſe Iunii anni 1773. iter verſus inſulam *O-Tahiti* inſtituere ſani poſſent, cuius quidem deſcriptionem dat Cl. Auctor *ſeptimo capite.* Menſe *Iulii* in naue *Aduenture* ſcorbutus admodum nautas inuehebatur, quod a tepidiore climate et defectu aëris recentis in illa naue deriuat Cl. Auctor.

p. 192. Pauca ſunt, quae ex octauo capite, commorationis in *O-Tahiti* inſula hiſtoriam continente, naturalem hiſtoriam ſpectant. Nouas plures plantas inuenerunt. Puellae iam decimo anno coitum exer-
p. 205. cent, omninoque feminae ſunt ſalaces. *Morus papyriferae* cortex, cuius fila glutine *Hibiſci eſculenti* vniunt, incolis ad conficiendos pannos inſeruit; *Arum*, *Gardenia*, *Guettarda*, *Calophyllum*, *Muſa* aliaeque aromaticae et eſu vtiles plantae illic coluntur. *Bromeliae ſilueſtris* LINN. folia tegmina tuguriis ſuppeditabant. Praeter Sues, quae Chinenſibus auribus erectis ſimiles erant, et Canes, nulla quadrupedia hic habitant. Auguſti menſe in hac inſula

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 463.

inſula Noſtri commorati ſunt, qui cum Februario in noſtris terris ſimilis ſit, plantas plurimas hiemis ſopore ſepultas, nullasque florentes inuenerunt. Montes alti, fiſſuris plurimis rupti, terrae motus adfuiſſe demonſtrant, quemadmodum etiam Lauae, quibus incolae ad conficienda vtenſilia vtuntur, et humus reliquiis vulcanicis mixta montes igniuomos quondam adfuiſſe indicant. Arena martialis in baſi montium inuenitur. Montes ſunt argillacei, ferro impraegnati: Fruſta quarzi etiam hinc inde reperiuntur. Praeter ferrum autem nulla metallorum veſtigia reperiuntur.

Quae in magna *Tahiti* inſula (*O-Tahiti Nue*) p. 245.
obuenerunt, a Cl. Auctore nono capite narrantur. Hic planities maiori ſunt ambitu, montes ſenſim eleuantur, cacuminibus altis conuexis finiuntur. Palmis littora virent, atque *Artocarpus* copioſe ante tuguria colebatur. In ambabus inſulis proceres et rex reliquos incolas corporis magnitudine et obeſitate antecellerunt. Hic etiam prima vice *Barringtoniam* *) inuenerunt, arborem floribus elegantiſſimis, ſtaminibus numeroſis et antheris rubentibus ornatam; cuius fructu nuciformi piſces inebriantur, ſimili, quo cocculis Indicis, modo.

In reliquis Societatis inſulis praeſertim in p. 279.
Huaheine magnam Suum, Canum et Gallinarum copiam conquiſiuerunt, vti in *decimo* capite Cl. Auctor refert. Ardeae et Alcedinis nouas ſpecies hic animaduerterunt, quas incolae diuis honoribus venerabantur. Ex inſula hac incola, nomine *Omai*, patriae
vale dixit atque nauigatores comitatus eſt. In in- p. 298.
ſula *Raietea*, quae a COOKIO *Vlietea* dicitur, commorantes, multas nouas plantas inuenerunt. Montes ibi ex flaueſcente lapide argillaceo compoſiti erant, in quo hinc inde ſilex pyromachus, atque

*) vid. FORSTERI noua gener. plantt. et infra p. 241.

fruſta poroſae albae Lauae, veſtigiaque ferri ſeſe obtulerunt; vnde hanc inſulam, quemadmodum reliquas, ex rupto monte igniuomo quondam ortam eſſe ſuſpicatur Cl. Auctor. Ex arboris piperatae, hic *Awa* dictae, ſucco, potus ſpirituoſus, incolis delicioſus, Europaeis autem ingratus paratur. Ex hac inſula, iuuenis *O-Hedidi*, vel etiam *Maheine* dictus, nauigantes ſequebatur.

p. 315. Inſulae, a TASMANO *Middelburg* et *Amſtelodamum* dictae, a Noſtro *amicae* nominabantur, cum incolae miram Noſtris amicitiam praeberent, cuius plura teſtimonia et reliqua notatu digna capite vndecimo traduntur. Incolae *Tahitanis* ſimiles ſunt, magis tamen laborioſi, atque artificioſi. Palmarum ſ. *Cocos nuciferae*, vt et *Citri decumanae*, *Erythrinae corallodendri*, *Caſuarinae equiſetifoliae*, plantarumque nouarum magna copia inſulae abundabant: animalium autem et aquae recentis defectu, vel non ſufficiente quantitate laborant. Incolae etiam elephantiaſi ſaepiſſime infeſtantur, quae praeſertim faciem occupat, naſum derodit, atque abſceſſus ichoroſos producit: huic malo cauſtico quodam mederi

p. 338. ſtudent. In inſula *Tongatabu* vel *Amſtelodamo* *Veſpertilionis Vampyri* maximam copiam Caſuarinae ramis inhaerentem obſeruarunt: quorum manus expanſae magnitudine 3 vel 4 pedes aequabant: ipſique Veſpertiliones vegetabilibus veſcuntur. Littus boreale ex rupe corallina conſtat: quae cum ſemper ſub aqua generetur, ſequitur ea loca, in quibus ſupra aquam animaduertitur, quondam aquae marinae immerſa fuiſſe. Igitur hic aut ſenſim imminutum fuit mare, aut alia ſubitanea transmutatione inſula orta eſt. In hac inſula Sues, atque Gallinas ſat magna in copia emerunt nauigantes. In minori vicina Inſula *Coluber laticaudatus*, quem innoxium eſſe confirmatur, habitat. Incolae caeterum

rum moribus et habitu etiam Tahitanis ſimiles ſunt, ſic etiam eorum lingua multa communia habet: quapropter omnes communi quondam ſtirpe ortos exiſtimat Cl. Auctor.

Per quatuor menſes in climate benigniori, nempe in inſulis ſocietatis et amicis, commorati, verno illarum regionum tempore, iter iterum in auſtrales pararunt regiones, ideoque iterum nauibus verſus *nouam Seelandiam* profecti ſunt, in qua etiam, perpeſſa ingenti procella, qua a naui *Aduenture* ſeiungebantur, Nouembris altera die aduenerunt. Plantae Europeae a Noſtris illic ſatae bene creuerunt: animalia autem ab incolis interemta fuerunt. Incolas omnino homines, hoſtes tamen ſolum, vorare, Noſtri viderunt. Certhia cincinnata ab iisdem nomine diuo veneratur. p. 362. p. 385.

Decimo tertio capite iter vſque ad *Inſulam auſtralem, paſchalem* dictam narratur: ex cuius deſcriptione, quam decimum quartum caput tradit, haec ad nos pertinent. Littus ex maſſa ſpongioſa et ferruginea conſtat, ideoque igne orta eſſe videtur: generatim tota inſula ſicco et ſterili ſolo conſtat. Lingua incolarum *Tahitanae* ſimilis eſt. Maxima in hac inſula arbor altitudinem 10 pedum non ſuperabat. Vulcanici lapides in tota inſula copioſe inueniuntur. *Morus papyrifera* incolis veſtimenta, et *Hibiſcus populneus* colorem flauum ſuppeditat. Ex *Mimoſa* quadam clauas atque cymbas conficiunt. *Heliconia Bihai*, *Saccharum*, *Apium*, *Dioſcorea alata* et *Paſpalum* hic naſcuntur: in genere, vix vltra 20 plantas illic inuenerunt. Praeter Gallinas et *Sternam ſtolidam* nulla animalia animaduerterunt Noſtri. p. 398. p. 411.

Altera parte huius itineris refertur acceſſus in inſulam *Waitahu*, qua relicta, iterum in inſulam *Tahiti*, et inſulas amicas profecti ſunt. Hic, reſti-

reſtituta omnium ſanitate, inſulas nouas Hebridum, nouam Caledoniam et inſulam Norfolk detexerunt, iterumque nouam Seelandiam reuiſerunt. Deinde trans mare auſtrale in Terram ignis (*Terra del Fuego*) nauigarunt, nouasque varias inſulas detexerunt: Deinde rurſus in Caput bonae ſpei appulerunt, et per inſulas *St. Helenae*, Aſcenſionis, et Azoricas, in Angliam reuerſi ſunt.

p. 20. Inſulae Marqueſas, ad quas Waitahu pertinet, etiam vulcanicae ſunt originis. Sues, Glires, Gallinas aliasque Aues et plantas Auſtrales ibi inuene-
p. 33. runt. In inſulis, quas planas dixerunt, incolas ſibi inimicos offenderunt. Teſtudinibus apta ſunt arenoſa littora. Interim et hic Palmae et quidem Co-
p. 62. cos nucifera habitat. Montes altiſſimi in inſula Tahiti ſunt argillacea terra tecti, in qua multae aro-
p. 66. maticae plantae naſcuntur. Alia in regione ex Baſalte columnari mons componitur, columnae altitudinem 40 pedum, et diametro 18 pollices aequant, atque contiguae, parallelae et ad perpendiculum poſitae ſunt: vt igitur de vulcanica origine
p. 127. huius inſulae maxime probabilis ſit opinio. Ex teſtimonio incolarum confirmat Cl. Auctor, morbum venereum iam prius in inſulis Societatum ſaeuiſſe, quam vlla nauis Europaea illic venerit. Vt itaque eodem modo in his inſulis, quo in Europa *) ex ſolo libidinoſo vitae genere, neque ex contagio or-
p. 154. tus ſit hic morbus. Non procul ab inſulis amicis in *Tofua* inſula, montem igniuomum vrentem obſeruarunt;

*) Demonſtratum nempe eſt, morbum in Europa fuiſſe prius, quam America detecta eſſet: vid. PETR. MARTYR. AB ANGLERIA decad. Americ. Diſſ. ſur l'origine de la maladie venerienne par Mr. SANCHEZ. Paris. 1752. et Examen hiſtorique ſur l' apparition de la maladie venerienne en Europe. Lisbonne. 1774. vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 81. et II. dec. Supp. p. 156. et 519.

varunt; quem tamen propius contemplari nequiverunt. Incolae inſularum nouarum Hebridum, a p. 159. reliquis Auſtralium terrarum forma et lingua prorſus differebant, neque noſtris peregrinatoribus adeo confiſi ſunt. Inſulae autem iisdem plantis fere aliisque nouis abundant. In inſula *Tanna* iterum p. 211. vulcanum ignem explodere atque poſt pluuias maxime in motum cieri obſeruarunt. Simulque in Solfatara vicina gradum caloris in thermometro Fahrenheitiano 210°, qui in aëre libero 80° erat, emenſi ſunt. Alius mons ex ſtratis argillaceae ter- p. 225. rae mollis, aëre diſſolutae, conſtat, quibus arenaceus niger, lapis ſuillus et creta immixta erant. Incolae etiam hic anthropophagi ſunt. Palmis, praeſertim *Areca oleracea*, *Terminalia Catappa*, *Dioſcorea oppoſitifolia* et Ficubus abundat. Praeterea plantas Indiae Orientalis, in nullis aliis orienti propioribus inſulis viſas, hic animaduerterunt, vt *Stercularia balanghas* et *foetida*, *Dioſcorea alata*, *Ricinus mappa*, *Acanthus ilicifolius*, *Iſchaemum nanticum*, *Panicum dimidiatum*, *Croton variegatum* etc. Prope p. 270. montem, ſupra indicatum, etiam thermae ſcaturiunt, quarum aqua in thermometro Fahrenheitiano calorem 191° indicabat, non tamen argentum arrodebat. In Littore *Blennii* ſpecies, amphibii inſtar, pinnis pectoralibus in humidis rupibus repuit, atque ſaltubus 3 pedum effugit, et Laruis Gryllorum veſci obſeruata eſt. Generatim montes p. 281. huius inſulae ſunt argillacei, creta mixti. Argilla bruni et flaueſcentis coloris ſtrata horizontalia fere format, atque cum lapide, ex cineribus Vulcani et granis Schörli orto, alternat, huic Tripelae ſpecies immixta eſt Ex his vulcani cineribus ſolum huius inſulae fertile conſtat. Argilla alba, Solfataram obtegens, ſulphure natiuo repleta erat: illic etiam bolus rubra reperitur, ſelenitae fruſta, quibus in-

 colae

colae ornamenti loco ſeptum narium perforant, etiam hic nata videntur. Ipſum vulcanum curatius contemplari Noſtris ab incolis non concedebatur: eius tamen altitudo erat mediocris, ideoque BUFFONII aliorumque opinio montes igniuomos ſummos ſemper eſſe inde refutatur.

p. 298. *Noua Caledonia,* a noua Hollandia non magis quam 12 gradus diſſita, ab hominibus, qui omnibus auſtralium Terrarum incolis diſſimiles ſunt, incolitur: Noſtri tamen hanc magnam inſulam parum disquirere potuerunt. Tertio enim huius remorae die noua ſpecie Tetrodontis, cuius hepar, Cl. COOK ſuaſore et comite, comederunt, eiusque veneno morbo vertiginoſo ita affecti fuerunt, vt a naue recedere non poſſent. Interim magna haec inſula vix 50000 incolas nutrire, plurimisque in locis inculta neque adeo fertilis videtur. Incolae autem erga Noſtros protinus ſe amicos praebuerunt, atque Cl. Auctor inter eos elephantiaſin communem
p. 308. morbum, non tamen atrocem eſſe adnotat. Montes ex quarzo micaceo, et granite componuntur, quibus *Melaleuca leucadendra* LINN. innaſcitur. Non procul a mari magna rupes reperiebatur, quae lapidis cornei naturam habebat, granatisque
p. 315. referta erat. Nulla veſtigia vulcanorum ibi obſervabantur. Praeter arborem, cuius fructus pulpa loco panis auſtralibus incolis inſeruit, etiam nouae Paſſiflorae ſpecies, et Cocos nucifera illic naſcuntur.
p. 342. Non procul a noua Caledonia Inſula pinetorum dicta, in qua multa Cupreſſi, Tetragonia et Cochlearia naſcebantur, detecta eſt. Ibi etiam multae *Angues*
p. 387. *platurae* in littore habitabant. In mari inter nouam Caledoniam et nouam Seelandiam *Delphinum Delphim* magna in copia obſeruarunt, vnumque neca-
p. 349. runt, cuius mammae lacte repletae erant. In inſula Norfolk omnes plantae nouae Seelandiae naſcuntur.

tur. In terra ignis (*Tiera del Fuego*) homines miſeri, quos Cl. DE BOUGAINVILLE *Peſcherach* dixit, etiam a Noſtris viſi et deſcripti ſunt. In inſulis prope a Terra ſtatuum *Phocae iubatae* SCHREB. et *vrſinae* magna copia, ſeparatim tamen, degebat. Pedes *Phocae iubatae* anteriores loco vnguium tubera tantum habent; poſteriores autem ſunt digitati et vnguibus inſtructi, atque cauda intermedia a ſe inuicem ſeparati; quod ideo monemus, quoniam in icone, a SCHREBERO data, pedes alia ratione depicti ſunt. In hac inſula etiam *Vultur Aura* habitat.

p. 391.

p. 401.

In latitudinis auſtralis 54° inſulam detexerunt, cui *Georgiae auſtralis* nomen dederunt. In Eiusdem latitudinis 59° montes, quos *auſtrale Thule* nominarunt, et in 57° terram a comite DE SANDWICH dictam viderunt. Omnes hae terrae autem frigore torrent et incultae ſunt.

p. 411.

Hoc itinere itaque, trium annorum ſpatio peracto, effectum eſt, nullam terram continentem in zona temperata auſtrali, neque verſus polum auſtralem, prae continua glacie vllam habitatam terram reperiri, et in ipſo alto mari ex aqua marina glaciem fieri, hancque calore ſolutam praebere aquam dulcem: praeterea obſeruarunt multa circa hominis naturam, atque multas nouas ſpecies animalium et plantarum Noſtri inuenerunt, pluraque de natura montium, praeſertim igniuomorum lectu digna tradiderunt. Interim tamen ipſe Cl. Auctor fatetur longe plura reſtitiſſe vel plane non viſa, vel obiter tantum conſiderata: non enim ſolum ab incolis illarum gentium, a tempeſtate morbisque; ſed, quod mirandum, ab ipſis comitantibus Anglis, inuidia erga Auctorem et Eius patrem captis, ſaepe impediti ſunt. Quod denique ſcribendi rationem Germa-

nici libri attinet, eam lectu amoenam, et de integritate et humanitate Cl. Auctoris teſtantem omnino eſſe ingenue eſt fatendum.

III.

Characteres generum plantarum, quas in itinere ad inſulas maris Auſtralis, collegerunt, deſcripſerunt, delinearunt, Annis MDCCLXXII - MDCCLXXV. IOANNES REINOLDVS FORSTER, L. L. D. Societ. Reg. Scient. vt et Antiqu. ap. Lond. Sodalis et GEORGIVS FORSTER. Londini, Proſtant, apud B. White, T. Cadell et P. Elmsly. MDCCLXXVI. 21 plagg. in 4. mai. tabb. aen. 75.

Splendidus hic liber, GEORGIO tertio, Regi Magnae Britanniae, dedicatus, eſt primus eorum fructuum, qui ex itinere quarto ab occidente in orientem ſuſcepto in orbem eruditum redundarunt. Peregrinatores, vti ex itinerario *) apparet, vltra circulum Antarcticum ad LXXI. latitudinis Auſtralis gradum proceſſerunt, quo minus vlterius progrederentur glacie impediti. Facile coniicere licet hoc itinere copioſiſſima corpora naturalia nondum cognita animaduerſa eſſe, quae cum perfecte diſquirere vellent Auctores in Promontorio Bonae Spei ANDREAM SPARRMANNVM, M. D. Vpſalienſem, ſibi ſocium et adiutorem laborum adiunxerunt. Atque ſic aues, plantas, piſces, et teſtacea in continente collegerunt, quae in naue ſinguli deſcripſerunt. SPAARMANNVS plantas deſcribebat,

*) FORSTERS *Reiſe etc.* cuius mox antea mentionem fecimus.

bebat, FORSTERVS filius eaſdem delineabat, atque FORSTERVS pater ſe zoologicis deſcriptionibus dicabat; ſaepe tamen omnes ſibi inuicem opem tulerunt. Noſtri igitur hoc libro, TOVRNEFORTIVM, PLVMIERVM et LINNEVM ſequuti, characteres nouorum generum delineatos et deſcriptos tradunt: in quo quidem, recte omnino, etiam ſyſtema Linneanum ſequuntur. Exhibentur LXXV noua plantarum genera, cum, in quo laudandi ſunt Auctores, non, niſi natura poſtularet, noua genera condiderint: ad quae XCV ſpecies pertinent: praeter eas autem circiter CLXX ſpecies nouas, ad Linneana genera relatas, et plus quam CC nouas animalium ſpecies inuenerunt, quarum deſcriptiones breui in publicum emiſſuri ſunt. Quo minus enim plura detegerent, temporis, quo in ipſis inſulis commorarentur, breuitas, incolarum ſaepe mala fides, qua botanicos ab interioribus arcerent, atque anni tempora vernalia, autumnalia et hiemalia, quibus vt plurimum in terris appellerent, impedierunt. Orientales inſulae in vniuerſum non vltra CCCC plantas, quarum magna pars eſt nota, producunt. In occidentalibus tropicis inſulis, ob incolarum mores minus mites, paucas plantas colligere potuerunt. In terris Auſtralibus nihil prorſus eſt repertum. *Tiera del Fuego* pauciſſimas obtulit plantulas. Capenſes plantas THVNBERGIO, qui floram Capenſem eſt editurus, reliquerunt.

Noua plantarum genera, quorum flores horumque partes ſingulae in tabulis aeneis ſingulis diligenter ſunt ſculptae, ſunt haec, quae tamen, per inſtituti rationem vel nominetenus, vel iis, qui nobis ſingulares viſi ſunt, characteribus, tantum indicamus, cum vberior character iconum explicatione egeat.

Monandr. 2gyn. 1. *Mniarum*. ſpec. 1. *biflorum*.

Diandr. 1gyn. 2. *Anciſtrum*, calyce quatuor ariſtis ſetaceis, ſingula hamis 4. reflexis terminata. ſp. 1. *anſerinaefolium*.

— — 3. *Cyrtandra*, filamentis flexuoſis, ſp. 1. *biflora*. 2. *cymoſa*.

— — 4. *Bankſia*, pericarpio villoſo non dehiſcente. ſpec. 1. *Gnidia*. 2. *tomentoſa*. 3. *proſtrata*.

Triandr. 3gyn. 5. *Donatia*, perianthio triphyllo, petalis 9. ſp. 1. *faſcicularis*.

Tetrandr. 1gyn. 6. *Blakburnia*, perianth. 4dentato, petalis 4. ſp. 1. *pinnata*.

— — 7. *Euodia*, perianth. 4phyllo, petalis 4, ſpathulatis, nectario 4fido, laciniis emarginatis, germinibus 4; ſp. 1. *hortenſis*.

— — 8. *Embothrium*, cal. nullo, petalis 4, *ſtaminiferis*, nectario ſquamoſo baſi piſtilli adnato, germine lineari inflexo; folliculo tereti, ſp. 1. *coccineum*, 2. *vmbelliferum*.

p. 17. Pentandr. 1gyn. 9. *Sheffieldia*, perianth. turbinato, 5fido, corolla 1petala ſubcampanulata, filamentis 10, 5 caſtratis, ſemina globoſa affixa receptaculo columnari in medio capſulae. ſp. 1. *repens*.

p. 19. — — 10. *Epacris*, perianth. 5partito, corolla 1petala tubuloſa, nectario e ſquamulis 5 obouatis, apice emarginatis, baſi germinis adpreſſis, ſp. 1. *longifolia*. 2. *iuniperina*. 3. *pumila*.

11. *Bae-*

Pentandr. 1gyn. 11. *Baeobotrys*, perianth. duplici, exteriore diphyllo, inter. 1phyllo, cor. 1petala, tubuloſa, 5fida, bacca globoſa. cf. *Maeſa* FORSKAL. Flor. aegypt. ſp. 1. *nemoralis*. p. 21.

— — 12. *Genioſtoma*, perianth. 5fido, cor. 1petala tubuloſa, fauce villoſa barbata. ſp. 1. *rupeſtris*. p. 23.

— — 13. *Dentella*, perianth. 5fido, cor. 1petala tubuloſa, laciniis acutis 3*dentatis*, germine infero villoſo. ſp. 1. *repens*. p. 25.

— — 14. *Lophanthus*, perianth. 1phyllo tubuloſo, 5fido, petala 5, ſpathulata. Proximum genus *Waltheriae*. ſp. 1. *tomentoſus*. p. 27.

— — 15. *Argophyllum*, perianth. turbinato breui 5fido, petalis 5, lanceolatis, *nectario pyramidali*, e capillis plurimis conniuentibus baſi cohaerentibus. ſp. 1. *nitidum*. p. 29.

— — 16. *Corynocarpus*, perianth. 5phyllo, foliolis oblongis, petalis 5, nectar. folia 5, baſi glanduloſa, *nuce turbinatoclauata*, ſp. 1. *laeuigata*. p. 31.

— — 17. *Carpodetus*, perianth. turbinato, germini adnato 5dentato, petalis 5, bacca ſicca globoſa, e margine calicis adnato annulata, ſp. 1. *ſerratus*. p. 33.

— — 18. *Gynopogon*, perianth. 1phyllo, ſemiquinquefido, cor. 1petala contorta, ſtigmate villoſo, p. 35.

bacca

bacca pedicellata, ſp. 1. *ſtellatum*, 2. *ſcandens*.

p. 37. Pentandr. 2gyn. 19. *Melodinus*, perianth. 5partito, cor. 1petala contorta, limbi laciniis falcatis; nectar. in ore tubi ſtellato, bacca carnoſa. ſp. 1. *ſcandens*.

p. 39. — — 20. *Dichondra*, perianth. 5partito, cor. 1petala, ſubcampanulata, capſulis 2, ſubgloboſis, monoſpermis. ſp. 1. *repens*.

p. 41. — — 21. *Gingidium*, (vmbella) inuolucro vniuerſali 6phyllo; fructu ouato truncato, 8ſtriato. ſp. 1. *montanum*.

p. 43. — 5gyn. 22. *Commerſonia*, perianth. 5partito corollifero, petalis 5, linearibus, nectar. 5partito, laciniis lanceolatis, corpuſcula 5, villoſa emittens; germine villoſo, nuce globoſa, 5loculari. ſp. 1. *echinata*. A RVMPHIO *amboin. III. f.* 119. Reſtiaria alba dicitur.

p. 45. — polygyn. 23. *Schefflera*, perianth. 5dentato, germen vmbilicante, perſiſtente, petalis 5, germine globoſo, ſtylis 8 – 10, capſula infera. ſp. 1. *digitata*.

p. 47. 6andr. 1gyn. 24. *Phormium*, calice nullo, petalis 6 adſcendenti obliquis, in tubum conniuentibus, germine triquetro, ſtylo filiformi adſcendente, ſtaminibus breviore, ſp. 1. *tenax*.

6andr.

6andr. 1gyn. 25. *Ripogonum*, perianth. hexaphyllo, cor. nulla, antheris linearibus, germine globoſo, bacca diſperma. – Genus Smilaci proximum. ſp. 1. *ſcandens*. p. 49.

— — 26. *Gahnia*, Inuolucro 2-5floro, vniualui glumaceo, proprio: gluma biualui, cor. biualui, valuula exteriore maiore apice 3dentata, anth. linearibus apice mucronatis, germine oblongo, ſtigmatibus 2. *Gramen*. ſp. 1. *procera*. p. 51.

8andr. 1gyn. 27. *Acronychia*, perianth. 4 dentato, petal. 4, *apice vngue inflexo hamatis*: nectario germini adnato, ſulcis 5 notato, germ. ſubgloboſo, ſp. 1. *laeuis*. p. 53.

— — 28. *Melicope*, perianth. campanulato 4partito, petal. 4. acuminatis patentibus, *nect*. 8*fido*, anther. erect. ſubcordatis, germine ouato, apice 4lobo, ſp. 1. *ternata*. p. 55.

— — 29. *Skinnera*, perianth. 1phyllo, infundibuliformi, colorato; cor. nulla, nectar. 4 ouato lanceolatis, anth. orbiculatis, germ. oblongo, ſtigm. globoſo tuberculato, ſp. 1. *excorticata*. p. 57.

— 2gyn. 30. *Codia*, cal. communi et proprio 4phyllo, petal. 8, tenuiſſimis: anther. ſubrotundis: germine villoſo, tetraſpermo, ſtylis ſubulatis piloſis, ſp. 1. *montana*. p. 59.

8andr.

p. 61. 8andr. 4gyn. 31. *Haloragis*, perianth. ſupero 4fido, perſiſtente, petalis 4; germine ſubgloboſo, ſtigmatibus truncatis papuloſis, nuce oſſea 4loculari, ſp. 1. *proſtrata*.

— 5gyn. 32. *Polyſcias:* vmbella prolifera, petala 6 - 8, germine calice marginato, ſtigmatibus breviſſimis, bacca globoſa, ſp. 1. *pinnata*.

p. 65. 10andr. 1gyn. 33. *Inocarpus:* perianth. 1phyllum, bifidum; cor. 1petala tuboloſa, limbo 5partito; germ. oblongum villoſum; drupa ouata continens nucem fibris lignoſis intertextis conſtantem, ſp. 1. *edulis*.

p. 67. 12andr. 1gyn. 34. *Pemphis*, perianth. perſiſt. 1phyllo, 12fido; petalis 6 obouatis; filamentis alternis brevioribus, germinis globoſi ſtigmate capitato; capſula 6valui, farcta, ſp. 1. *acidula*.

— 3gyn. 35. *Tacca*, perianth. ſupero 6phyllo, petal. 6, calice tectis cucullatis, antheris oblongis, retrorſum arcuatis, ſtigmatibus bilobis obcordatis, bacca ſicca ouata, ſp. 1. *pinnatifida* vid. RVMPH. amb. V. t. 112. et 114.

20andr. 1gyn. 36. *Leptoſpermum*, perianth. turbinato, germini adnato, pet. 5. orbiculatis, germine infero, capſula turbinata, ſem. linearibus minutis, ſp. 7. inter quae etiam

etiam *Melaleuca Leucadendra* LINN.

20andr. 1gyn. 37. *Decaſpermum*, perianth. turb. germini adnato, pet. 5, ſubrotundis, ſtylo cylindrico, ſtigmate depreſſo. Pericarpio 10ſulcato et 10loculari, in quolibet loculo ſemen vnum ouatum. ſp. 1. *fruticoſum*.

Polyandr. 1gyn. 38. *Barringtonia*, perianth. 2phyllo, ſupero, petalis 4, ouatis, coriaceis, nectar. conico tubuloſo; filamentis longiſſimis, ſtylo filiformi, longitudine ſtaminum, drupa ouata, calice coronata, nuce oſſea. Sp. 1. *ſpecioſa*. Butonica RVMPH. amb. III. t. 114.

— — 39. *Mallococca*, perianth. 5phyllo, petalis 5, germine et drupa 4cocca villoſis, ſp. 1. *crenata*. p. 77.

— — 40. *Dicera*, perianth. 4 ſ. 5partito, petalis 4 ſ. 5. obouatis, trifidis, nectario e corpuſculis 4 ſ. 5. emarginatis, antheris bicornibus, ſpec. 2. *dentata* et *ſerrata*. p. 79.

3gyn. 41. *Euryandra*, perianth. 5phyllo, pet. 3. filamentis apice dilatatis anther. didymis, germ. 3, ouatis, ſp. 1. *ſcandens*. p. 81.

4gyn. 42. *Drimys*, perianth. 1phyllo, dehiſcente; pet. 6, ouatis; filam. apice craſſioribus, anther. didymis, lobis ſummo apice cohaerentibus; ſtigmatibus plano depreſſis germinibus adnatis, p. 83.

natis, baccis 4. ſpec. 2. *Winteri* et *axillaris*.

p. 85. 1adelph.polyand. 43. *Plagianthus*, perianth. breui 5fido, pet. 5, ouatis, duobus magis approximatis; anth. 12, ſtigmate clauato. ſp. 1. *diuaricatus*.

p. 87. — — 44. *Groſſoſtylis*, perianth. turbinato 4angulari, pet. 4. ellipticis, nect. corpuſculis filiformibus, ciliatis 20. germine conuexo, ſtigmate coronato, bacca hemiſphaerica, multiſtriata, ſemin. plurimis in recept. columnari poſitis, ſp. 1. *biflora*.

p. 89. Syng. polyg. aequ. 45. *Adenoſtemma*, feminibus cylindricis longis papuloſis; pappo e glandulis 3. pedicellatis, ſp. 1. *viſcoſa*.

p. 91. Syng. polyg. ſuperfl. 46. *Brachyglottis*, corollulis femineis tubuloſis ligulatis, ligula breuiſſima; ſeminum pappo denſo plumoſo, ſp. 2. *repanda* et *rotundifolia*.

p. 93. — polyg. ſegreg. 47. *Laxmannia*, perianth. proprio membranaceo, apice bidentato, ſeminum pappo nullo, receptac. paleaceo, ſp. 1. *arborea*.

p. 95. — monogam. 48. *Shawia*, perianth. imbricato, cylindrico, corolla infundibuliformi, ſeminis pappo piloſo, ſp. 1. *paniculata*.

p. 97. Gynandr. diandr. 49. *Thelymitra*, ſpath. lanceolatis, vniualuibus, pet. 6, ouato lanceolatis, nectario 1phyllo, 2labiato, labio ſuperiore truncato,

to, inferiore trifido, lacinia media cucullata, antheras et germen obtegente, ſp. 1. *longifolia.*

Monoec. 1 andr. 50. *Balanophora*, flores maſculi ad baſin capituli duplici ordine, petalis 4, anthera oblongo ouata; flores feminei innumeri, germine minutiſſimo, monoſpermo, ſp. 1. *fungoſa.* p. 99.

— — 51. *Artocarpus*, fl. maſc. ſpadice ſimplici clauato nudo, perianth. proprio minimo membranaceo, anthera erecta, oblonga. fl. fem. ſpathis biualuibus, ſpadice ouato, germinibus plurimis connatis tecto, germ. cuneato, ſtigmate puncto prominulo marceſcente, fructu ouato globoſo, farinaceo, quo panis loco vtuntur incolae terrarum auſtralium, ſp. 1. *communis.* p. 101.

— — 52. *Caſuarina*, ſp. 1. *equiſetifolia*, eſt eadem cum *Caſuarina littorea* RVMPH. amb. III. t. 57. p. 103.

— 5 and. 53. *Elatoſtema:* fl. maſc. cor. 5 partita, filam. 5, ſe exſiliendo erigentia, anth. cordato didymae: fl. femin. cal. et cor. nulla, germ. minimum, ſtigmata tria, bifida: rec. abit in baccam globoſam, ſp. 2. *pedunculatum* et *ſeſſile.* p. 105.

— 6 and. 54. *Epibaterium:* fl. maſc. perianth. duplex deciduum, exterius 6 phyllum, inter. 3 phyllum, exteriore triplo maius, petala 6; antherae ſubrotundae. Fl. femin. cal. et cor. vt in maſculis: germina 3 ſubgloboſa, p. 107.

ſtyli 3 incurui; drupae 3, monoſpermae, nux reniformis, ſp. 1. *pendulum.*

p. 109. Monoec. 6and. 55. *Pometia*, fl. maſc. perianth. 1phyll. 6fidum, rotatum, pet. 6, orbiculata, nectarium eleuatum, torulis 6 notatum, antherae parabolicae: fl. fem. cal. cor. vt in mare; germen obcordato didymum, ſtyl. filiformis, bacca globoſa, monoſperma. Forte ad Polygamiam pertinet, ſp. 1. *pinnata*, cf. Palorum arbor alba latifolia RVMPH. amb. III. t. 65.

p. 111. — adelphia. 56. *Aleurites:* fl. maſc. perianth. 3fidum, breuiſſimum, pet. 5. oblonga, nectar. ſquamae 5 ſubangulatae breuiſſimae ad baſ. petalorum; filam. numeroſa connata in receptac. conicum columnare: fl. femin. partes vt in mare, at germen conicum ſuperum, ſtigmata 2, bacca magna globoſa dicocca, ſp. 1. *triloba.*

p. 113. — ſyngen. 57. *Glochidion:* fl. maſc. petal. 6 ouata; filamenta 3, minutiſſima, anthera cylindrica cuſpidata: fl. fem. corolla 6partita, lacin. 3 interioribus; germ. globoſo - 6ſulcatum, ſtigmata 6 - 8; capſula depreſſa. ſp. 1. *ramiflorum.*

p. 115. Dioec. 1and. 58. *Phyllachne:* fl. maſc. perianth. 3phyllum, foliolis minutis ſubulatis; cor. 1petala tubuloſa; filamentum 1, baſi vtrinque glandula notatum, anth. ſubgloboſa 3ſulca. fl. fem. cal. et cor. vt in mare; germ. turbinatum, ſtylus capillaris, baſi vtrin-

vtrinque glandula notatus, ſtigma ſubcapitatum. ſp. 1. *vliginoſa.*

Dioec. 1and. 59. *Aſcarina:* fl. maſc. ament. filiforme, perianth. ſquamula breuiſſima; anthera oblonga recurua 4ſulca. fl. fem. germ. globoſum, ſtigma planum, germini adnatum, ſp. 1. *polyſtachya.* p. 117.

— 3andr. 60. *Meryta:* fl. maſc. aggregati; perianth. tripartitum, fil. capillaria longitudine calycis, antherae oblongae. Flores feminei nondum reperti, ſp. 1. *lanceolata.* p. 119.

— — 61. *Maba*, (nomen huic plantae ab incolis inſull. Tongatabu et Namoka impoſitum): fl. maſc. perianth. 3fidum, villoſum; cor. 1petala, villoſa, limbo 3fido. piſt. rudimentum globoſum ſubſeſſile in centro floris. In Fl. femin. drupam bilocularem, nuces duas triquetras continentem viderunt, ſp. 1. *elliptica.* p. 121.

— 5andr. 62. *Melicytus:* fl. maſc. perianth. 5dentatum, pet. 5 ouata; *nect. corpuſcula 5 clauata, cyathiformia.* anth. 5, ouato ſubrotundae ſeſſiles in nectarii latere interiore: fl. fem. germen. ouato globoſum, ſtigma 4lobum ſtellatum, ſp. 1. *ramiflorus.* p. 123.

— polyand. 63. *Myroxylon:* fl. maſc. perianth. 4 ſ. 5partitum; nectar. minimum, annulare, ſtamina cingens: fl. femin. germ. ouato globoſum, ſtigma obtuſum. Sp. 2. *ſuaueolens* et *orbiculatum.* Incolae hoc ligno oleum p. 125.

cocos nuciferae odore fragante inficiunt, eoque capillos inungunt.

p. 127. — polyand. 64. *Hedycarya:* fl. maſc. perianth. 1phyllum, plano rotatum, 8 - 10fidum: antherae 50 oblongae, ſeſſiles: fl. fem. germina 6 - 10 pedicellata, hinc totidem nuces ſuboſſeae 1ſpermae, ſp. 1. *arborea.* Nuces huius arboris ſunt admodum dulces.

p. 129. Pol. monoec. 65. *Thryocephalon:* fl. hermaphr. in *ſpicula* 3 - 4 flora; cal. vniualuis, gluma oblonga; ſtamina 3; germ. ſubrotundum, ſtyli 2 filiformes; ſem. ſolitarium. Fl. femineus ſeſſilis ad baſin et ex oppoſito hermaphroditis; caeterum ſimilis, ſp. 1. *nemorale.*

p. 131. — — 66. *Aporetica,* (genus adhuc dubium): ſtamina 8; germina 2, pedicellata monoſperma. Flores hermaphroditi et maſculi.

p. 133. Polyg. dioec. 67. *Pennantia:* fl. hermaphr. pet. 5 lanceolata; filam. 5, anth. oblongae incumbentes, germ. obtuſe trigonum, biloculare, ſem. ſolitaria. Fl. maſc. vt in hermaphrodito, ſp. 1. *corymboſa.*

p. 135. — — 68. *Aciphilla:* fl. hermaphr. *vmbellati:* inuolucr. vniuerſale et partiale 5phyllum, anth. didymae, ſemina 2, oblonga, hinc plana, inde ſubtrigona. fl. maſc. ſimiles, at antherae ouatae, ſp. 1. *ſquarroſa.*

p. 137. — — 69. *Coproſma,* (a foetido odore): fl. hermaphr. perianth. breuiſſimum, perſi-

perſiſtens. cor. 1petala, turbinato-campanulata, 5fida; filam. 5-7. anth. oblongo lineares, baſi bifidae; germ. oblongum, ſtyli 2 filiformes; bacca ouato globoſa, diſperma. fl. maſc. vt hermaphroditi, ſp. 2. *foetidiſſima* et *lucida*.

Polyg. dioec. 70. *Scopolia:* fl. hermaphr. perianth. ſuperum quinquedentatum, (cor. et ſtam. iam decidua), germ. oblongum, ſtyli 3, cylindrici, breuiſſimi. fl. maſc. petala 5, filam. 5, anth. ſubrotundae. ſp. 1. *lucida* *). p. 139.

— — 71. *Ceodes:* fl. maſc. cor. 1petala, 5fida; filamenta 10, alterna minora, antherae ſubrotundae; ſtylus filiformis, ſtigma dilatatum. Fl. hermaphroditi non innotuere. p. 141.

— — 72. *Meliſtaurum*, fl. hermaphr. cor. 5partita, nectar. campanulatum, truncatum; ſtamina 20 nectarii margini inſerta, alterna caſtrata; germ. craſſiuſculum, ſtylus cylindricus, ſtigma obtuſum. Fl. maſculi non viſi ſunt. p. 143.

— trioec. 73. *Breynia:* perianth. 1phyllum turbinatum, antherae lineares ſtylo adnatae; germ. minimum, ſtylus cylindricus, ſtigma obtuſum; bacca ſicca, globoſa: fl. maſc. perianth. 5partitum; nectar. glandulae 5 ſubpedicellatae, anther. ſubrotundae: fl. fem. germ. globoſum; ſtigmata p. 145.

*) Notamus, hanc iam tertiam eſſe plantam, quae a Celeb. SCOPOLI nomen accepit: a LINNEO enim *Ricotia aegyptiaca*, et a IACQVINIO *Hyoſcyamus Scopolia*, iuxta eundem dictae ſunt.

gmata 5 obcordata petaloidea, ſeſſilia. ſp. 1. *diſticha.*

Crypt. Algae. 74. *Aytonia.* Maſc. flor. innati ſcrobiculo frondis; antherae plures ſubulatae erectae, longae, inſiſtentes receptaculo hemiſphaerico concauo: fl. fem. cal. filamenta ſubulata, germen ſubgloboſum ambientia; ſemina minima. ſp. 1. *rupeſtris.*

Palmae. 75. *Athrodactylis.* fl. maſc. ſpathae alternae, ſeſſiles, ſerrato ſpinoſae: ſpadix thyrſus decompoſitus. filam. breuiſſima, plurima, ramificationibus ſpadicis inſidentia; anth. oblongae, acutae: fl. femin. in diuerſa arbore. ſpathae 4, terminales, conniuentes; ſpadix globoſus, germinibus numeroſis cuneiformibus tectus; drupae farinaceae monoſpermae. ſp. 1. *Spinoſa.* Eſt *Bromelia ſylveſtris* LINN. *Keura* FORSKÅL. *Kaida* et *Pandanus* RVMPH. H. Malab. p. II. t. 1-8.

IV.

Spicilegia Zoologica, quibus nouae imprimis et obſcurae animalium ſpecies iconibus, deſcriptionibus atque commentariis illuſtrantur. cura P. S. PALLAS. Faſciculus X. Berolini, proſtant apud Gottl. Aug. Lange. 1774. 7 plagg. in 4. tabb. aen. IV. Faſciculus XI. ibid. proſt. apud Chriſt. Frider. Voss. 1776. 10 ½ plagg. tabb. aen. V. Faſc. XII. ibid. 1776. 9 plagg. tabb. aen. III. Faſc. XIII. ibid. 1779. tabb. aen. III. Faſc. XIV. ibid. apud Ioachim. Pauli. 1780. 12 plagg. tabb. aen. IV.

Retardatae notatu digniſſimi libri, cuius haud ita pridem a Cl. Auctore participes facti ſumus, commemorationi veniam dabunt Lectores, quum eos ſimul nouiſſima eiusdem parte remuneremur.

Faſciculus decimus, qui ſimul *Tomum primum* finit, ideoque indice rerum in faſciculis his prioribus decem contentarum inſtructus eſt, continet nouarum ſpecierum ex Vermium claſſe hiſtoriam, deſcriptiones et icones. Dabimus nomina et notatu digniores proprietates.

E *Lumbrici* genere nouae ſpecies ſunt, *L. echiurus* *), *L. thalaſſema*, *L. edulis*, *L. Phalloides*, et *L. oxyurus*. Prior ſpecies in littore Belgico frequentiſſima p. 3.
pro ineſcandis hamis ad capturam *Gadi Morrhuae* adhibetur. Lumbricus edulis in Indiis pro ipſo p. 10.
hominum cibo vſitatur. Generatim *Sipunculos* LINN. a natura in vnum genus cum Lumbricis coniunctos eſſe putat: atque *Sipunculum ſaccatum* LINN.

*) Miſcell. zoolog. vid. comm. noſtr. Vol. XV. p. 238.

LINN. dubiam eſſe ſpeciem, atque forte eius epidermidem, in ſpirituoſo liquore ſecedentem, ſpeciem inuolucri praebuiſſe.

p. 17. Ad *Faſciolae* genus pertinent *F. ventricoſa*, ex *Amboina*, *quadrangularis*, in foſſis prope Hagam Comitum, *F. fuſca*, et *F. punctata* in aquis ſtagnan-
p. 19. tibus Europaeis, habitantes. Quum *Limacem lanceolarem*, quae tentaculis careat, deſcribit, ſimul monet ſub Limacum genere comprehendenda eſſe animalcula molluſca, quae plano carnoſo incedunt, ſiue illud latum atque planum, vt in *Limacibus*, *Doride*, *Aplyſia;* ſiue ſulcatum ſit, vt in *Scillaea* LINN.
p. 24. Reliqua molluſca ſunt *Aſcidia mammillaris*, et *clauata*, quam LINNEVS ad *Vorticellas* *) reduxit, quae tamen diuerſa eſt ab Aſcidia clauata O. F. MÜLLERI **), *Holothurium zonarium*, ex Antigua inſula miſſum, *Clione Borealis* LINN. et *Meduſa fron-*
p. 26. *doſa*, quae in Archipelago Caribaeo habitat. *Holothuriorum* genus in ſyſtematis edit. XII. a LINNEO miro modo compilatum et a natura alienum factum eſſe putat: etenim *Holothurii frondoſi*, *Phantapodis*, *Hydrae* BOHADSCHII, atque *Holothurii pentactis* affinitatem cum Actiniis maximam eſſe.

Sequuntur Teſtacea, et primum *Echinus calamaris* et *minutus* ***): tum cochleae, nempe *Harpa nobilis*, *Buccinum monodon*, *Turbo principalis* et *Helix Lyo-*
p. 34. *netianus*. *Zoophyta* denique, a IOSEPHO GAERTNERO in Cornubienſi littore ad Penſantiam collecta et delineata, cum nouitate et praeſtantia commendentur, communicat Cl. Auctor. Hic cum ſimul diu promiſſae Iconographiae Zoophytorum, interueniente itinere retardatae, mentionem faciat: ſperamus, fore, vt Cl. Auctor, itinere finito feliciter, nunc promiſſa ſua impleat. Sunt vero ipſa Zoophyta haec:

*) *Voluta ouifera* Syſt. nat. I. p. 1319.
**) Zool. Dan. prodr. p. 226. ſ. *Vorticella Bolteni* LINN.
***) cf. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 714. et 719.

haec: 1) *Botryllus ſtellatus* GAERTN. ſ. *Alcyonium* SCHLOSSERI. 2) *Botryllus conglomeratus.* Huius noui generis natura et incrementum oſtendit, ſingulam eiusdem ſtellam non vnum eſſe floſculum ſ. vnum caput, ſed polypum quaſi multicipitem et ſubnaſcentibus continuo nouis capitibus pullulantem. 3) *Diſtomus varioloſus* GAERTN. ſ. Alcyonium aſcidioides, nouam indicat et perficit affinitatis ſeriem inter zoophyta et teſtacea biualuia, per *Aſcidia* BASTERI ſ. Priapos, quos GAERTNERVS ad *Diſtomos* reduxit, quique ſunt quaſi *Biualuia teſtis exemta*, *branchiis lamellaceis orbata* et baſi rupibus adnata. Quaedam ex his, vti BOHADSCH et Cl. PALLAS obſeruauit, aggregata naſcuntur, aut e radice potius prolifera eſſe videntur, eoque ad Zoophytorum leges accedunt. 4) *Coryne puſilla* GAERTN. ſ. *Tubularia Coryne*, quam Cl. PALLAS vix a Tubulariis genere diſtingui debere arbitratur, quamuis caput cum tentaculis intra tubum retrahere nequeat. Adiecta eſt denique *Brachioni cernui*, marini, icon. Praeterire cogimur plura lectu digniſſima.

In faſciculo vndecimo iterum ad Mammalia regreditur Cl Auctor, atque *Ouis ferae Sibiricae*, vulgo *Argali* dictae, *Ibicis alpium Sibiricarum*, *ouium* domeſticarum *Aſiaticarum* hiſtorias, deſcriptiones, anatomen et icones tradit: quae quidem omnia tot atque tam egregiis obſeruationibus, quibus multi magnorum virorum errores corriguntur, multaque noua docentur, abundant, vt, niſi omnia tranſcriberemus, pauciſſima tantum deligere poſſimus. Faſc.XI.

Primus eſt Cl. Auctor, qui canes noſtros domeſticos ex *Lupo aureo* ortos, ex huius ſimilitudine cum illis docuit: etenim hunc ferum non ſolum forma eſſe *Cani villatico* ſimillimum, ſed et homini eſſe amicum, in venationem pronum, canes familiares appetentem, iisque inclinationibus et moribus

ſimilli-

ſimillimum. Camelos etiam feros in vaſtiſſimis Aſiae temperatae deſertis vagari affirmat contra BVFFONIVM *). *Equorum ferorum* et *Onagrorum* greges Africae atque Aſiae deſerta alunt. *Tarandum* etiam alpes frigidae Sibiriae ferum habent.

p. 6. Lanigeri pecoris ortum inter recentiores diu incertum BVFFONIVS primum a *Muſmone* deriuauit, docuitque rectiſſime hunc cum Oue cicure p. 8. eſſe vnum idemque animal. Cum hoc Muſmone *Argalin* Sibiricam **) omnino conuenire, atque ideo *Capram Ammonem* LINN. cum Oue in vnam ſpeciem eſſe iungendam. Cum tamen *Argalis* a *Muſmone* non ſola magnitudine, ſed et ſecundum aetatem regiones, annique tempora differat, GMELINI deſcriptio manca ſit, atque multa noua circa venationem, vſum, moresque animantis addi potuerint, haec omnia Cl. Auctor propoſuit. Deinde de antiquitate domeſticorum animalium credit, ſeriori globi noſtri aetate per populos circa alpes Europae et Aſiae venatoriam vitam agentes, capras et oues primum cicuratas et multiplicatas fuiſſe. Potuit hoc ſimul variis in regionibus accidiſſe: potuere cicurati ab Hiſpanis atque Caucaſi vel Tauri accolis Muſmones nobiliorem nunc lanis ſtirpem produxiſſe *ouium longicaudarum:* potuit Argalis cicurata parens fuiſſe maximarum ouium, quas pinguedinis mole loco caudae inſtructas Nomades Aſiae hodie paſcunt. Subiungit his Cl. Auctor barbara Argalidis nomina, de Auctoribus, qui ante eum de animali egerunt, iudicium, deſcriptionem et anatomen.

p. 32. Ibices, qui in Sibiria nec MESSERSCHMIDIO, nec GMELINO innotuerunt, ad Noſtrum, multis fruſtra tentatis, tandem per Tartaros delati, ſumma niualia

*) vid. Hiſtor. natur. Vol. XI. XII. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 188.

**) cf. GMELINI *Reiſen durch Siberien.* Vol. I. p. 368. ſq.

niualia altiſſimorum montium cacumina in tempe-
ratiore Europa et Aſia incolunt, illicque ſpeciem
propagarunt. BVFFONIVM ex falſo axiomate: ani- p. 34.
malia, quae foecundo miſcentur coitu, foecundam-
que gignant prolem ſpecie conuenire, perperam
collegiſſe capras noſtras ab Ibice ortum duxiſſe exi-
ſtimat; atque igitur hic docet *Ibicem* et *Rupicapram*
diſtinctiſſimas, nec vnquam, niſi artificio humano,
confundendas eſſe ſpecies, deinde *Ibicem*, licet ma-
xime affinem, ab *Hirco domeſtico* diſtinguendum,
huiusque ſtirpem a diuerſa caprarum ferarum ſpe-
cie deriuandum eſſe. Hic ſimul refert Cl. Auctor,
ſe vidiſſe lepores cicuratos cum canibus coire, *Pha-*
ſianum congreſſu foecundo inire *Gallinas:* absque
arte *Anſerem Cygnoidem* cum vulgari copulari et
lubenter procreationi hybridae incumbere: *Anatem*
moſchatam et *Sponſam* cum *Boſchade* coire ſucceſſu
foecundo. Quae quidem exempla ſupra dictum
axioma ſola iam abunde refellunt. Differt autem
Muſmon ab *Ibice* ſitu cornuum in cranio et circum-
ſcriptione baſeos, forma triquetra, ſuperficie rugis
vndulata, arcu breuiore, ſubſtantia flaueſcente, for-
ma cranii fronte praeſertim lata et plana. In Ibi-
ce contra eſt ſima et compreſſa facies, dentes, totius-
que ſceleti proportiones, et numerus vertebrarum
differt, pedes multo breuiores et rigidiores et vn-
gularum tandem forma diuiſuraque diuerſae, pori
inter phalanges in ouibus notabiles: adde arun-
cum, cuius in *Muſmone* nullum eſt veſtigium, tan-
dem ſinus lachrymales in Muſmone et oue inſi-
gnes, Ibici plane denegatos, et deficientia antra in-
guinalia nuda, quae oues a capris diſtinguunt.
Docte et grauiter BVFFONIVM refutat, qui *Rupica-* p. 38.
pram cum *Ibice* coniungat: etenim toto coelo dif-
ferre a *Muſmone* et *Ibice* Rupicapram. Denique p. 43.
docet Capriceruam KÄMPFERI, et Paſeng Perſarum
eſſe

eſſe *Capram feram*, quam *Aegagrum* appellat, atque
p. 45. ab hac Capras domeſticas ortas videri. Aegagri igitur, qui Ibice minor, Hirco domeſtico vero maior eſt, caput eſt caprinum, aruncus inſignis, totumque corpus griſeo vel cinereo rufeſcente pilo veſtitum. Cl. Auctor his cranii cum cornibus deſcriptionem
p. 48. et iconem ſuperaddit. Cum deinde experimentis conſtet, Ibicem lubentiſſime Capras domeſticas inire, veroſimile Cl. Auctori videtur, Capras priuas maximam partem eſſe progeniem hybridam ab antiquiſſimis inde temporibus ex Aegagro et Ibice imo et tertia forte quadam Caucaſica ſpecie, cicuratis generatam, varieque mixtam et temperatam, quae tamen prioris parentis characteres altius impreſſos ſeruauit tenacius.

p. 59. Oues, quas LINNEVS, BRISSONIVS, aliique pro ſpeciebus habuerunt, recte ad varietates retuliſſe BVFFONIVM denique tradit, quae quidem ex gregibus ouium Aſiaticarum luculenter demonſtrentur. Etenim 4 varietates in borealiori Aſia occurrere: primam *dolichuram* ſ. *longicaudam*, Europaeis, maxime Hiſpaniae et Angliae gregibus forma ſimilem eſſe, et per auſtraliores ipſius Ruſſiae regiones *Tſcherkeſſicae* nomine notam, frequenter coli: alteram, *brachyuram* omnem Ruſſiam borealem occupare, Islandicis et ſeptentrionalibus ouibus ſtatura, breuitate caudae, rudique lana comparabilem, proprie *Ruſſicam* dici; tertiam, quam *ſteatopygem* ſ. pinguiclunem dicit, magnitudine cunctis praeſtantiorem, apud paſtorales populos Aſiae abundare atque pinguedinis glomerem loco caudae gerere; *quartam* cultura, climate et priorum mixtis connubiis apud Bucharos et Perſas natam eſſe, eamque ideo *mixtam* dicit.

p. 67. De origine pinguedinis in oue ſteatopyge, loco caudae haec habet. In genere eas corporis

partes,

partes, in quibus lentior ſanguinis circulus obtinet, vt circa renes, in meſenterio, etc. collectioni pinguedinis in textu celluloſo maxime fauere: praeſertim in ouillo pecore naturali niſu quaſi adipoſas particulas in poſteriora circa renes atque vropygium deponi ſic, vt ad renes concreſcat ſebum durius, circa caudam vero pinguedo confluat mollior, tenuior, fere butyracea. Atque hanc ſemel circa caudam collectam pinguedinem veluti genialem morbum per generationes ſenſim adauctam fuiſſe, ipſamque extremam caudae partem a ſuperabundante circa eiusdem baſin adipis colluuie abſumtam vel intercluſam articulatim periiſſe. Supereſt igitur loco caudae in *ouibus ſteatopygis* tantum coccyx trium quatuorue vertebrarum, quarum proceſſus tranſuerſi apice quaſi colliquati ſunt, et extremae corpus apice craſſo, veluti abrupto et ſubcapitato terminatur. In huius rei confirmationem alias varietates ex haereditario vitio ortas commemorat, e. g. ouis, tubere dorſali inſignis, Perſicae; canis Indici nudi et ecaudati, equi cantherii, cui in ſuperiori labro ſub ipſis naribus verruca magna ſetifera prominebat. Sic etiam propagari cornuum vitia, difformitates, luxuriam quoad numerum, cuius plura commemorat et depicta tradit exempla. Cae- p. 72.
terum *ouis ſteatopyga*, vt carnium adipisque quantitate omne pecus ſuperat, ita reſpectu velleris omnium peſſima eſt. In huius varietatis ventricu- p. 77.
lis frequentes quoque ſunt pilae, quae plerumque lana camelina griſea tenerrima conſtant, quae plantis ſalſuginoſis adhaerent et ab ouibus deglutiuntur. Subiuncta denique eſt deſcriptio et icon *Arie-* p. 80.
tis Kirgiſici, vt et icon capitis *Apri Aethiopici* in Spicilegiorum faſciculo II. deſcripti.

Faſcicu-

Faſcic. XII. Faſciculus duodecimus continet ea, quae Cl. Auctor ad hiſtoriam *Antiloparum*, in faſciculo I. horum Spicilegiorum traditam, intra decennium fere corrigenda perſpexit vel addenda collegit. In his igitur nomina triuialia trium ſpecierum mutari vult: nempe

Antilope ſcythica Spicil. F. I. p. 9. dicenda *A. Saïga.*
— — *bezoartica* ibid. p. 14. — *A. Oryx.*
— — *Oryx* ibid. p. 16. — *A. Oreas.*

p. 5. p. 12. Deinde perſtringit et complet quarundam ſpecierum ſynonymiam et hiſtoriam, cui ſubiungit nouam et ad praemiſſas obſeruationes caſtigatam *Antilopum* ſeriem, earundemque plenam ſynonymiam: Sunt igitur viginti duae nunc Cl. Auctori ſpecies Antiloparum, quarum ſequentes nondum in Faſciculo I. continentur:

Antilope Lervia (*le Kob* BVFF. H. N. XII.) cornibus recuruis, rugoſis, corpore rufeſcente, nucha barbata.

p. 14. *Ant. picta* (*A. leucopoda* PENN. Syn. ſp. 21. tab. VI.) cornibus antrorſum incuruis, ceruice colloque iubatis, cauda longa floccoſa, pedibus albo nigroque annulatis.

Ant. gutturoſa, cornibus lyratis, corpore rufeſcente, ſcopis genuum nullis.

p. 17. *Ant. Gazella*, cornibus ſubulatis ſubarcuatis rugoſis.

Ant. Leucoryx, cornibus ſubulatis rectis, conuexe annulatis, corpore lacteo.

Ant. pygmaea cornibus conicis, breuibus conuexis, baſi rugoſis.

p. 21. Sequitur *Antilopes Saïgae, gutturoſae, Orygis et Strepſicerotis* hiſtoria, deſcriptio, anatome; atque duarum priorum icones traduntur. Pauca tantum delibabimus.

Saigae

Saïgae raro ſolitariae incedunt: in cicuratis hoedis obſeruauit Noſter non omnes ſimul cubare, ſed aliquos obambulare et paſci, dum quieſcunt plerique: ex his autem, quaſi vigilias agentibus, nullus ad quietem componebatur, niſi accedens ad cubantium aliquem, ſingularique paſſuum et capitis geſtu voluntatem quaſi indicans: ſurgebat tunc impigre, qui decubuerat, inque locum eius ſubſidebat alter, quaſi vigiliis ſe liberatum ſentiens. In deſertis itidem, *Saïgis* plurimis cubantibus, aliquas tamen obambulantes obſeruauit. Hanc prouidentiam his animalibus ſumme eſſe neceſſariam; eſſe enim imbelles *Saïgas*, male videre, et licet leviſſimae ſint ad fugam et velociſſimae, citiſſime tamen defatigari, et leuiſſimo vulnere perire. E contrario odoris organa praeſtantiſſima acceperunt, vt ſecundo vento hoſtes ad ſtadii interuallum facile percipiant. *Saïgarum* mares, tempore oeſtri, quod in finem Nouembris ſ. initium Decembris cadit, pro feminis pugnant. Haec ſpecies Laruis *Oeſtri* copioſe infeſtatur: et in vnius omento rumen obuolvente Noſter Hydatides inuenit viuas. Singulari etiam inconſtantiae cornuum *Saïga* eſt obnoxia: reperiuntur *tricornes*, et *vnicornes*, vt igitur omnis de *Monocerote* veterum fabula ab obſeruata varietate vnicorni *A. Saïgae*, *Orygis*, *Leucorygis* aut *Gazellae* primum ortum habuit.

p. 25.
p. 28.
p. 31.
p. 35.

Ex *Antilopes gutturoſae* hiſtoria notemus, MESSERSCHMIDIVM non ſine cauſa eam *hydrophobon* cognominaſſe, non enim, niſi ſi vitae periculum adſit, timore perterrita in flumina ſilit; per GMELINVM igitur ſeductus PENNANTVS errauit, qui eam flumina amare perhibuit. A laryngis maximi ſtructura, cum cartilaginis thyroideae carina ſuperius tubere conuexo gibba ſit, pendet gutturoſae nomen. Praeditus eſt caeterum larynx etiam *epi-*

p. 49.
p. 59.

glottide maxima, quam deficere GMELINVS (v. com. Petrop. V. p. 349.) perperam dixit.

Faſcic. XIII. *Moſchi* hiſtoria naturalis deſcriptio et anatome *Moſchi Sibirici* faſciculo decimo tertio a Cl. Auctore, adiectis iconibus huius partiumque ex eo-
p. 3. dem internarum, traduntur. Et primo quidem Auctorum, qui de animali egerunt et materiae odoratae naturam et ortum explicare aggreſſi ſunt, locos
p. 14. ordine chronico ab AVICENNA ad GMELINVM recenſet: deinde ea refert, quae Ipſi de moſchifero animali conſtant. Patria *Moſchi* ſunt maxima orientalis Aſiae alpina iuga, ex iis vſque in Chinam et Sibiriam orientalem ſpeciem extendit: in his regio-
p. 16. nibus Moſchus maxime ſequitur rupeſtria praerupta, ſubſolitarie vagatur, et autumno tantum turmatim ad migrationem et oeſtri cauſa colligitur. Noctiuagus eſſe videtur. Caeterum ſaltu curſuque agiliſſimum, timidiſſimumque animal, educatum etiam feritatem non exuens; victum capit e lichenibus capillaceis, tum et ex radicibus plantarum filiformibus, foliis Arbuti, Rhododendri daurici et Vitis idaeae. Dentibus caninis exſertis magis armorum loco, quam ad radices exſcindendas vti videtur Cl. Auctori. Tempus oeſtri in initia hiemis, pariendi non certo, venatorum teſtimonio autem in Maium, vel Iunium cadit. *Hinnulis* nondum anniculis vellus hibernum dilutius fuſcum, quam ſenioribus eſt, maculis fulueſcentibus per latera trunci inordinatis: iique *Hippoboſcis*, *ouinae* fere ſimilibus, abdomini et circa inguina adhaeren-
p. 19. tibus infeſtantur. Annoſiora animalia hieme tota plerumque fuſco nigreſcunt, praeter albas ſub collo faſcias. Aeſtiuum vellus Cl. Auctor a venatoribus ſolum accepit e griſeo rufeſcens, maculaeque iuniorum tunc palleſcunt. In genere colore variare

aliis

aliis etiam in regionibus, annoſiora animalia ſemper eſſe albida. Praeterimus venationem et nomina animalis barbara. Caro iunioris animalis eſt ſapida p. 21.
et tenerrima: pellis plus carnibus in vſum vertitur.

Folliculum moſchiferum Cl. Auctor in anato- p. 22.
micis omni cura expoſuit iconibusque illuſtrauit atque hic commemorat animalia ſubſimili quoad folliculum ſtructura praedita: ſunt ea Antilope gutturoſa, e Glirium ordine plures, praeſertim, vt conſtat inter omnes, Caſtor. Similis ceruminoſae materiae intra cutaneos folliculos ſecretio in ſaccis lacrymalibus Ruminantium, vt Cerui, deprehenditur: ſubanalogus etiam eſt ſinus odoriferus Hyaenae et Melis. Folliculi autem anales foetidiſſimi Muſtelarum, et glandulae folliculaceae in Sorice moſchato illis haud ſunt ſimiles. Moſchiferae materiae in Moſcho Sibirico neque p. 23.
ſecundum aetatem, nec variis anni periodis, ne oeſtri quidem tempore, vel fragrantia, vel conſiſtentia mutatio contingit. Vſum eiusdem in animale p. 24.
ad irritandum congreſſum poni, atque cauſſam, cur Tibetanus Moſchus Sibiricum ſuperet, in climate calidiori, plantisque reſina odorata ſcatentibus, quibus auſtraliores Moſchi paſcuntur, quaerendam eſſe cenſet. Odor moſchi Sibirici Caſtoreo eſt ſimilior, et in Ruſſicis, imo et aliarum regionum pharmacopoliis in vſu eſſe coepit, pro vili, quo conſtat, pretio, medicarum virium non eſt expers. Caeterum aliquem tranſitum a ruminantibus per *Moſchum* et Aprum Taiaſſu ad Vngulata non ruminantia moliri naturam BVFFONIO adſentitur Noſter. Maxi- p. 28.
mam differentiam inter Moſchum et genus Ceruinum ponit in defectu cornuum per omnem aetatem et ſexum, quo ille vt et caninorum ſuperioris maxillae in maſculis inſigni magnitudine et abſen-

tia ſinuum lachrymalium congeneres agnoſcit Tragulos. Differt tamen Moſchus a Tragulo vngularum ſpuriarum in pedibus magnitudine tanta, vt terrae ferre inſiſtant, dum Tragulo plane deſint: vt et dentium mediorum minori latitudine. Vtroque momento propius ad Ceruinum genus accedit Moſchus, magis ad Antilopas Tragulus: non tamen genere diſtinguendi. Depinguntur Moſchus Sibiricus mas, hinnulus, caput feminae, ſceleton maris, et partes internae.

Faſcic. XIV. Denique in faſciculo decimo quarto *Vrſi marini*, *Gulonis Sibirici*, *Viuerrae Lutreolae*, *Muſtelae Zibellinae*, *Sarmaticae* et *Sibiricae* hiſtoriam illuſtratam, deſcriptiones, et icones omnium, Sibirica excepta, reperimus.

p. 3. Vrſum quidem *terreſtrem* et *marinum* animalia eſſe multum inter ſe ſimilia, ſed vere tamen differre. Ab Europaeo etiam diſtinguit Cl. Auctor Vrſum americanum, male a BVFFONIO cum priori confuſum: etenim huius caput proportione anguſtius, roſtro prorſus canino, corpus aterrimum, gula et genae ferrugineae, vt capite *Canem Lanionum* referat. Pro rugitu illi eſt fletus ſonorus, greſſus et
p. 7. indoles tota diuerſa. BVFFONIO praeterea impoſuit ſimilitudo Vrſi marini, vt eundem pro terreſtris varietate alba alpina dederit (h. nat. VIII. p. 264.) Indole autem et inſtinctu naturali maxime eſt alienus Vrſus marinus a terreſtri: Plus in glacie et mari verſatur, quam in terra, audaciorque eſt natans, ſemper oram glacialis oceani frequentat, nec vnquam a mari diſcedit, neque ſecundum orientale Sibiriae littus excurrit, ſed arcton amat. Videtur igitur hoc animal omnis caloris impatientiſſimum eſſe et frigidiſſimo pelago gaudere: nam Vrſum marinum iuniorem, hieme ſub tecto detentum,

tum, aegrotaſſe, contra ſub diu in niue laetiſſimum
fuiſſe expertus eſt. Ad victum Vrſi marini vtuntur
piſcibus et Balaenis, Phocis et Roſmaris, cum qui-
bus tamen pugnent neceſſe eſt: his ſatiati autum-
nali tempore quadrupedium terreſtrium carnis non
ſunt auidi, verno autem in omnia impetum faciunt:
praeterea medio Septembri locum pro hibernaculo
quaerunt, et Ianuarium atque Februarium conti-
nuo fere ſomno tranſigunt, absque cibo et potu.
Ab hepate cocto Vrſi marini nautae verno tempo- p. 10.
re adeo periculoſa ſymptomata perpeſſi ſunt, vt
tres eorum morti vicini eſſent, atque poſtea toto
corpore epidermidem mutarent. Cl. Auctor hunc
veneficum effectum, cum Vrſi caro alias innocua
fuerit, explicare non vult. Pinguedinem huius p. 15.
Vrſi foetidiſſimam neruino vſu egregiam eſſe dicit.

Praemittit Cl. Auctor *Gulonis* hiſtoriae iudi- p. 25.
cium de diſpoſitione generum in ordine Ferarum:
atque natura duce, praeter Phocarum, Canum,
et Felium genera, quatuor habitu omnino diuerſa,
Vrſos, Meles, Viuerras, et Muſtelas aſſumit: *Vrſi*
tres eſſe ſpecies: Europaeum ſ. *Arcton*, *marinum*
et *americanum*. *Meles*, his quiete tantum hiberna p. 26.
ſimilis, inſigni ab iis diſtat hiatu, et congeneres *Vr-
ſum Lotorem* LINN. et *Viuerram Naſuam* et *Naricam*,
ſpecie vix diſtinguendas, tum *M. caudiuoluulam* (ſ. *Le-
murem flauum* PENN.*) agnoſcit. Hae omnes forma
capitis argutiore, ſubroſtrata, inceſſu reptabundo,
palmarum aptitudine, cauda longiore villoſa, oſſicu-
lo penis magis flexuoſo ab Vrſis differunt. Sinus
quibusdam eſt ſubcaudalis; lingua omnibus mollis,
victus ex parte vegetabilis, conſeſſus in clunes, in-
ceſſus, aliaque Vrſis eas ſimiliores reddunt, quam
Viuerris: has appellat omnes agilitate et flexilitate p. 27.
corporis, longitudine caudae, linguae aſperitate,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 345.

dentibus, victuque animali ab iſtis diuerſas: vt *Zibethica*, *Genetta* cum affinibus, *Foſſana*, *Ichneumon*, *Lutra*, *Lutreola* et *Lutris*, quae Auctori potius ad *Phocas* referenda videtur. Reliquas ſpecies omnes, gracili quidem corpore Viuerris ſimiles, dentibus tamen, lingua laeui, vellere laxo, cauda breuiore, moribusque diuerſis *Muſtelino* generi relinquit.

p. 28. *Guloni* igitur ſtationem inter *Meles* aſſignat. Si tamen, pergit Noſter, *Gulo Americanus* BRISS. ſpecie diſtinctus probetur, non male genus diſtinctum ex his et affini ſpecie, quam nomine *Viuerrae capenſis* primus Cel. SCHREBER *) delineari curavit, concinnabitur. Dentibus quidem Gulo cum Vrſo et Mele conuenit, at Noſter parum his differentibus tribuit: quoad pedes iisdem eſt ſimilis, vt et natura velleris, glandulis circa anum et anatome. Habitu autem, caudae villoſae longitudine, breuitate pedum, moribus et vnguium in pugna vſu ſimilior eſt Meli, a quo et Vrſo tamen differt temperamento: neque enim pinguedinem colligit, neque hieme dormit, ſed ſemper praedabundus vagatur. Habitat *Gulo* in borealibus Aſiae et Europae rupeſtribus et ſaltuoſis locis, noctu praedatur, ſagaciores feras ſectatur, earumque reliquiis veſcitur: ipſe enim parum pedibus valet. Praedam ex inſidiis aſſequitur, eamque etiam effo-
p. 32. dit. Exagitatus foetidiſſimum halitum emittit, in arbore, vbi poteſt, ſalutem quaerit. Coëunt Gulones autumno, parere femina dicitur plerumque binos, rarius ternos, tumque in arborum truncis, vel derelictis Melium ſpeluncis deliteſcit. Iunior facile cicuratur. Nota de Gulonis voracitate hiſtoria a Sibiriae venatoribus plane ignoratur. Addit Cl. Auctor nomina barbara et vſum pellis.

Viuer-

*) vid. EIVSD. *Säugth.* P. III. p. 450. Tab. CXXV.

Viuerram lutreolam (*Muſtelam* LINN.) idem p. 40.
eſſe animal cum Americano animale, *Minx* ab Anglis dicto, putat Cl. Auctor. Interim Lutreola, p. 44.
Europae cum America boreali communis, per vniverſam Sibiriam exulat: quod quidem, cum cancris, quibus Sibiria caret, et ranis, quae ibi ſunt rariſſimae, veſcatur, inde facile explicatur. Recens p. 45.
captum animal poſteriore corporis parte moſchum haud ingrate ſpirat; eiusque carnes non facile corrumpuntur. Pellis hiemali tempore pilis fuſco nigricantibus ſplendet, peiores Zibellinas imitatur. Gracilitate et reliquo corporis habitu, vt et lingua ſubaſpera, caudae minori villoſitate, inceſſu tardiore ad Viuerras trahitur. In hoc animali inter aortam et ventriculum pulmonalem cordis communicationem quandam inuenit, vt et clauicularum exigua rudimenta, quae poſtea in omnibus feris, ſolo Vrſo excepto, conſtanter ſupra inferiorem terminum maſtoideorum muſculorum inuenit. Subiungit Noſter haec: "Qui omnia in certos fines a natura inſtituta eſſe iactant, cuinam vtilitati minutula iſta clauicularum quaſi germina in feris, imo et in *Leporibus auritis* imperfectas clauiculas celluloſae libere inhaerentes, neque ligando brachio nec firmandis muſculis ſeruientes, praedeſtinata dicent?"

Muſtelae Zibellinae, quae rectius *Zobela* dici- p. 54.
tur, patria vera eſt Sibiria: reperitur tamen et citra vralenſe iugum, imo demonſtrat Noſter etiam in America boreali reperiri Zibellinam, talemque eſſe Martem, BVFFONIO *) *Viſon* dictum, et FORSTERI **) *Martem Abietum*. Ipſa autem Zobela eſt agiliſſima, ingenioſa, verſuta nullique congenerum fortitudine et inſtinctu cedit, ſic leporem praedatur, Muſtelas et Ermineas necat et deuorat,

*) Hiſtor. natur. Vol. XIII. p. 305.
**) Philoſ. tranſact. Vol. LXII. p. 372.

cicurata felem occidiſſe viſa eſt. Non tamen eſt inſidioſa, ſed docilis. Habitat in ſyluis montanis, ſereno et tranquillo coelo praeſertim noctu victum quaerit, procelloſa vero tempeſtate in nido dormit.
p. 59. Pro domicilio cauas arbores eligit, vel rarius ad radices cuniculum parat, vel ſciuri nidum ſibi adaptat. In nido ſeceſſus duos parit, in quorum altero collectum pabulum ſuperfluum ad intempeſtos dies colligit, altero pro cloaca vtitur. Coitum celebrant Zobelae Ianuario vel Aprili, femina parit catulos 2-5. Praeter carnes etiam vegetabilibus veſcuntur. Plura de moribus, captura, varietatibus praeterimus.

p. 69. *Martem Foinam* BVFF. ſpeciem diſtinctam a Muſtela Marte eſſe dubitat. Differt autem Zobela a Marte proportione partium, cauda inprimis
p. 71. breuiori et pedibus villoſioribus: vtraeque autem in palmae plantaeque digitis plicis inter digitos laxis praeditae ſunt, vt faciliorem ſupra niuem inceſſum habeant et digiti inter ſcandendum contineantur.

p. 79. BVFFONIVM refutat Noſter, qui maiorem foetentium animalium numerum Americae datum fuiſſe, quam antiquo orbi, credidit, vt iuxta amatam Illius hypotheſin, America, in tetra hac familia quadrupedum non ex antiquitus notis orbis partibus colonos accepiſſe, ſed peiora omnia protuliſſe videatur. Eſſe enim in antiquo orbe putidarum Muſtelarum ſpecies plures: BVFFONII Muſtelam *Zorille* dictam, non eſſe Americanam, ſed Africanam, capenſem, atque *Muſtelam Sarmaticam* et *Sibiricam* Illum plane latuiſſe. Priorem inter *Mephitidem capenſem*, modo dictam, et *Muſtelam Putorium* eſſe
p. 81. mediam; eamque vix niſi inter *Volgam* et *Iſtrum* fluvios in campis arbuſtoſis capi. Putorii inſtar in cuniculis, Citillo expugnatis et aptatis habitat et reli-
p. 86. quis moribus multum Furoni eſt ſimilis. Altera,

Sibiriae

Sibiriae orientali peculiaris, inter *M. Putorium* ſ. *Furonem* et *Ermineam* intermedia eſt. Colit ſiluas horridas, praeſertim abietinas, eſt voracitate ſumma atque inſatiabilis fere. Electrica virtus, quae in p. 88. omnibus Muſtelini generis animalibus eſt inſignis, in Sibirica et Erminea tamen praecipue eminet. Hac occaſione ſubnectit, omnium auium recens p. 89. occiſarum et calentium plumas ita electricas deprehendi, vt fibrillis lanugineis alienis corporibus diu adhaereant, quae virtus etiam in lanuginoſis plumis diu ab aue reuulſis calefactione et attritu reſuſcitatur: deinde ala Papilionis, dudum extincti, inter digitorum frigidorum et ſiccorum apices trita adeo electrica euadit, vt ab iisdem non depelli poſſit.

V.

WILHELM FRIEDRICH *Freyherrn* VON GLEICHEN, *genannt* RVSSWORM, *Abhandlung über die Samen- und Infuſionsthierchen, und über die Erzeugung; nebſt mikroſkopiſchen Beobachtungen des Samens der Thiere und verſchiedner Infuſionen. Mit illum. Kupfertaf. Nürnberg, Bey Adam Wolfgang Winterſchmidt*, 1778. 1. *Alph. in* 4.

i. e.

GVILIELMI FREDERICI liberi Baronis A GLEICHEN, RVSSWORM dicti, tractatio de animalculis ſpermaticis et infuſoriis, et de generatione: additis obſeruationibus microſcopicis ſeminis animalium et variarum infuſionum.

Perill. Auctori, quem ſubtiliſſimis obſeruationibus iam aliunde *) cognoſcunt Lectores, omnino adſentimur, non facile microſcopio obſeruationes inſtitui, ſed artem, conſtantiam, ſenſuum integritatem atque ingenium in obſeruatore requiri. Eius autem obſeruationes eo maiorem merentur fidem, quo diutius Cl. Auctor iam iisdem operam dedit, et quo maior Eius eſt in ipſis viſis rebus delineandis induſtria et veritatis amor. Viſa igitur et hic deſcripta ipſe Cl. Auctor delineauit. Nos, cum obſeruationes ſint notatu digniſſimae, quantum fieri poteſt, praecipuas vt et eius inde collectas poſitiones enarremus; etſi ſimul fateri neceſſe ſit, nos nondum prorſus de eius ſententia perſuaſos eſſe factos. Tres igitur ſunt libri partes, quarum priore de animalculis ſpermaticis et generatione, altera de infuſoriis animalculis, et tertia de variis infuſionibus tractatur.

p. 3. In priore potiſſimum a LEEVWENHOECKIO detecta animalcula ſpermatica in ſemine animalium et vegetabilium adeſſe, atque in iis primordium fetus contineri demonſtrare annititur Cl. Auctor. Igitur HALLERI, BONNETI et BVFFONII hypotheſes de generatione impugnat, ac dubias reddit. Etenim animalcula ſpermatica vere adſunt, atque motu ſpontaneo, a moleculis organicis, veſiculisque aëreis, fermentatione vel alia de cauſſa exortis diſcernuntur. Refutatque NEEDHAMVM, qui haec animalcula, poſt eiaculationem ſeminis oriri perhibuit, etenim iam in veſiculis ſeminalibus, nondum vero in teſticulis animalium conſpiciuntur.
p. 10. In ſemine virorum ſexagenariorum nulla animalcula inuenit, atque omnino ſemen his deſtitutum infoecundum eſſe exiſtimat.
p. 17. Cicatriculam primum rudimentum oui eſſe, atque ipſam foecundationem

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 489.

nem ante collectionem vitelli fieri probabile Cl. Auctori videtur. Oua Ranarum in ouariis diſquiſiuit, atque in iis ſingulis excauationem, foraminulo ſimilem, obſeruauit, vt et lentum eorum incrementum. Sub finem Martii perfecta ſunt oua, ſunt autem foecundata non foecundatis perfecte ſimilia, neque concedit in iis embryonem conſpici poſſe, vt SPALLANZANI *) ſe vidiſſe propoſuit. p. 20.

In plantis etiam eandem eſſe foecundationis rationem, vt in animalibus demonſtrat. Semen eſſe ouum, atque corculum eſſe idem, quod animalculum ſpermaticum. Ante foecundationem enim membranas ſeminis claro et pellucido liquore eſſe repletas: foecundatione autem peracta, atque ſemine maturo corculum cum cotyledonibus adeſſe: illuſtratur hoc iconibus microſcopicis ſeminis Tritici, Hordei, et Auenae, idemque in ſemine Phaſeoli et Zeae rubrae optime ait conſpici. Ex obſeruationibus his igitur oppido patere corculum ex polline ab extus in ſemen penetraſſe, atque adultum ſe ab oui fundo ſeparaſſe: ideoque perperam corculi praeexiſtentiam in gelatinoſo ſeminis liquore quaerere BONNETVM et SPALLANZANI. p. 22.

Species hybridas nunc conſiderat. Mulam, ab equo foecundatam, Oettingae peperiſſe pullum, equo ſimillimum, praeter aures longiores, qui 14 dies vixerit: Eandem altera vice iterum pullum, quosdam dies viuentem, peperiſſe. Docet Cl. Auctor, ſibi occaſionem, ſperma Muli microſcopio perluſtrandi defuiſſe, vna vice excepta, vbi tamen Mulus iam 12 annis natu maior erat, vt igitur eius ſperma non poſſet non aquoſum, animalculis ſpermaticis carens, et infoecundum inueniri. Narrat deinde Mulum omnino inſtinctum ad coitum habere, p. 25.

*) vid. EIVSD. *phyſicaliſch. mathematiſche Abhandlungen.*

bere, teſtimoniaque recentiorum et veterum affert, quibus Mulos vi foecundante inſtructos eſſe comprobare ſtudet: nullamque aliam, niſi doctorum et indoctorum circa hanc rem praeiudicia, cauſſam eſſe, cur vel plane nulla, vel negligenter tantum, experimenta inſtituta ſint. Notatu etiam dignum eſt canem cum ſue *), hircum cum oue, arietem cum capra, ceruum cum vacca et equa **), catum cum cuniculi femina, cuniculum cum gallina, gallum cum anate, pauonem cum gallina ***), canem cum oue ****) coitum vel foecundum, vel infoecundum exercuiſſe. Contra canem cum lupo, atque leporem cum cuniculo coitum abnuere. (At vero, quod priora attinet, ouis et capra, ceruus et vacca ſibi ſunt admodum affinia animalia; cuniculi autem cum gallina et ſimilium diffinium animalium coitum vel dubium vel ſemper infoecundum eſſe debere perſuaſi ſumus. Lupi deinde et canis coitum obſeruauit primum PENNANTVS †) atque nuper etiam BVFFONIVS.) Praeterea autem etiam in his coitus generibus quandam ſingularem inclinationem animalium erga haec vel illa animalia obſervari ait: ſic ceruum, de quo mox eſt dictum, iteratis vicibus vnam eandemque ſibi vaccam elegiſſe, cum qua coiret. Hybridorum animantium ex equo et boue, ſ. *Onotaurorum* praeſentiam defendit, atque litteris eandem teſtantibus confirmat, vt omnino de his adeo miraculoſis animantibus vix amplius dubitare liceat.

Animal-

*) *Hamburgiſches Magaz.* 10. *Band. Seit.* 445.

**) *Neueſt. a. d. R. d. Pfl.* §. CI. BONNETS *Betr. d. organiſch. Körp.* 2. *Theil. Seit.* 301.

***) vtrumque coitum ipſe Cl. Auctor vidit.

****) ABILGAARDS *Unterricht von Pferden, Kühen, und Schaafen etc.*

†) Synopſ. of quadrup. p. 149.

Animalcula ſpermatica in feminis eſſe negat, p. 31.
contra BVFFONIVM. In epididymide bouis, apri, p. 35.
animalcula inſtar globulorum mobilium, perinde ac in lactibus piſcium vidit, in teſticulis vero hos non vidit: hinc colligit hos globulos eſſe ſubſtantias, animalculis ſpermaticis deſtinatas, quae in epididymide prima vitae ſtamina accipiant, atque ibidem quaſi fota, in veſiculis ſeminalibus in ipſa animalcula ſpermatica euoluantur. His praemiſſis, obiectiones, quae contra theoriam ſuam excitantur, remouere ſtudet. Ac primum quidem haec animalcula ſpermatica nondum ipſa animalia, neque in ſpermate humano homines eſſe, ſed corpora organiſata in vtero feminino vel in ouo efformanda. Neque parſimoniam obſeruaſſe, ſed prodigam vbique circa generationis negotium inueniri naturam: plurimos enim flores in arbore non fructus perfectos producere, atque millenos pollinis globulos in formando ſemine ſuperfluos eſſe. Principium corporum eſſe p. 39.
inuiſibile atque, vt luminis materiam, in vniuerſo diſperſum, idemque eſſe vel cum luminis materia coniunctum vel eidem affine, atque in corpora introductum. Igitur prima animalium et vegetabilium rudimenta ipſi atmoſphaerae innatare, et ab animalibus vel inſpirari, vel nutrimentis deglutiri, atque in plantis a ſuccis antherarum attrahi. Deinde cum ſanguine circulare, atque animalem naturam induere, tum in teſticulis deponi, ibidemque a phlogiſto corporis viua reddi ſ. in animalcula ſpermatica mutari. In plantis autem via breuiori in filamentis prima rudimenta plantae accipere atque corcula fieri, quae deinde per fructificationem, vti animalcula in animalibus per coitum, in partes femininas ducantur ibique formam plantae nanciſcantur. Alia autem rudimenta, quae non ad vaſa ſper-

matica

matica deueniant, nutritioni et vitae animalium et vegetabilium inſeruire.

Ex his patet, quoad originem primi rudimenti Cl. Auctorem cum BVFFONIO fére conſentire, atque in eo tantum differre, quod haec rudimenta a mulieribus introſuſcepta in illis, ob defectum ſimilium ſuccorum et partium, non euolui poſſe illasque tantum nutrire aſſerat, omninoque noui organici corporis germen in animalibus figura animalculi ſpermatici, in plantis forma corculi ad partes ſexuales deferri, atque in ouo feminino nutriri. Praeterimus plura, quae contra theoriam praeexiſtentis in ouo germinis et euolutionis docte et ſatis grauiter monet.

p. 43. Ex hac ſua theoria maiorem infantum cum
patre ſimilitudinem, quam cum matre, gemellorum,
monſtrorum et hybridorum originem facile declarari
oſtendit. Quod ſi interdum organa animalculi
ſpermatici non ſatis elaſtica nec fortia ſint, tum a
ſuccis oui ſuperari atque infantes matri fieri magis
ſimiles. In ipſis iam vaſis ſeminalibus maſculini
ſexus diſpoſitionem de prole vel maſcula, vel femi-
p. 49. nina fieri. Connatos fetus a duobus animalculis
ſpermaticis vnum ouum ingreſſis deriuat: ſi vero
plura animalcula plura oua penetrauerint, gemelli,
p. 55. fetus terni et quaterni oriuntur. Ab imaginatione
materna naeuos deriuandos eſſe probat exemplis,
a ſe ipſo viſis. Tabulam ſubiungit, quae ſcalam
metamorphoſeos et euolutionis in regno animali
et vegetabili attinet. Nos, iudicio noſtro
ſuſpenſo, ſolas Cl. Auctoris obſeruationes et ſententias
propoſuimus.

p. 65. Altera in parte animalitatem animalculorum infuſoriorum, eorumque a ſpermaticis diuerſitatem, et de origine eorundem hypotheſin proponit. Refutatis igitur BVFFONII et NEEDHAMI opinio-

opinionibus, Celeberrimo O. F. MÜLLERO laudes meritiſſimae tribuuntur: atque laudandae etiam ſunt Cl. Auctoris in re adeo operoſa, ſollicitae et accuratae obſeruationes, quae cum iis, quas etiam Cl. TERECHOWSKY inſtituit, cuius libellus *) Cl. Auctorem haud dubie latuit, optime congruunt. In p. 69. eo differunt animalcula infuſoria a ſpermaticis, praeter formae atque motus diuerſitatem, quod ab omni ſalino et ſpirituoſo liquore interimantur, cum contra ſpermatica in eodem viuant: ſed in ipſo ſpermate, mortuis animalculis ſpermaticis, affuſa aqua et infuſione carnis, oriuntur animalcula infuſoria. At nonne haec cum ipſa aqua affuſa addi potuerunt?

Ipſa Cl. Auctoris de origine corporum hypotheſis Needhamianae et Wolſianae affinis videtur. p. 73. Etenim a Creatore, ait, datam eſſe in principio elementis vim, formationem corporum congreſſu atomorum, organiſationi aptarum, efficiendi: cum videamus continuo ab elementis corpora plurima componi, atque deſtrui. Hanc vero vim formatricem corporum hoc tempore non vbiuis adeo eſſe fortem, ac in principio ante vniuerſalem elementorum mixtionem fuerit. Ex motu igitur p. 74. et ſeparatione ſpiritus et materiei primam organiſatorum corporum in infuſionibus originem eſſe deriuandam, atque eandem in ipſis aquae partibus conſtitutiuis eſſe poſitam: has quieſcere, donec ab externa cauſſa in motum cieantur: itaque ſi aqua in ſpatio anguſtiori, vaſe vel aperto, vel clauſo, coarctetur, fermentatione leniori dictas organicas et ad animalitatem definitas ſubſtantias moueri atque elaſticis et balſamicis aëreis particulis foecundari: tum plerumque microſcopio motum veſicularum minimarum ſeſe vnientium, quae tamen ab ipſis

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 42.

ipſis animalculis ſpermaticis ſint diuerſae, conſpici. Peractis 12-24 horis ipſa animalcula infuſoria apparere, ſimul autem varias informes, vita tamen praeditas particulas, quae ſub ipſo intuitu in animalcula vera euoluantur, adeſſe: nonnunquam etiam duas coniunctas, ſaepe informes veſiculas transvolui, quas communis cauſſa mouere videatur. Has informes particulas et coniunctas veſiculas coniicit in eo eſſe, vt ſe ipſas in membranam communem, ab ipſis genitam, inuoluant, atque deinde va-
p. 76. ria animalcula infuſoria forment. Igitur colligit, rudimenta organicae vitae, in veſiculis dictis fermentatione euoluta, et a heterogeneis particulis ſeparata, fotu liberi ſpiritus in animalem vitam adſcendere, et vel vi attractrice, vel alia ratione coniuncta in animalia efformari: haec eſſe *prima* ſui generis, *non generata*, ſed ad gignendum apta: eorumque figurae diuerſitatem ſimilem etiam particularum in aqua, ex qua orta ſint, varietatem demonſtrare. Probantur haec obſeruationibus, vbi et in puriſſima aqua, infuſionibus ſeminum, rore deſtillato, cocta et deſtillata aqua pluuiali, riuali, fontinali, filtrata, et non filtrata, vaſis et clauſis, et apertis, animalcula orirentur. Refutantur autem NEEDHAMI de vegetatione et BAKERI, REAVMVRII, aliorumque de ouis opiniones.

p. 78. Interim in infuſione facta ex eadem aqua cum eodem ſemine, ſaepe animalcula conſpiciuntur, quae alio tempore non aderant. Cuius phaenomeni cauſſas ſequentes eſſe coniicit Cl. Auctor: mutatam proportionem aquae ad materiam infuſam, indeque pendentem fermentationis maiorem vel minorem gradum, aëris vel grauitatem vel leuitatem, elaſticitatem diuerſam, variamque mixtionem, origini animalium vel fauentem, vel noxiam; temperiei mutationem, calorem frigusque, tonitru

et

et fulgura; copiam vel inopiam particularum in aqua, animalitati idonearum; congreſſum particularum homogenearum celeriorem, vel retardatum eundem interuentu heterogenearum, atque diuerſitatem liquorum nutritiorum fermentatione maiore vel minore paratorum.

Praeterimus varia de diuerſitate vitae vel longioris, vel breuioris, ſenſuum, et figurae a Cl. Auctore in animalculis infuſoriis obſeruata, ac commemoramus tantum, eadem membrana ſubtiliſſima atque vitrea pelluciditate praedita eſſe inuoluta. Quod propagationem attinet, multis tentaminibus incaſſum inſtitutis, tandem contigit, vt aqua rubro colore tincta, qua animalcula veſcerentur, videret eadem omnino et oua, et noua animalcula gignere, ipſum etiam coitum duorum animalculorum atque multiplicationem ſpontanea partitione obſeruaret. Caeterum etſi haec animalcula infuſoria multis ex cauſſis *Hydris* ſimilia cenſet; ab iis tamen etiam multis modis differunt. Modeſte praeterea DE L'ISLE et MÜLLERI opiniones, quorum alter Hydram pro copia animalculorum vna in membrana inuoluta habebat, alter autem omnibus ſic dictis zoophytis et lithophytis animalitatem negabat, refutat, ſimulque LINNEO, qui in exanthematibus, et MÜNCHHAVSIO, qui in puluere fungorum animalcula aſſumſerint, repugnat. p. 82.

Nouam denique obſeruationem, cuius, praeter Cl. ELLIS *), nemo mentionem fecit, proponit Cl. Auctor, qua cryſtallos in ſemine animalium et infuſionibus vidit. Commiſcuit nimirum infuſionem carnis hircinae cum hordeacea, atque in eadem ſingulares cryſtallos, easdemque deinde in reliquis et vegetabilium, et animalium infuſionibus anima- p. 91.

*) Philoſ. Tranſact. Vol. LIX. p. 138.

animatis vidit. Colore ſunt albo, atque ſemper ſub membrana mucoſa infuſionum apparent: ſalinae non ſunt indolis, ſed potius terreae, etenim aci-
p. 94. do nitri ſoluuntur. Has cryſtallos ex decompoſitione animalculorum infuſoriorum oriri probat ex eo, quod etiam in aqua, in quam infuſoria animalcula ponuntur, oriantur, tum etiam in omni ſolutione carnea.

p. 105. Tertia denique parte obſeruationes tradit Cl. Auctor; primum methodum deſcripſit, qua in obſeruando vtitur. Deinde obſeruationes de ſpermate humano, ortisque in eodem cryſtallis, de ſpermate canino, aſinino, equino, bouino, hircino, ranino, et gallinaceo. Cryſtalli in his obſeruatae vel cubicae, vel prismaticae, vel octaëdrae, mucrone truncato apparebant. Sequuntur cum infuſionibus cerealis, zeae, hordei, piſi, cannabis, et ſuper cryſtallis earundem inſtitutae obſeruationes. In his vidit vorantia animalcula, varios motus, et reliquas proprietates, quarum ſupra mentionem fecimus. Quae quidem omnia cum iconum, quas Auctor dedit, egregiarum illuſtratione egeant, a nobis hic vberius recenſeri non poſſunt, ſed a naturae curioſis ipſa ſunt legenda. Noua, et miratu digna, modeſte et docte propoſita a Cl. Auctore, omnem laudem et gratias merentur.

VI.

Catalogue raiſonné, ou ſyſtematique du genre des Inſectes, qu'on appelle Coleoptrées par IEAN EVSEBE VOET. à la Haye. 4.

i. e.

Index ſyſtematicus Coleoptrorum, Auctore IOANNE EVSEBIO VOET.

Breuem

Breuem tantum huius libri, iconibus perelegantibus, nitidis et iuxta naturam recte factis ſplendidi, dabimus indicem, tum quod, qui ex eo omnem fructum capere volunt, ipſas icones videant neceſſe eſt, tum quod nomina cum Linneanis iam comparauit Cl. GOEZE *).

Igitur tabulae, quas vidimus, quadraginta ſiſtunt accuratas et egregias icones multarum ſpecierum, nondum icone delineatarum, ex ordine Coleoptrorum, quas et ROESELIVS et KLEEMANNVS pinxerunt, poſterior autem omnes ſculpſit et ad picturam prototypam viuis coloribus ornauit. His tabulis breuis addita eſt deſcriptio ſpecierum triplici idiomate, Latino, Gallico, et Belgico. In deſcriptionibus ſolum optaremus, Cl. Auctorem ſpecies iam cognitas nomine Linneano indicaſſe, nec noua, praeter neceſſitatem, propoſuiſſe, quod Lectores non ſatis verſatos non poteſt non confundere, et vel verſatioribus non paruam operam parat, efficitque, vt ipſi non ſaepe errent in determinandis iconibus, quod etiam in laudato GOEZII libro eueniſſe hic illicque deprehendimus. Praemittit Cl. Auctor cuilibet generi characterem et breuem hiſtoriam: e quibus nonnulla notemus.

Scarabaei amplum genus hoc ordine diſpoſuit, vt 1) *Anthocantharos* ſ. floricolas, qui floribus inhabitant, 2) *dendrocantharos*, qui arborum foliis inſident et veſcuntur, et 3) *terricolas* recenſeat. Singulis ſua eſt a natura tributa forma; ſic ii, quos volatu victum quaerere neceſſe eſt, ſcutello lumbari maiori praediti ſunt. Floricolae epiphyſi inſigniuntur ſub abdomine, intra articulationem cru-

 rum

*) *Entomologiſche Beyträge zu des Ritter* LINNE', *des* 12*ten Naturſyſtems*, *von* IOH. AVG. EPHRAIM GOEZE. *Leipzig*. 1777. 8.

rum mediorum et poſticorum, vt et apophyſi mucronata tegumenti dorſalis cornei. Terricolae ſpectabiles ſunt cruribus anterioribus robuſtiſſimis latiſſimis et craſſe dentatis, quibus terram facilius effodiant.

p. 35. A Scarabaeis ſeiungit *Coprides*, qui differunt ab illis 1) defectu ſcutelli inter Elytra, 2) cranio planiſſimo et tenui; 3) cruribus mediis et poſticis latis planisque, anteriorum vero pedibus tenuibus. Habitant in fimo.

p. 48. Tertium genus, quod ab Auctore *Cupes* dicitur, et antennis, vtut clauatis, tamen et maxillis prominentibus et ſcutelli defectu differt a Scarabaeis, quibus LINNEVS eos ſubiunxit.

p. 49. *Silphae* nomine inſignit Auctor *Lucanos* LINN.
p. 52. et *Pollinctores* dicit, qui LINNEO ſunt *Silphae. Dermeſtem Scarabaeoidem* LINN. *Coprioidem* appellat.
p. 59. *Hiſtrionem* dicit *Byrrhum Pillulam* LINN. et cognatos. Poſteriores *Silphae* ſpecies Linneanas, *Pſeudopeltas* nominat. *Silpham femoratam* FABR. *Asbolum* dicit. *Pſeudocupis* nomine coniungit *Attelabum Bupreſtoidem*, *Carabum Cephalotem*, et *Tenebrionem foſſorem*. Sub genere *Bupreſtis* vnit Carabos, Tenebriones et Cicindelam ripariam.

Optandum eſt, vt his egregiis iconibus continuatio et finis libri proxime ſuccedat.

VII.

Hiſtoria naturalis regni mineralogici ad naturae ductum tradita a IOAN. WILH. BAUMER, Sereniſſimi Haſſiae Landgrauii a Conſiliis rerum metallicarum. Francofurti, ex officina Garbiana. MDCCLXXX, 1 Alph. 12 plagg. 8. tabb. aen. III.

Ex

Ex diligenti naturae ſcrutatione factum eſt, vt Cl. Auctor quaedam antea, (*in hiſtoria regni mineralogici*, Gothae, 1763.) dicta mutanda, et iam plura adiicienda neceſſarium et vtile duceret. Sicque ſe tum *in geographia et hydrographia ſubterranea*, Gieſſae 1779 edita, tum in hoc libro; ex experientia quaedam dogmata ante haud dicta, hiſtoriam naturalem bene illuſtrantia, in medium protuliſſe ait. Sedes mineralium fideliter indicauit, atque accurata librorum citatione meritiſſimis naturae Myſtis, ſua cuilibet tradidit. Igitur in partes ſex totum librum diuiſit, quarum prima *de regnis aeolicis ſubterraneis*, ſecunda *de regnis vulcaneis ſubterraneis*, tertia *de ſalibus naturalibus*, quarta *de regnis Naiadum ſubterraneis*, quinta *de regnis veſtalibus*, et ſexta *de regnis Pluti ſubterraneis* agit. Etſi autem nobis, vt ingenue fateamur, metaphorica haec denominatio minus placeat, atque aëris ignis et aquarum differentiae magis chemiae et phyſicae obiecta eſſe videantur: negandum tamen non eſt plura ſcitu digna et vtilia hic eſſe propoſita, quorum nos praecipua indicemus, omiſſis iis, de quibus nos a Cl. Auctoris ſententia recedimus.

Aëri ſubterraneo ortum metallorum minera- p. 3.
rumque adſcribendum eſſe negat. Antrorum aeolicorum exempla in Germania, Heluetia, et alibi inuenienda recenſet. Vapores in ſulphureos, ſali- p. 6.
nos, arſenicales et mixtos diſpeſcit. Ignes ſubterra- p. 18.
neos naphthae et petrolei fontibus, eadem ex lithanthracibus naturali quaſi deſtillatione expellendo occaſionem praebere, vero proximum Cl. Auctor putat. *Ambram* ex naphtha, ſalis communis acido, p. 20.
aqua et particulis terreis compoſitam dicit. Ex ambrae drachma vna, naphthae ſcrupulos 2 ½, acidi volatilis, ſuccini acido ſimilis, grana 2, phlegmatis aciduli grana 5, et terrae puluerulentae granum

 vnum

p. 25. vnum obtineri poteſt. *Copal* minerale ſub deſtillatione aliquid phlegmatis et petrolei, nullum au-
p. 33. tem ſal volatile largitur. Sulphur ex acido vitriolico, phlogiſto et *terra vitreſcibili* fuſca conſtare di-
p. 37. cit. Arborum foſſilium radices occidentem, ramos vero orientem verſus ſemper directos eſſe, notatu omnino dignum eſt: ex hoc enim eorum ſitu aquarum, illas olim aduehentium atque ſepelientium, curſum ab oriente occidentem verſus directum fuiſſe
p. 40. colligimus. Lignum foſſile putrefactum, *terra Vmbria*, ex lignis mollioribus, aquarum diluuie congeſtis, temporis ſucceſſu corruptis, atque forma ſua
p. 48. exutis ortum eſt *). Vulcanorum ortum ſeriei ſciſſilis nigrae, pyritis, ſulphure, bitumine minerali atque lithanthracibus fetae, atque in nonnullis locis praealtae, deberi arbitratur: atque fluctus marinos cryptas inter telluris ſtrata ſenſim aperire et ad vul-
p. 50. cani officinas aeolo viam pandere autumat. In mari moderno cum nouis montibus nouas etiam Vulcani officinas exſtrui Cl. Auctori eſt probabile, cum nouiter exortorum Vulcanorum exempla proſtent.
p. 53. Ignibus ſubterraneis terrae motus adſcribendos eſſe
p. 54. cenſet, horumque directionem telluris longitudinem, non autem latitudinem ſequi obſeruatum eſt. Hoc, inquit, ex ſerierum ſciſſilium nigrarum interruptione, quae ſecundum telluris latitudinem, montium petroſorum interpoſitione, de ſpatio in ſpatium fit, conceptu atque diiudicatu facile eſt. Attamen intra vnius circiter gradus latitudinem, quem ſeries quaedam ſciſſilis nigra, petroſis ex vtroque latere incluſa, occupat, per lineas axi telluris parallelas eatenus non ſolum diffundi, ſed etiam, ſi terrae motuum cauſſae, in mari incipientes, in diverſis

*) vid. DE HÜPSCH *Entdeckung des waren Urſprungs des Cöllniſchen Umbers. Frankf. und Leipzig.* 1773.

verſis latitudinis gradibus ſimul agunt, in iis vno eodemque, vel paullo poſt futuro tempore percipi poſſunt.

Alumen fluidum album et flaueſcens in Thuringia prope *Kleinfahnern* ſub ſchiſtorum aluminoſorum, aëri expoſitorum, aceruo ſatis copioſum vidit. In Thuringiae ſerie teſtaceo calcarea, et quidem in eius ſchiſtis margaceis, tempeſtate poſt magnos imbres admodum calida, *ſalem alcalinum naturalem* album in forma pulueruIenta ſaepius vidit. P. 78. P. 85.

Aquae purae qualitatibus fontiumque origine expoſitis, de aquis calcariis, thermis, ſalſis; ſoteriis alcalinis, natroſis, martialibus, aquis aluminoſis, atramentoſis, aëroſis, viroſis, ſulphuratis et bituminatis agit, earumque mixtiones et loca natalia enumerat. P. 100.

Terras a lapidibus ſeparat. Inter lapides ſaxa primum recenſet. In Thuringiae planitiebus Cl. Auctor permagnas Quarzi et Porphyritae maſſas, plures Centenarios ponderantes, a ſerie petroſa probabiliter abruptas, et vi aquarum illuc delatas, vidit. Baſaltem petroſum, ab argillaceo diſtinguit: vtrumque in mari veteri, vt alii lapides, praecipitatione ortum eſſe arbitratur, neque illos Vulcanorum reliquias eſſe cenſet. Lapides corneos in terram calcaream temporis ſucceſſu fatiſcere a nonnullis perperam ſtatui putat, cum in ſerie cornea dictae terrae ne minimum quidem veſtigium compareat. Montis Thuringiae altiſſimi, a niue nomen habentis, latus occidentale, ad vallem verſus Suhlam deſcendentem, lapidibus corneis nobilioribus, parallelepipedi figuram imitantibus, albidis, flauis, viridibus, rubris atque variegatis pauimenti inſtar, miro prorſus ſpectaculo contectum eſt. De *Gypſi* ortu hanc cauſſam obſeruauit: in illis regionibus, vbi alta lithanthracum atque lapidum ſciſſi- P. 219. P. 236. P. 240. P. 243. P. 330.

 lium,

lium, acido vitriolico ſaturatorum ſtrata ſeriei marmoreae ſubiecta ſunt, ibi ſub ipſa horum montium ſucceſſiua in mari veteri exſtructione, ab acido vitrioli materies calcaria in gypſeam pedetentim mutata eſt, quin acidae ex dictis ſtratis exhalationes etiam nunc ſub coelo calido perdurant.

p. 342. Lapides ſequitur petrefactorum, quae regnorum Veſtalium hoſpites dicit, conſideratio, quorum ſpecimina quaedam tabulae aeneae repraeſentant.

p. 442. Ad mineras accedimus. Ex Minera aurifera Nagyagenſi *) mercurii ope aurum ideo extrahi non poſſe ſuſpicatur, quod mars, minerae largiter admixtus, hydrargyri actionem in aurum impediat.

p. 448. Non ſolum montes, ſed etiam mineras atque metalla iam in veteri mari nata eſſe, atque in moderno etiam nunc oriri arbitratur. Aqua enim marina particulis terreis ſubtiliſſimis, ſalini varii generis, atque phlogiſticis feta, poſt exſtructos montes petroſos, in ſtratorum rimas penetrans, dictas particulas, generandis mineris aptas, in cryptas montanas deduxit, quae ibi quietem nactae, mutua cohaeſione grauiores factae, atque ex vehiculo ſuo praecipitatae, noua mixta teneriora lapidea, metalla atque mineras produxerunt. Strata metallica, ſub montium ſciſſilium generatione, ſimul cum reliquorum ſtratorum generatione coorta, et tanquam ſpecifice grauiora, primo ad fundum acta eſſe, ideoque iam ſerierum ſciſſilium ſtatumen conſtituere, idemque de ſerie calcareo metallica et particulariter de marmorea atque arenoſo argillacea valere arbitratur **). Sequenti ordine metalla conſiderat

Cl.

*) vid. BORNS *Briefe*. vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 66.

**) cf. DELII in tractatu de montium minerarumque ortu p. 90. ſententia: titulus libri eſt *Abhandlung von dem Urſprunge der Gebirg- und Erzadern, und von der Vererzung des Goldes. Leipzig*, 1770. 8.

Cl. Auctor; de mercurio, arſenico, cobalto, magneſia vitrariorum, nicolo, antimonio, zinco, wiſmutho, marte, ad quem etiam ſmiris et ſpuma lupi refertur, plumbo, ſtanno, cupro, argento et auro.

VIII.

IOH. FRIEDR. GMELINS *Einleitung in die Mineralogie zum Gebrauch akademiſcher Vorleſungen. Nürnberg, bey Gabriel Nikolaus Raſpe,* 1780. 1 *Alph.* 2 *Bog. in* 8.

i. e.

IO. FRIEDER. GMELINI introductio in mineralogiam in vſum praelectionum academicarum.

Cl. Auctor ad foſſilia cognoſcenda vtramque methodum et characteribus externis, et chemicis diſquiſitionibus adhibendam eſſe putat. Ipſa foſſilia ita diuidit, vt quatuor claſſes 1) Terras et Lapides: 2) Salia: 3) Phlogiſtica corpora: 4) Metalla conſtituat. Priores in quatuor ordines diſpeſcit, quorum prior terras et lapides calcareos, ſ. qui ex terra calcarea maximam partem conſtant; alter lapides, quos terra ſalis amari componit; tertius lapides argillaceos, et quartus ſiliceos comprehendit. In ſingulo ordine primum ſimpliciores, tum, qui cum aliis partibus conſtitutiuis mixti ſunt. Itaque in calcareis occurrunt praeter cretam, calcareum et ſpathum calcareum, marga, gypſum, ſpathum ponderoſum, fluor mineralis, lapis ſuillus et hepaticus, et ſic in aliis. Petrefacta non vt ſingularem claſſem, ſed ſub eo lapidum vel minerarum genere contemplatur, in quod mutata ſunt. Sic etiam ſaxa montium et vulcanica producta ad ea lapidum

genera adiungit, ex quorum ſimilibus partibus conſtitutiuis mixta ſunt, vel quae maximam in eorum mixtione partem occupant.

p. 34. Terram gemmarum et ponderoſam, a Cl. BERGMANNO et SCHEELE diſtinctas, ſingulares et
p. 67. ſimplices eſſe dubitat. Spatum ponderoſum a gypſeo parum differre, et differentiam a terra ſilicea et aluminari, cum calcarea intime iuncta, pendere
p. 70. putat. Etiam in fluore minerali terram calcaream cum ſilicea, phlogiſto et acido coniunctam cenſet, quod acidum acidi vitriolici phlogiſto volatile facti et terra ſilicea iuncti natura magis, quam acidi ſalini praeditum ſit: interdum etiam terram aluminarem et martialem ineſſe. Lapidem azureum calcareis ſubiungit. *Zeolitem* autem iis, quorum principium ſit terra ſalis amari: his etiam baſaltes ſubditur. Magneſium autem, aluta montana, mica cornea et ex hac compoſitus lapis (*Grünſtein*) ad argillaceos ab Auctore refertur. Praſium cum chryſopraſo coniunxit. Iaſpidem cum ſaxis exinde compoſitis, et ſpathum ſcintillans, vt et vulcanorum lauas lapidibus ſiliceis adiecit. In metallorum recenſione leuiora et inductilia primum, tum grauiora et ductilia contemplatur, hoc ordine: arſenicum, niccolum, cobaltum, antimonium, biſmuthum, zincum, hydrargyrum, plumbum, ſtannum, cuprum, ferrum, platina, argentum et aurum. Caeterum loca natalia copioſe indicat, ſcripta aliorum autem parce.

IX.

Die Geſchichte der Flußconchylien mit vorzüglicher Rückſicht, auf diejenigen, welche in den Thüringiſchen Wäſſern leben, von IOHANN SAMVEL SCHRÖTER. *Mit* II *Kupfertafeln. Halle, bey Johann Jacob Gebauer,* 1779. 8.

i. e.

Hiſtoria Conchyliorum fluuiatilium, praeſertim ratione habita eorum, quae in aquis Thuringiacis degunt, Auctore IOANNE SAMVELE SCHROETER.

Ideo hiſtoriae nomine edidit hunc librum Cl. Auctor, quod omnia collegerit, vtplurimum ex libris aliorum, quae de conchyliis fluuiatilibus ſcitu ſunt neceſſaria. Tribus ſectionibus abſoluit eandem, quarum prima ſcriptores, qui de fluuiatilibus quaedam commemorarunt, enarrantur, indicatis ſimul iis conchyliis, quae quisque deſcripſerit: ſecunda partes teſtarum et animalium recenſentur, atque tertia ſyſtematica ſpecierum expoſitio continetur. Nos, quae alii iam habent, omiſſis, Auctoris obſeruata proponamus.

Loco columellae *in Planorbe Purpura* MÜLL. p. 96. ſubtiliſſimam ſeriem lagenarum quaſi imbricatarum detexit. Atque Neritae ſcalas ſ. cameras obtinuerunt, quae ambulacris fulcri inſtar inſeruiunt. Optaremus ſane, vt Cl. Auctor ipſe cochlearum et concharum animalia ſecaſſet, quum partium deſcriptio ſic diſtinctior fieri potuiſſet. Sic etiam ſyſtema O. F. MÜLLERI, ex animalium ſtructura deſumtum magis placet, quam Cl. Auctoris, qui conchas ex cardinis dentibus, cochleas ex ſola teſtium figura definiuit. In enumeratione omnia conchylia fluviatilia

viatilia ab aliis deſcripta indicauit iisque noua, a ſe obſeruata, addidit. Nos tantum indicemus ſpecies nouas, et eas, quas iconibus viuis, quae elegantiſſimae ſunt, et omnem plauſum merentur, illuſtratas deprehendimus.

p. 159. Tab. I. fig. 1. *Mytilus maximus planior virideſcens edentulus:* varietas, vti nobis videtur, *Mytili cygnei.*

p. 160. — — fig. 2. *Mytilus anatinus*, differentiam ſpecificam a *Mytilo cygneo* Cl. Auctor, in valvis planioribus, atque vulua ſ. rima anteriore hiante ponit.

p. 162. — III. f. 1. *Mytilus cygneus*, LINN. Inueniuntur ſaepe in valuis huius ſpeciei margaritae; quin in ipſo pallio animalis Noſter ſemel margaritam inuolutam animaduertit. *Mytilum radiatum* LISTERI cum O. F. MÜLLERO varietatem huius eſſe coniicit.

p. 165. — II. f. 1. *Mya arenaria* LINN. Noſter hanc cum *Mactra lutraria* LINN. coniungendam eſſe putat; nihil certi tamen definit. Omnino cardinis ſtructura attendenda eſt, quae autem ex icone, valuas ab extus repraeſentante, non iudicari poteſt.

p. 168. — IV. f. 1. *Mya margaritifera*, vbi et de eius locis natalibus et de origine margaritarum diſſerit.

p. 178. — III. f. 2. 4. 5. *Mya pictorum.*

p. 181. — IX. f. 1. varietas latior praecedentis, ex *Grönlandia.*

— — f. 3. *Mya corrugata* O. F. MÜLLERI. Hiſt. verm. P. II. n. 398.

p. 182. — II. f. 2. *Mya teſta craſſa:* videtur nobis varietas *Myae margaritiferae.*

Tab. III.

Tab. III. fig. 3. et T. IV. f. 6. *Mya anguſta*, eſt var. *Myae pictorum*. O. F. MÜLL. H. v. P. II. p. 212. lit. V. p. 184.

— IX. f. 17. *Solen anatinus* LINN. Ideo, quod RVMPHIVS hunc in locis paludoſis habitare dicit, coniecit Noſter, eum ad conchas fluuiatiles pertinere. Caeterum RVMPHII iconem recte reprehendit. p. 185.

— II. f. 3. *Mya rhomboidea:* et haec nobis *Myae pictorum* videtur varietas. p. 186.

— IX. f. 2. *Arca fluuiatilis* Auctoris. *Arca Pernula* O. F. MÜLL. *Berl. Beſchäft. IV. B. S.* 55. 57. Hanc ſpeciem in Norwegia habitare addit. p. 187.

— IV. f. 3. 4. 5. *Tellina cornea* LINN. ſ. *Tellina riualis* O. F. MÜLL. p. 189.

— — f. 2. a. b.

— V. f. 1. 2. 3. *Patella lacuſtris* LINN. ſ. *Ancylus lacuſtris* O. F. MÜLLER; a Noſtro ſemper in fluuiis repertus eſt, ideoque nomen triuiale reiicit. Ipſius animal etiam deſcribit. Ab ARGENVILLIO pars pallii minus recte diſſepimentum dicta eſt. p. 203

— — f. 4. a. b. *Ancylus fluuiatilis* MÜLL. p. 205.

— — f. 5-10. *Nerita fluuiatilis*. p. 210.

— — f. 11. a. b. *Nerita fluuiatilis ſubuiridis dentata*. Noua ſpecies, quam ex tenuitate teſtae fluuiatilem iudicat Auctor.

— IX. f. 4. 5. *Nerita ex flauo viridis lineis nigris vndatis*. MARTINI *Berlin. Magaz. IV. Band. Seit.* 276. in fluuio Salae prope Ienam inuenta. p. 213.

— V. f. 12. *Planorbis albus* O. F. MÜLL. H. v. II. p. 164. p. 225.

— — f. 13. *Helix planorbis* LINN. ſ. *Planorbis carinatus* O. F. MÜLL. p. 226.

Tab.

Tab. V. fig. 14. 15. Var. praecedentis *craſſior.*

p. 228. — — f. 16. 17. *Helix Vortex* LINN. *Planorbis Vortex* O. F. MÜLL.

p. 229. — — f. 18. *Planorbem . . . . 6 gyris rotundis circumſcriptum:* nouam ſpeciem habet Cl. Auctor, eamque ſiniſtris anfractibus

p. 224. praeditam eſſe affirmat. Animal eſt nigrum, tentacula longa, oculi nigerrimi: in quiete animal teſtam ad perpendiculum gerit, natando autem teſta horizontaliter poſita eſt.

p. 230. — IX. f. 13. *Helix cornu arietis* LINN. ſ. *Planorbis contrarius* MÜLL. H. V. P. II. p. 152. varietas faſciis 6 delineata eſt.

p. 233. — V. f. 16 – 20. 21. *Helix cornea* LINN. *Planorbis purpura* MÜLL. l. c. p. 154.

p. 239. — — f. 22 – 25. *Helix complanata* LINN. *Planorbis vmbilicatus.* MÜLL. l. c. p. 160.

— — f. 26. a. b. *Valuata criſtata* MÜLL. l. c. p. 198.

— — f. 27. a. b. *Planorbis nitidus* EIVSD. l. c. p. 163.

— — f. 28. *Planorbis albus* gyris rotundis globoſis; vix differre videtur a *Planorbe vmbilicato* MÜLL.

— — f. 29. *Pl. contortus* EIVSD. l. c. p. 243.

— — f. 30. *Pl. vmbilicatus coſtatus,* noua ſpecies.

— — f. 31. *Pl. vmbilicatus margine interrupto:* noua ſpecies ex *Rheno.*

p. 258. — VI. f. 2. T. IX. f. 14. *Helix ampullacea* LINN.

— IX. f. 6. *Cochlea globoſa fluuiatilis,* noua ad *Neritas* MÜLL. pertinens.

— V. f. 32. videtur nobis Planorbis, vt et f. 33. quae iam a MARTINIO *in Berl. Mag. IV. B.* T. VII. f. 16. deſcripta eſt. Idem valere videtur de T. V. f. 34. quam Auctor

Cochleam

Cochleam margaritiferam mucrone plano dicit.

Tab. V. fig. 35. Cochlea ſubumbilicata faſciata ſubrufa, eſt *Nerita* MÜLL. vt et *Tab. V. f.* 36. atque *Tab. VI. f.* 14. nouae tamen et a nobis ſpecies habentur.

— VI. f. 16. *Bulla fontinalis* LINN. *Planorbis* *Bulla* MÜLL. p. 269.

— — f. 3-6. *Helix auricula* LINN. ſ. *Buccinum Auricula* MÜLL.

— — f. 7. *Buccinum peregrum* MÜLL.

— — f. 11. *Trochus criſtatus* Auctoris, ſ. Cochlea depreſſa criſtata, GEOFR. forte pertinet ad *Valuatas* EIVSD. p. 280.

— — f. 10-12. nobis magis *Turbines* videntur, cum eorum apertura ſit orbicularis, quam *Trochi.* p. 282.

— — f. 9. *Buccinum ſiniſtrorſum marmoratum* Auctoris. p. 290.

— — f. 15. *Bucc. ſiniſtrorſum achatinum mucrone breui* EIVSD.

— — f. 8-11. *Bucc. amarula* MÜLL. l. c. p. 137.

— — f. 13. *Bucc. ſcabrum* EIVSD. l. c. p. 136.

— — f. 12. *Helix mitra*, muſ. Gronov. p. 128.

— — f. 1. *Buccinum achatinum* EIVSD. p. 140.

— VII. f. 1-4. *Bucc. ſtagnale* EIVSD. p. 132.

— — f. 9-10. *Bucc. paluſtre* EIVSD. l. c. p. 131. T. VII. f. 7. varietas eiusdem, faſcia alba anfractus transeunte. p. 308.

— — f. 8. *Helix fragilis* LINN. p. 309.

— — f. 6. *Bucc.* mucrone valde elongato, colore albo, *nouum.* p. 311.

— — f. 5. *Bucc.* primo anfractu ventricoſo, mucrone breui.

— IX. f. 10. *Voluta Auris Midae* LINN. eiusque varietas minor: videtur nobis magis coch- p. 314.

lea

lea terreſtris, quam fluuiatilis. cf. O. F. MÜLLER.

p. 317. Tab. VII. fig. 11. *Buccinum* albo cinereum primo anfractu ſubgloboſo: Noſtro a *Bucc. paluſtri* ſpecie differre videtur. Etſi autem huic cochleae 8 anfractus tribuat, nos tamen in icone 6 tantum numeramus.

p. 318. — — f. 12. *Bucc. globoſum* mucrone breui acuminato: nobis videtur varietas *Buccini auriculae.*

— — f. 13. *Bucc. truncatulum* MÜLL. l. c. p. 130.

p. 319. — — f. 14. *Nerita minuta* EIVSD. p. 179.

— — f. 15. *Bucc. glabrum* EIVSD. p. 135.

— — f. 16. *Bucc.* pellucidum anfractuum 4, ore amplo. A nobis varietas *Bucc. paluſtris* habetur; id quod etiam de fig. 17. eiusdem tabulae valet.

p. 321. — — f. 18. *Bucc. trochiforme* Auctoris; iuxta formam, quam Auctor ſequitur, magis ad *Planorbes* pertinere videtur.

— — f. 19–22. *Nerita iaculator* MÜLL. l. c. p. 185.

p. 330. — VIII. f. 1. 2. *Nerita viuipara* EIVSD. l. c. p. 182.

p. 335. — — f. 3. 4. *Buccinum virgineum* EIVSD. p. 143.

p. 344. — IX. f. 16–18. 19. *Buccinum* caſtanei coloris, apertura ouato circulari: ex Grönlandia.

p. 350. — VIII. f. 6. a. b. *Buccinum acicula* MÜLL. l. c. p. 150. ſ. *Helix octona* LINN. quam Noſter circa Thangelſtadium inuenit.

— — f. 7. a. b. *Turbo* (ſiue potius *Buccinum*) *anfractibus* 4 *globoſis amplis.* Teſta eſt minima, inter arenam inuenta.

— — f. 8. *Turbo anfractibus* 4 *ſubgloboſis.* In huius et praecedentis ſpeciei icone tamen

5 an-

5 anfractus delineati ſunt; an ex errore ichnographi?

Tab. VIII. fig. 9. *Turbo anfractibus* 4, *mucrone obtuſo:* inuenitur circa Argentoratum.

— — f. 10. *Turbo ſimpliciter vittatus* ARGENVILL. quem tamen marinum eſſe magis eſt veriſimile. p. 356.

— IX f. 15. a. b. *Nerita elegans*, MÜLL. l. c. p. 177. p. 366.

— VIII. f. 14. *Strombus* (nonne magis *Buccinum* ex MÜLLERI, aut *Turbo* ex Auctoris ſententia?) coſtatus, et transuerſim ſtriatus: nouus ex *ora Coramandeliana.* p. 373.

— — f. 15. *Strombus muricatus et marmoratus* Auctoris: Hic et ſequentes ſunt ex familia *Stromborum turritorum* LINN. p. 379.

— IX. f. 9. *Strombus circulis granulatis cinctus.* p. 380.

— VIII. f. 13. *Strombus ſtriatus limbis muricatis cinctus.*

— — f. 11. 12. *Str. nodoſus, et ſubtiliſſime ſtriatus, ore recto anguſtiore.* p. 386.

Caeterum etiam quaedam conchylia ex GVALTIERO et MARSILIO recudenda curauit, atque appendicem nouorum, ſibi a SPENGLERO communicatorum, vti et icones et deſcriptiones domiciliorum, quae ſibi ſtruunt laruae *Phryganearum*, ſubiunxit.

X.

Beobachtungen über das Gebirge bey Königshayn in der Oberlauſitz. Dresden, 1780. In der Waltheriſchen Hofbuchhandlung, 71 Seiten in 4. mit 2 Kupfert.

i. e.

Obſeruationes ſuper iugo montium, circa *Königshayn* in Luſatia ſuperiori ſito.

Pagum Königshayn prope a *Gorlizio* in Luſatia
ſuperiori ſitum, montium vicinorum cauſſa
a nonnullis ſcriptoribus nominatur: cum tamen
non niſi in tranſitu hi montes deſcripti ſint, Cl. Au-
ctor plauſum et laudem meretur, qui breui et prae-
ciſa oratione eos deſcripſerit, ſuasque ſuper iis ob-
ſeruationes palam fecerit.

p. 4. Nomina montium Königshaynenſium propria
ſunt *Kämpfenberg*, *Hohſtein*, *Todtenſtein*, et *Schwal-
benberg*, aliique minores *Steinberg*, *Hexenberg* et
Limberg dicuntur. Altiſſimi ſunt qui a pugna
(*Kämpfenberg*) et altitudine (*Hohſtein*) nomen acce-
perunt, etenim iuxta dimenſionem barometricam
600 pedibus Pariſinis valle, et 1200 pedibus pla-
nitie maris altiores ſunt, praeterea ad ſenſim ad-
p. 6. ſcendentes ſunt referendi. Lapis montium eſt *Gra-
nites*, in cuius fiſſuris cryſtalli montanae varii colo-
p. 8. ris reperiuntur. In montibus, ab altitudine et mor-
tuis (*Todtenſtein*) dictis, rupes maximae, ad octo-
ginta pedes altae, centenaque pedum amplae, in
ſtrata diuiſae, vel horizontalia, vel obliqua conſpi-
ciuntur, hisque montibus antiquam conciliant fa-
p. 15. ciem. Situs ſtratorum obliquus Cl. Auctori ex
aqueis inundationibus productus videtur. Ipſae
rupes limo, qui quarzo et mica mixtus eſt, inſident,
quo aqua diſſoluto et ablato rupes in praeceps rue-
re vel inclinari neceſſum fuit. Praeterea fiſſurae
p. 18. ad perpendiculum rupes diuidunt. Has rupes nu-
das a principio obtectas fuiſſe molli et friabili ma-
terie, atque easdem ex molli tali ſabuloſa indurata
p. 25. ortas eſſe probabile videtur Auctori. Etenim ri-
mae granitae perpendiculares lapide arenario indu-
rato repletae ſunt. Quare cum hae rimae tum,
cum granites adhuc mollior eſſet, oriri ſolum poſ-
ſent, arenarium etiam ſimul induratum, atque has
p. 29. rupes quondam arena tectas fuiſſe colligit. Hanc
denuda-

denudationem eo tempore factam putat, quo vniverſo orbis inundaretur diluuio. Atque totam de- p. 32. ſcriptam regionem quondam, reſpectu altiorum montium, planitiem fuiſſe, montesque mediae magnitudinis ipſasque valles hac vniuerſali inundatione demum nata eſſe: aquam, quae tum in duriores lapides legerit, eos denudaſſe, atque molliores lapides ſecum tuliſſe: quae quidem omnia ex conſpectu ipſius regionis clarius pateant. Caeterum p. 35. non eſſe probabile, aquam his in locis diu ſtetiſſe, ſed ſubito defluxiſſe, indeque raritatem petrefactorum illic declarari. Etenim praeter echinitas quosdam et veſtigia biualuium nulla ibidem reperiri.

Reliqua pars libri lectu digniſſimi antiquitatibus his in montibus inuentis dicata eſt. Icones, egregia arte aeri inciſae, ſiſtunt vaſa quaedam antiquata, et effigies quarundam aenearum figurarum, tum potiſſimum proſpectum montium, *a mortuis* et *a cuculo* (*Kukukſtein*) dictorum, vt et totius regionis.

XI.

Von dem Drehen der Schafe und dem Blaſenbandwurme im Gehirne derſelben, als der Urſache dieſer Krankheit, von NATHANAEL GOTFRIED LESKE. *Mit einer Kupfertafel*, 1780. *Auf Koſten des Verfaſſers, in Commiſſion bey Joh. Gotfr. Müller.* 4 *Bog. in* 8.

i. e.

De vertigine ouium et Taenia hydatigena in cerebro ouium, vt cauſſa illius morbi, Auctore NATHANAELE GODOFREDO LESKE.

 Deſcri-

p. 5. Deſcriptis ſignis huius ouibus pernicioſi morbi,
anatomica diſquiſitione in multis ouibus inſti-
tuta, in cerebro ouium ſemper hydatides inuenit,
quae, cerebro extus integro membranisque tecto,
varia loca cerebri occuparent, et vel numero vna
p. 9. vel plures adeſſent. Has hydatides non ſolum
cauſſam huius morbi eſſe, ſed omnino animalia, et
quidem Taenias eſſe, iis, quas iam TYSONVS *lum-
brici hydropici* *), et Cl. PALLAS *Taeniae hydatige-
nae* **) nomine deſcripſerunt, ſimiles, attamen in
p. 20. eo diuerſae, quod in cerebrinis his Taeniis, quas
multicipites nominat, plura corpuſcula capitaque
vermis vni veſicae adhaereant, cum in illis ſingulo
vermi ſingula etiam data ſit veſica. Adſentitur igi-
tur Noſter iis, qui caput *Taeniae* adſcribunt, atque
characterem Taeniae in capite veſiculis quatuor ſu-
gentibus, tuberculoque medio duplici hamulorum
circulo inſtructo, quo infiguntur partibus Taeniae,
conſiſtere demonſtrat. Plura, quae de origine, et
multiplicatione aliisque circa hunc morbum cogno-
ſcendum ſanandumque diſſerit Cl. Auctor, ex ipſo
libro, vt et conformationem ipſius vermis ex icone
Lectores cognoſcant neceſſe eſt. Id addimus, in
his ouibus Noſtrum et in ſinubus frontalibus lar-
vas Oeſtri ouini, quae tamen cauſſa morbi habendi
non ſunt, cum non vbiuis reperiantur, etſi eun-
dem augere poſſint, Faſciolas, *Taenias hydatigenas*
in abdomine et pectore quoque reperiſſe.

Sub finem Cl. Auctor ſe primum huius Tae-
niae cerebrinae inuentorem eſſe demonſtrat; etſi
Cl. GOEZII obſeruationibus hoc inuentum confir-
mari laetatur. Nos igitur huius in obſeruando ſtu-
dioſiſſimi viri obſeruationes de Taeniis, quas polli-
citus eſt, auide exſpectamus.

XII.

*) in Philoſ. Tranſ. no. 193. Vol. XVII. p. 506.
**) PALLAS elench. zooph. p. 413.

XII.

Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte von einigen Liebhabern dieſer Wiſſenſchaften. Erſter Band. Erſtes — ſechſtes Stück. Nebſt 3 Kupfern. Leipzig, in der Dyckiſchen Buchhandlung, 1778 - 1779. 2. *Alph.* 2. *Bog. in* 8.

i. e.

Collectio tractatuum ad Phyſicam et Hiſtoriam naturalem pertinentium. Volumen I. tabb. aen. 3.

Cum plures tractatus phyſici in exterorum libris reconditi ſint, quos Noſtrates non, niſi ex novellis litterariis, cognoſcere poſſint; hos hic colligere, atque ſimul obſeruationes notatu dignas breviores iis addere conſtituerunt Auctores huius collectionis. Nos igitur, cum omnino res, phyſicam ſcientiam maxime illuſtrantes, contineant, eorum, qui verſi ſunt ex alia lingua, tractatuum titulos, et nouarum obſeruationum ſummam indicabimus.

1) *Deſcriptio hygrometri*, a Cl. DE LVC *inuenti*. p. 5. Prima huius hygrometri deſcriptio continetur in relatione itineris a Cl. PHIPPS inſtituti *) deinde Auctor idem vberius ipſe deſcripſit, tractatumque, cuius verſio hic traditur, ROZIERI diario phyſico, Tom. V. Mai. 1775. p. 381. inſeruit.

2) Cl. DE CAROSI tentamen lithographiae p. 81. regionis *Mlocin* dictae, prope a Warſauia. E Gallico libello, cui titulus: *Eſſai d'une Lithographie de Mlocin.* Ecrit à Varſovie, 1777. à Dresde, 1777.

 plagg.

*) A voyage towards the nordpole, vndertaken 1773. London, 1774. 4.

plagg. 7. 8. epitome, earum rerum, quae ad hiſtoriam naturalem vniuerſalem ſpectant, omiſſis, quae locum ſolum concernunt *).

p. 105. 3) THOM. PERCIVAL *tentamina et obſeruationes ſuper effectis aëris fixi in colore et incremento plantarum.* Excerptus eſt hic tractatus ex philoſophicis EIVSDEM tentaminibus **). Aëri fixo, quem ex creta ope acidi vitriolici euoluit, expoſiti flores colore non mutabantur, in eo autem, qui ex fermentantibus humoribus euoluitur, teſtante PRIESTLEY, mutati ſunt: hanc effectuum diuerſitatem particulis heterogeneis, cum aëre fixo commixtis, adſcribendam eſſe cenſet. Vlterioribus expertus eſt tentaminibus aërem fixum non ſolum marceſcentiam plantarum impedire; ſed etiam pabulum iisdem ſuppeditare, quod ad ſuſtinendum incrementum plantarum aliquamdiu ſufficiat. Cl. Auctor igitur putat etiam per radices aëre fixo maxime nutriri plantas.

p. 121. 4) EIVSD. *obſeruationes de variarum fimi ſpecierum agendi ratione.*

Pars II. 1) P. S. PALLAS *obſeruationes ſuper montium formatione, mutationibusque globi terraquei, praeſertim quoad imperium Ruſſicum.* Verſio ſingularis libelli ***), qui cum ad manus noſtras non venerit, ſummam eiusdem hic recenſere licebit, etſi omnino digniſſimus eſt, qui totus diligenter legatur, adeo obſeruationibus diues eſt. Confirmat vero hic, Cl. Auctor ſummos

mos

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 35.

**) Philoſophical, medical and experimental eſſays. London, 1776.

***) *Obſervations ſur la formation des montagnes, & les changemens arrivés au globe. à St. Petersb.* 1777. 4.

mos montes atque probabiliter eorum nucleum ex
Granite componi, cuius formationem definire non
audet, etſi eum fuſione formatum eſſe pronus eſt,
vt ſtatuat. Deſcribit deinde iugum montium Vra-
lenſe et Altaicum, eorumque extenſionem et di-
rectiones. Huius ſummum cacumen altiſſima pla- p. 153.
nities eſt, ex qua tamquam ex centro quatuor cate-
nae montium oriuntur, quarum prima, *Muſſart*
dicta meridiem verſus extenſa cum montibus Ti-
beti nectitur, altera minor *Alac* verſus occidentem
inter deſertum Tatarorum et Bukariam diuiditur,
cum Vralenſibus montibus cohaeret, et in montes
Perſicos finitur; tertia *Khanghei* orientem verſus,
trans Mongaliam in Catena *Corea* atque in monti-
bus Iapanenſibus finitur; quarta demum *iugum Al-
taicum* proprie dictum fines Sibiricos ab Irtycz vſque
ad Amur efficit. Centrum huius montium catenae p. 148.
atque eiusdem valles auſtrales, primum locum ha-
bitabilem globi terraquei fuiſſe demonſtrat. Iugi p. 163.
Altaici pars ſeptentrionem verſus vſque ad mare
glaciale extenſa in duas ſeries diuiditur, quarum
altera meridiem verſus Kamtſchatkam transcurrit,
atque copioſis veſtigiis montium igniuomorum in-
ſignitur; altera magnum *caput Czukczi* cum pro-
montoriis et oris efficit. *Montes ſchiſtoſos*, quorum p. 166.
lapides ſunt quarzei et talcoſi (haud dubie huc
Gneiſſum Saxonum pertinet,) ſerpentinus, ſchiſtus
corneus, ſpathum, lapis corneus, arenariusque
purus, porphyrites et iaſpis, etiam primarios eſſe
demonſtrat. Concomitantur iidem priores, Gra-
nitem immediate tegunt, mineriſque praeſertim
diuites ſunt, et petrefactis carent.

Montes ſecundarios calcareos et *argilloſos ſtra-* p. 169.
toſos cum aliis eſſe obſeruauit. Strata argillacea
autem calcareis ſemper ſunt profundiora, vtraque
autem petrefactis marinis repleta. Hic ſimul mo-

net prototypos Ammonitarum et Belemnitarum ideo nondum eſſe detectos, quod haec animalia non niſi in altiſſimo maris abyſſo viuere poſſint: Falſum quoque eſſe, petrefactorum Europaeorum prototypos ex Indicis maribus huc eſſe delatos, cum mare ſeptentrionale et mediterraneum eadem in abyſſo etiam foueat. In ſtratis argilloſis maxima pyritum copia reperitur, quos ex putri reſolutione animalium et plantarum marinarum in omni maris abyſſo naſci ait, atque ex iisdem montium igniuomorum originem quoque deriuat. Ex ſtratorum calcareorum et argillaceorum conſideratione ſequitur omnem planitiem magni imperii Ruſſici quondam maris fundum conſtituiſſe: ſummos autem primarios montes nunquam marina aqua fuiſſe obtectos.

p. 178. Maxima denique *montium tertiariorum*, qui nouiſſimarum globi terraquei mutationum ſint effecta, ſeries iuxta Vralenſis iugi longitudinem excurrit. Componuntur iidem ex lapide arenario, marga, et aliis materiis, ſuntque a montibus calcareis vbique valle ſeparati, atque ſaepe ad altitudinem 100 perticarum elati in planitiem multis ſeriebus collium, fluuiis ſeparatorum, expanditur: copioſiſſimi ſunt in Orenburgenſi diſtrictu atque Permia, ibique ex arenario, cupri mineris feto, conſtant: in collibus margaceis lapides gypſei, qui fontium ſunt indices, copioſe reperiuntur. Priores pauciſſima veſtigia corporum marinorum, at maximam copiam petrefactarum arborum aliarumque plantarum, praeſertim Indicarum, tum etiam animalium terreſtrium, oſſa Elephantum, et Bubalidum cum Piſcium ſceletis, in ſe fouent; illic denique totus Rhinoceros *) etiam inuentus eſt.

p. 182. His obſeruationibus hypotheſin ſubiungit, qua praeſens telluris ſtatus explicatur. Ex Granitae

*) vid. nov. Comm. Acad. ſc. Petrop. Vol. XVII. 1772.

tae diſſolutione primos aceruos arenae et micoſi luti, quae lapidem arenarium et ſchiſtum montium primariorum componunt, orta eſſe: eodemque tempore ab aequore corpora phlogiſtica et ferrifera ex putrefactis marinis animalibus et plantis orta, verſus littora montium acta, in ipſa ſchiſtoſa et arenacea ſtrata penetraſſe, pyritas illic depoſuiſſe, ſicque primorum vulcanorum locum formaſſe, qui demum ſucceſſiue in diuerſis mundi partibus eruperunt. Ab his vulcanis, per innumera ſaecula dirutis, ſtrata iam indurata, ſub quibus erupere, diffracta, atque materias eorum igne vel fuſas, vel calcinatas, indeque partim primarios montes ſchiſtoſos, partim calcareos, qui petrefactis careant, ortos eſſe. Ex eodem tempore caua, fiſſuraſque deriuanda eſſe, quae poſtea lapidibus mineriſque repleta venas conſtituerint. Haec effecta vulcanorum in nonnullis locis, et praeſertim in mari eiusque propinquitate ad noſtra vſque tempora continuaſſe: hinc nouas etiam Inſulas ortas, et inde alpes calcareas elatas eſſe. Sic et maris fundum magis eleuatum, et littora continentis terrae ex diſſolutione Granitae aliorumque lapidum, imo animalium plantarumque aucta, ipſi mari arctiores limites poſuiſſe. Hanc tamen diminutionem maris non ſufficientem, quin potius alias adhuc diſcuſſiones globi terraquei ſubſecutas eſſe, quibus inundationes terrarum iam inhabitatarum, immo montium effectae atque ſic terrae continentes materiis ex aqua praecipitatis auctae ſint. Harum inundationum directionem teſtari in mari Indico cauſſam, nempe vulcanos illic reperiundos, primariam earundem quaerendam eſſe.

Praeterimus plura, quae Zoologiam et phyſicam Geographiam attinent, obſeruata Cl. Au-

 ctoris,

ctoris, ad quae legenda naturae ſtudioſos relegamus.

p. 196. 2) Cl. MONNET *diſquiſitio fluoris mineralis quoad eius acidum:* ex Gallico ROZIERI diario phyſico, Octobr. 1777. translata. Cl. SCHEELII *) et BOVLANGER (quod fictum nomen, Auctorem vero Cl. D'ARCET eſſe ait) fluori minerali ſingulare acidum tribuerunt. Cl. Auctor experimenta eadem repetiit, aliaque addidit, atque exinde collegit, *nullum acidum ſpecificum in fluore minerali contineri,* ſed acido vitriolico nihil, niſi *id ipſum cum terra fluoris mineralis arcte coniunctum* deſtillatione expelli. Neque etiam acidum vitriolicum in hoc fluore eſſe. Naturam huius terrae Cl. Auctor non indicat, quarzi autem partem in eo eſſe experimenta docent.

p. 224. 3) Excerpta hiſtoriam naturalem Americanarum Inſularum *St. Thomas, St. Croix,* et *St. Jean* attinentia, ex OLDENDORPII Hiſtoria miſſionis fratrum euangelicorum **).

p. 241. 4) *Altitudo montis Aetnae ſupra Cataniam* ex BRYDONE obſeruationibus, *methodo* Cl. DE LVC dimenſa. Erraſſe BRYDONVM hic demonſtratur; ex eius obſeruationibus enim ſequeretur altitudinem montis Aetnae 20 milliaria aequare, quam tamen ipſe duo parum ſuperare dicit.

p. 255. 5) Indicatur liquorem probatorium vulgarem non ſemper eſſe ſignum certum vini per plumbum

*) *Geſchichte der evangeliſchen Brüder auf den caraibiſchen Jnſeln St. Thomas, St. Crux, & St. Jean. Barby.* 1777. 8.

bum defraudati: etenim et ferri aliorumque metallorum vino ſolutas partes nigrum vel ſimile obſcurum ſedimentum praecipitare.

1) D. IOANN. HEDWIG *ſummaria relatio ſuarum obſeruationum, verum ſexum muſcorum eorumque propagationem manifeſtantium.* Etſi paucis ſcriptis, tamen multis obſeruationibus cum aliis Botanicis communicatis, Cl. Auctorem, vt oculatiſſimum botanicum, cognoſcimus, atque eidem omnino haec laus et gloria manebit eum *primum* et *verum* eſſe *verorum florum in muſcis inuentorem.* Nouimus quidem Cl. KOELREVTERVM nuper edidiſſe librum lectu digniſſimum ſuper flores omnium plantarum Cryptogamicarum *): ſed, vt taceamus, Cl. HEDWIGIVM, KOELREVTERO prius, flores muſcorum inueniſſe **); ipſa KOELREVTERI obſeruata rem non ſatis tetegerunt. Igitur, iuxta HEDWIGII ſententiam, ea genera plantarum, quae LINNEVS ad *muſcorum* ordinem refert, hoc nomine tantum ſunt appellanda, *Lycopodio* tamen excepto. Tempus, quo muſci florent eſt tum, cum alii rami vel iidem rami aliis locis fructus maturos gerunt. Etenim demonſtrat Cl. Auctor capſulas, quas LINNEVS antheram habuit, vera eſſe pericarpia. Quod ſi igitur partes roſae, ſtellae, vel gemmae forma praeditae microſcopio ſimplici diſquiruntur, et guttulae aquae induntur, corpuſcula cylindrica, puluerem globoſum emittentia, intra foliola latere conſpiciuntur: haec corpuſcula veras eſſe antheras demonſtrat. Locum habent vel in axillis ramorum, intra folium et caulem vt in Hypnis, vel in ſummitate ramorum,

P. III. p. 259.

p. 266.

*) vid. EIVSD. *Entdecktes Geheimniß der Cryptogamie. Carlsruhe* 1777. 8. v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 247.
**) cf. epiſtola CHR. FR. LVDWIG de ſexu muſcorum detecto. v. ibid. p. 251.

p. 269. rum, vt in *Bryis.* Haec corpuſcula ſ. has antheras
in omnibus ſpeciebus, quas diſquiſiuit, animaduer-
tit, easque ſemper comitantur fila articulata, vel
cylindrica, vel clauata, ſuccifera. Eodem tem-
p. 270. pore, quo mares florent, etiam feminini flores vel
in ſummo caule, e. g. in *Bryo* et *Polytricho*, vel
etiam in axillis inquirendi ſunt. Cum perichae-
tium, quod calycis locum habet, partes floris cin-
git, tum feminini flores maſculis ſunt longe angu-
ſtiores. Hic autem ſemper *germen* ſ. rudimentum
fructus, *ſtylus* et *ſtigma* conſpicitur. Has partes
ſaepe aliae circumdant, vel germini ſimiles, at pe-
dicellatae, quas vel nectaria, vel adductores eſſe pu-
tat, vel fila ſuccifera ſemper cylindrica: interdum
autem, vt in *Mnio hygrometrico* LINN. deficiunt.

p. 272. Pauci muſci floribus hermaphroditis inſtruun-
tur, e. g. *Bryum pomiforme*, *trichodes* LINN.: plures
ſunt monoeci, vt *Bryum ſtriatum*, *puluinatum;* lon-
ge plures autem ſunt dioeci: atque pauci etiam po-
lygami ſunt, e. g. *Mnii* noua ſpecies.

p. 273. Germine foecundato, idem augetur, ac paulo
poſt calyptra apparet, quam corollae ſ. petali locum
p. 276. ſuſtinere aſſerit. Vberius deinde capſulae diuerſi-
tatem, quoad periſtoma, recenſet, ac experimentis
docet, puluerem in iis contentum verum muſcorum
eſſe ſemen, quod vera aculeata epidermide tegitur,
et ſimplici cotyledone inſtruitur. Ruit igitur LIN-
NEI dictum: propagines muſcorum eſſe nudas et
acotyledones. In tabula addita ex *Bryo pomiformi*
partes omnes deſcriptae diſtincte et eleganter ſat
aucta magnitudine delineatae ſunt.

p. 282. 2. 3. 4) PRIESTLEY de aëre fluoris mineralis,
verſa ex EIVSD. *Experiments and obſeruations on dif-
ferent kinds of airs.* Cl. Auctor experimentis de-
monſtrare vult, acidum ſic dictum fluoris mineralis,
nihil

nihil eſſe, niſi oleum vitrioli, phlogiſto ita ſaturatum, vt forma aëris prodeat, quod tamen ſimul terrae quandam partem contineat.

5) Breuis *Lyncis Americani* aliorumque quorundam animalium deſcriptio, Auctore NATHANAELE GODOFREDO LESKE. Animal, quod hic deſcribitur, a BVFFONO *Lynx Canadenſis* *) dicitur: atque a vulgari differt auribus breuioribus, corpore ſupra flauo griſeo, ſubtus albo nigro maculato. Animal mortuum Cl. Auctor ſecuit, atque atheroma hepatisque inflammationem, et denique calculos veſicae, quorum ſuperficies erat cryſtalliſata, inuenit. Praeterea, quasdam animaduerſiones ſubiungit, quae *Simiam Mormonem*, *Paniſcum*, et *Capucinum*, tum et *Lemurem Cattam et Mongoz*, *Felem Leonem*, *Tigrem*, *Leopardum* et *Pantheram* ſpectant. p. 325.

6) *Zoologicae obſeruationes excerptae* ex ſupplementorum ad hiſtoriam naturalem BVFFONII Tomo III. p. 333.

7) *De influxu muſices in animalia* excerptum ex EIVSD. ſupplementorum Tomo IV. p. 341.

8) Cl. BRVCE *obſeruata ſuper hominum varietatibus*, ex eorundem ſupplem. Tomo IV. p. 347.

9) BVFFONII *de cauſſis luſcitatis*, ex iisdem mutuata tractatio. p. 352.

1) De variis minerarum collectionibus, quas completum muſeum mineralogicum contineat, Auctore ABRAHAMO GOTTLOB WERNER. Non ſuperua- P. IV. p. 387.

*) vid. EIVSD. Hiſt. naturelle génerale & particuliere: Supplement. Tome III. à Paris. 1776. 4. p. 229.

peruacuum, ſed ſane laudabilem laborem in ſe ſuſcepit Cl. Auctor, cum hoc tractatu minerophilos doceat, qua ratione mineras colligere debeant, ſi exinde vtilitatem nanciſci cupiant. Conſtat enim inter omnes longe plurima muſea vel iuxta hoc illudue ſyſtema eſſe ordinata, non vero ita, vt quodlibet fruſtum ſingularem ob finem hunc vel illum locum habeat. Itaque quinque collectiones neceſſarias ad completum muſeum mineralogicum exiſtimat: 1) *collectionem foſſilium, iuxta characteres externos.* Hic ea foſſilia ſunt ſeligenda, in quibus characteres omnes facile et clare cognoſci poſſunt, et eo ordine ſunt locanda, quo characteres ipſi ſe inuicem ſuſcipiunt *). Talis collectio viua eſt characterum explicatio. 2) *collectio methodica*, in qua foſſilia iuxta ſyſtema naturale in genera et ſpecies diuiſa, ita iuxta ſe locantur, vt in ſyſtemate ſe ſequuntur, atque ſingula ſpecies ita, vt omnes varietates quoad characteres externos eo ordine ſe excipiant, quo ipſi characteres in ſenſus noſtros cadunt. Methodica collectio non nimis ampla ſit oportet. 3) *phyſica collectio*, quae reſpicit doctrinam de montibus. In ea igitur lapides montium primariorum, deinde ſtratoſorum, tum Vulcanicorum, et demum tertiariorum ſequantur: atque iuxta ſingulos, foſſilia e. g. minerae, quae in ſingulis reperiuntur, et poſt foſſilia, ſtratoſorum petrefacta locanda ſunt. 4) *collectio geographica*, in qua foſſilia, quae in diverſis terrarum regionibus, eo ordine, quo in ſingulis fodinis effodiuntur, ordinanda ſunt. 5) *collectio oeconomica*, in quam ea foſſilia tantum pertinent, quae ob vſum vel in oeconomia, vel in opificiis, vel in metallurgia, cognoſcenda ſunt.

2) 10.

*) vid. WERNERI *von äuſſern Kenzeichen der Foſſilien.* vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 66.

2) IO. HVNTERI tentamina cum animalibus et plantis circa vim calorem excitandi: ex *Philoſ. Tranſact.* p. 420.

3) *De variis vermium ſpeciebus, ex quibus Purpura parari poſſit.* Indicantur hic omnes a zoologis deſcripti purpuram fundentes vermes, atque nouum a MARITIO, in eius *itinere trans Cypriam Syriam et Palaeſtinam* indicatum molluſcum deſcribitur atque icone depingitur. p. 436.

4) Deſcriptio nouae minerae argenteae, Auctore ABRAHAMO GOTTLOB WERNER. Dicitur a Cl. Auctore *Argentum arſenicale*, quod his characteribus externis ſe ab aliis diſtinguit. Colore eſt *albo*, ſtanni albedine; aëri expoſitum ab extus flaveſcit, et argenti candorem aſſumit: *ſolidum*, et aliis foſſilibus *inſperſum*, interdum *piſi forma* et *reniforme* inuenitur: ſic etiam *priſmatibus hexaëdris truncatis tenuibus*, vel *hexaëdris pyramidibus* cryſtaliſatur: extus *nitet*, interior nitor maior eſt, vterque autem metallicus: textura eſt *lamelloſa*, atque in ſeparatis *fruſtulis granulatis*, ſi ſolidum eſt, occurrit; in *fragmenta indeterminate angulata* diſſilit, eſt *molle*, *ſubſciſſile* atque *grauiſſimum.* Reperitur *Andreasbergae* in Hercynia, et *Wittichen* in *Fürſtenbergica* ditione. In priore loco a metallicolis *argentum natiuum* vel *cobalticum* dicitur. p. 454.

5) *Tractatus, theoriam et praxin electricitatis complectens, additis nouis experimentis* Auctore TIBERIO CAVALLO: ex Anglico Auctoris libro *) verſa epito- p. 460.

*) A complete Treatiſe of Electricity in theory and practice, with original experiments, by TIBERIVS CAVALLO. London. 1777. 8.

epitome: Ipſe etiam liber ſeparatim Germanice prodiit *). Nos, cum vterque non ad manus noſtras venerit, hic ſumma libri capita indicemus. Pars prima libri continet *axiomata* electricitatis, ex obſeruationibus abſtracta: igitur terminis artis explicatis, corpora idioelectrica et conducentia, phaenomena et leges poſitiuae et negatiuae electricitatis, adminicula innatam electricitatem excitandi hic recenſentur. Deinde communicatam electricitatem Cl. Auctor conſiderat, eiusdemque phaenomena, ſi idioelectricis corporibus communicatur, et in Lugdunenſi lagena. Electricitatem atmoſphaerae atque commoda, quae in ſocietatem humanam ex electricitate redundarunt, ſubiungit. Pars altera *theoriam* electricitatis ſ. coniecturas de cauſſis phaenomenorum continet. Hic FRANKLINI et BECCARIAE theoriae recenſentur, atque laudantur. Naturam electricae materiae cum HENLYO ſic explicat, vt phlogiſton, electricitatem, et ignem, tres diuerſos ſtatus ſ. modificationes vnius elementi ſtatuat, quarum relatio ad ſe inuicem ſit vt quies, ad primum gradum actiuitatis, et motum impetuoſum. De *natura conductorum* PRIESTLEYI ſententiam **), qua phlogiſto corporum conducens vis tribuitur, aſſumit. Caeterum in conductoribus et idioelectricis corporibus electrica materia per totam maſſam eſt diſperſa; ſi autem ea corporibus eſt communicata, in ſuperficie corporum haeret. Tertia parte practica dogmata et electrica tentamina traduntur.

*) *Vollſtändige Abhandlung der theoretiſchen und praktiſchen Lehre von der Elektricität, nebſt eignen Verſuchen, mit 3 Kupfern. Leipz.* 1778. 8.

**) in libro: Obſerv. on different kind of airs Vol. II. Sect. 14. cuius libri verſionem Germanicam curauit Cl. CHRIST. LVDWIG. M. D.

duntur. Primo inſtrumenta, dein regulae in tentaminibus obſeruandae, denique ipſa experimenta aliorum. Quarta et vltima parte ab Auctore inſtituta noua tentamina narrantur: quae et atmoſphaerae electricitatem, tum *dracone electrico*, tum *electrometro atmoſphaerico*, tum *electrophoro* nouo inſtituta, et colores, et varia alia concernunt.

6) *Excerptum ex litteris Cl.* MAGELLANI *ad Cl.* PRIESTLEY *ſuper machinis vitreis ad parandas arte aquas minerales; in quo ſimul noui eudiometri* ſ. *machinae qualitates aëris metiendi deſcribuntur* *). Hic tractatus, in quo multa, PRIESTLEYI experimenta aërea illuſtrantia, continentur, ipſe legatur neceſſe eſt. p. 477.

7) *Relatio de noua, ſeſe mouente, planta*, Auctore IO. EHRENFR. POHL, M. D. Mirandum omnino phaenomenon hic deſcribit Cl. Auctor, atque dolendum eſt, plantam hanc nondum floruiſſe, vt eius naturale genus etiamnum ignoretur. Interim folia ternata, atque habitus, eam ad *Hedyſari* genus referendam eſſe, videntur indicare. Phaenomenon eſt hoc: Foliola duo ſurſum erecta alternatim in planum ſitum deſcendebant, et tum recta deorſum mouebantur; atque dum alterum deſcendebat, alterum oppoſitum adſcendebat; eundemque motum varia folia in ramis diſperſa exſerebant. Planta, calidis regionibus indigena, etiam in tepidario colebatur, menſeque Iunii prima vice motum oſtendebat, Iulii menſe, calore maiore, hic motus accele- p. 502.

*) Deſcription of a glaſſ apparatus, for making Mineral waters: together with the deſcription of ſome new Eudiometers: by I. H. DE MAGELLAN. Lond. 1777. 8. pagg. 47. cum tab. aen. I.

accelerabatur: Auguſti menſe, iam frigidiore et humido, imminuebatur. Motus hic non ſtato tempore, ſed vel meridie, vel mane, interdum etiam verſus veſperam obſeruabatur. Neque a calore pendere videbatur: nam calidis diebus ſaepe plane non, aliis frigidioribus autem omnino foliola ſeſe mouebant. Hic igitur foliorum motus plane eſt diuerſus a motu foliolorum *Mimoſarum* vel *Dionaeae*, quae non, niſi ab alio corpore tacta, contrahuntur: in hac vero planta foliola ſponte, igitur ſolo motu fluidorum, hunc alternantem motum, ſ. aſcenſum et deſcenſum exercent. Phaenomenon adeo ſingulare, et magis obſeruandum, neque Cl. Auctor, neque nos explicare audemus.

p. 507. 8) *Quaeſtiones ſuper Serpentum, in Germania habitantium, ſpeciebus.* Dubius cum adhuc numerus ſit ſerpentum in Germania: Anonymus his quaeſtionibus alios excitare vult, vt naturam et diuerſitatem horum animalium magis ſollicite rimentur. Subſcribimus in eo Auctori numerum *ſcutorum* et *ſcutellorum* in ſpeciebus ſerpentum eſſe variabilem. Iconem MEYERI de capite *Colubri Natricis* falſam et ſuppoſititiam eſſe cenſemus: nam et iuxta noſtra obſeruata is telis veneniferis caret. *Anguem fragilem* telis carere vidimus. Et nos cum Auctore dubia habemus LAVRENTI experimenta, quibus *Coluber Berus* veneni expers dicitur; igitur eadem ſaepius diligentiusque repetenda eſſe cenſemus.

Pars V. 1) Excerpta tentamina cum Phoſphoris eo-
p. 519. rumque coloribus ex WILSONI libro, cui titulus: *A Series of Experiments relating to Phoſphori and their priſmatic colours*, by B. WILSON. Lond. 1775. Quae cum inter plures iam nota eſſe putamus, hic recenſere ſuperfluum ducimus.

2) *Epi-*

2) *Epitome tractatuum, qui in Philoſophicarum Tranſactionum Vol. LXVII. continentur* *). p. 552.

3) *Verſio tractatus* Cl. MUDGE *ex Philoſ. Tranſ. Vol. LXVII. p. 296.* de compoſitione metallicorum ſpeculorum ad Teleſcopia **).

4) HUDDARTI *obſeruatio hominum, qui colores diſcernere non poterant* ***).

1) *Relatio de methodo, puncta certa Thermometrorum definiendi* †). P. VI. p. 643.

2) Cl. KÖLPIN *breuis tractatus, hiſtoriam naturalem Pomeraniae* ſpectans: Continetur quidem iam in Topographia Pomeraniae, a Cl. BRÜGGEMAN edita; phyſicorum vero in gratiam huic diario inſertus eſt, eſtque omnino lectu digniſſimus: etſi plura etiam, praeſertim ſingularium corporum naturalium hiſtoriam concernentia addi poſſe cenſemus. p. 679.

3) HUBERTI FRANC. HÖFERI *tractatus ſuper naturali ſale ſedatiuo, Toſcanae detecto, et ſuper Borace hinc parando verſus ex Italico idiomate* ††) a FRANC. DE WASSERBERG. Acceptam omnibus fore breuem huius notabilis inuentionis epitomen ſperamus. Noua experimenta etiam promittit Cl. DE WASSERBERG, atque ſe Hoeferiana repetiiſſe p. 700.

 veraque

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 579.
) v. ibid. p. 586. *) v. ibid. p. 585.
†) vid. ibid. p. 590.
††) Titulus eſt: Memoria ſopra il Sale ſedatiuo naturale della Toſcana, e del Borace, che con quello ſi compone, ſcoperto da UBERTO FR. HOEFER. Fiorenza. 1778.

veraque inueniſſe teſtatur. Suis experimentis perſuaſus eſt, ſal ſedatiuum ex terra, acido ſalis et parte
p. 715. aliqua acidi phoſphorei conſtare. Cl. HOEFER hoc ſal ſedatiuum, ex aqua lacus *Cherchiajo*, prope a *Monte rotundo* obtinuit, cum aquam eiusdem euaporaret. Coniicit igitur idem ſal in lacubus prope a *Saſſo*, et *Monte cerboli* aliisque reperiri. Hoc ſal cum ſale culinari et nitro ſeparatim ſublimationi ſubmiſit, atque alcalinam partem poſteriorum ſalium cum ſale naturali iunctam boracem conſtituere expertus eſt. Subiunctae ſunt litterae Cl. CRANZII, inuentori laudes decernentes, et teſtimonia rem confirmantia continentes.

p. 731. 4) SHVKBVRGHII *iter in montem, Mole dictum, prope a Geneuis*, ex Philoſoph. Tranſact. Vol. LXVII. P. II. *).

p. 738. 5. 6. 7) BVFFONII hypotheſes ſuper directione iugorum montium, eorum origine et altitudine, ex EIVSD. Supplement. ad hiſtoriam naturalem. Tom. IX.

p. 739. 8) *Excerptum ex litteris, Petropoli datis.* Anonymus aſſerit iugum montium ſeptentrionale, ad mare album vicinum, neque eſſe conglomeratum a globi terraquei conquaſſationibus, neque ſtratoſum: ſed potius ad montes primarios ſimplices pertinere.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 589.

XIII.

XIII.

Faſciculus animaduerſionum phyſiologici atque mineralogico - chemici argumenti. Auctore CAROLO HENRICO KÖSTLINO, Phil. et Med. Doctore, Acad. Florent. et Societ. Teuton. Ienenſ. Membro. Stuttgardiae, apud I. B. Mezlerum, CIƆIƆCCLXXX. 4. plagg. 5½.

I. *Disquiſitio obſeruationum Cl.* DELLA TORRE *de figura molecularum cruoris ſanguinis.* Vſus eſt, vt ſatis conſtat, Cl. DELLA TORRE, Phyſices apud Neapolitanos Profeſſor, ad ſua cum ſanguine inſtituta tentamina vitreis lentibus, ſeu potius globulis, quibus obiecti diameter magis augetur, quam omnibus fere hactenus inuentis microſcopiis *), edoctusque hac ratione fuit, moleculas iſtas cruoris ſanguinis, quas pro globulis habuerunt Phyſiologi, anellos potius cylindricos, eosque complanatos eſſe, qui rurſus ex 3-6 particulis oblongis cylindriformibus ſeu veſiculis, quae in maiorem annularem ſacculum abeant, viciſſimque diſcedant et ſeparentur, compoſiti ſint. Atqui haec ipſa experimenta nuper, KOESTLINO praeſente, DELLA TORRE repetiit, eorumque euentu effectum eſt, vt de ſphaerica molecularum ſanguinis forma KOESTLINVS ipſe ſubdubitaret. Nihilo tamen minus accuratius in hanc rem inquirere, veramque cauſam, cur ab aliorum doctorum hominum experientiis Phyſici Neapolitani obſeruationes valde recederent, detegere ſibi Noſter propoſuerat; quam ob rem cum vitreis globulis variae diametri, quos ab ipſo DELLA TORRE acceperat, humanum ſanguinem examini denuo ſubiecit. Etſi autem ingenue fatetur, euentum ſuo- p. 7.

*) Conf. comment. noſtr. Vol. XV. P. I. p. 71.

rum tentaminum experientiae DELLA TORRE fere prorſus reſpondiſſe, tantum tamen abeſſe cum Cl. FONTANA *) arbitratur, vt huiusmodi vitreorum globulorum ope vera et naturalis molecularum ſanguinis forma cognita reddi poſſit atque perſpecta, vt illi potius imaginem obiectorum omnino mutent.
p. 13. Etenim cum globulos ex vitro colore vario, eoque potiſſimum rubro tincto paratos, qui tam parui erant, vt oculo nudo vix poſſent conſpici, per apparatum microſcopicum DELLA TORRE contemplaretur, eos pariter in medio aliquantum tranſparentes apparuiſſe animaduertit; hinc, inquit, dubitandum non eſt, quin huiusmodi globuli, ſi tam minuti, qui ſanguineos globulos perfecte repraeſentarent, poſſent reddi, annulorum forma omnino conſpicui fierent.

p. 16. II. *Examen mineralogico-chemicum materiei, quae Herculaneum et Pompeios ann. aer. chriſt. LXXIX ſepeliuit.* In hac diſſertatione *Koeſtlinus* primum de natura illius materiei, qua *Herculaneum* et *Pompeii*, TITO imperante, obtegebantur, diſputat, et deinde argumentis variis probare annititur, aquam in horrenda hac Veſuuii eruptione magnam habuiſſe efficaciam. Eſt autem illa materies ex Puzzolana, ſeu puluerulentis cineribus, et topho vulcanio, ſeu cineribus ad ſe inuicem conglutinatis, quibus pumices et fragmenta lauarum poroſarum et ſolidioris generis inſperſa ſunt, mixta, eaque *Herculaneum* profundius ſepultum iacet, quam *Pompeii.* Ceterum ii cineres, qui *Pompeios* tegunt, gryſei et nigricantis coloris ſunt, iisque, praeter pumices et lauarum fragmenta, granati albi, opaci et quandoque ad angulos tranſparentes, qui magne-

*) Comment. noſtr. Vol. XVII. P. II. p. 242.

magneticam acum haud attrahunt, immixti deprehenduntur. Magnitudo horum granatorum non ſemper eadem eſt; maximi, quos Noſter vidit, pollicem in diametro aequabant; praeterea alii duritie granatis ſolemni gaudent, et ad chalybem ſcintillant, alii vitrea quidem vtuntur ſuperficie, admodum tamen fragiles ſunt; alii porro cryſtallinam, alii e contrario, iique potiſſimum minores ſphaericam figuram habent; immo ſunt, qui nucleum ex cineribus et topho in centro incluſum teneant. (Illi materiae, qua *Herculaneum* obrutum eſt, granati immixti nulli ſunt; certe KOESTLINVS haud vllos reperire in ea potuit, neque meminit auctoris, qui de illis mentionem feciſſet.) Iam, quo modo hi ci- p. 20.
neres ex Vulcano eo locorum fuerint delati, Noſter diſquirit, variisque rationibus commotus aſſeuerat, ignis atque elaſticorum vaporum vi eos imbris ad inſtar haud fuiſſe proiectos; nam omnes Pompeianae, et nonnullae Herculaneenſes domus, immo parua, eaque clauſa, neque in ſuperiori parte rupta cubicula tophi plena inuenta ſunt, qui ingredi ea omnino non potuiſſet, ſi ſub cinerum forma ex alto fuiſſet lapſus. Accedit quod Pompeianae antiquitates ab igne nullum fere detrimentum paſſae eſſe videntur, cuius quippe ſigna exhibere vtique deberent, ſi cinerum imber hoc oppidum obruiſſet; namque huiusmodi pluuiae vtplurimum candentes cadunt, ita vt Neapolis eam ipſam ob cauſam ſaepenumero incendii pericula patiatur. Hinc, inquit Noſter, vero omnino non eſt ſimile, meros cinerum imbres illa loca ſepeliuiſſe, ſed multo expeditius omnia explicari poſſe cenſet, ſi limoſa eruptio (*eruption boueuſe*) aſſumatur, neque tamen ea mera, ſed ita, vt imber cinerum et fragmentorum lauarum cet. ſimul locum habuerit. Hunc vero imbrem potius ſuper *Herculaneum*, et aquoſam eru-

ptionem ſuper *Pompeios* veniſſe ex eo Auctor colligit, quod in priori vrbe plures, quam in poſteriori, incendii reliquiae repertae ſunt. Reliqua argumenta, quibus Cl. Auctor ſuae opinioni robur addere ſtuduit, quemadmodum etiam varia limoſarum eruptionum exempla, quae laudauit, ſilentio prae-
p. 26. terimus. Granatos Pompeianos eo tempore ortos eſſe Noſter arbitratur, quo fluidae lauae particulae vaporibus elaſticis inhaerentes refrigeſcere coeperunt; nam illo tempore partes ſilicinae cet. ad ſe inuicem coire, et formam granaticam induere potuerunt.

p. 37. III. *De origine pumicis officinalis.* POTTII de pumicis origine ſententia ex eo refutata, quod in natalibus huius lapidis locis apud Vulcanos nunquam, aut ſaltem perraro asbeſtus reperiatur, Noſter ſuam de ortu eius mentem cognitam reddit.
p. 39. Scilicet, quum vitrum vulcanium nigrum (Pumicem vitreum L.), quod Cl. MINASI ex itinere per Calabriam, vbi Vulcani extincti ſunt, Neapolin tranſportauerat, vidiſſet, ipſique copioſe immixtum album pumicem, pumici officinali ſimillimum, deprehendiſſet, cogitationi eius ſtatim ſubiit, pumicem ex vulcanio vitro per maiorem ignis vim, ſiue maiorem vitrificationem oriri; ſucceſſiua quippe vitri illius in pumicem transmutatio animaduerti omnino poterat. Vt autem de hac ipſa re Noſter certior redderetur, tentamina quaedam inſtituit, expertusque hac ratione eſt, exigua, eaque tenuia huius vitri fruſta, quae vehementiſſimo igni, Borniano folle *) excitato, ſucceſſiue expoſuiſſet, non

*) De hac machina, quae eſt paruis mineralogicis experimentis inſtituendis admodum accommodata, alio tempore fuſius agere KÖSTLINVS ſibi propoſuit.

non ſolum ad margines fuſa comparuiſſe, verum etiam, ignis torturae longius adhuc expoſita, in materiem albicantem, et ſpongioſam, quae pumici ſimillima eſſet, fuiſſe mutata; hinc, inquit, perſpici omnino poteſt, officinalem pumicem ab ipſa natura ſimili ratione produci. Ceterum, cum vulcanium p. 43. vitrum lauae quaedam ſpecies ſit, illudque ab aliis lauis modo in eo differat, quod aequabilem magis fuſionem fuerit paſſum, et purius atque ſolidius referat corpus, pumicis officinalis origo omnino ex baſi omnis lauae genuinae repeti poſſet; at vero ex vulcanio vitro tantum pumicem, ex lauis minus puris autem ſcoriformes illas, easque celluloſas lavas, quas nonnulli etiam pumices vocant, generari, vero admodum eſt ſimile.

XIV.

HENRICI PALMATII LEVELINGII, Philoſ. et Med. Doctor. Anatomes, Chirurgiae et Inſtitutionum medicarum in Vniuerſitate Anglipolitana Prof. Public. cet. Obſeruationes anatomicae rariores de valuula EVSTACHII et foramine ouali, quas pro gradu doctoris defendit *Franc. Xaver. de Buglioni.* Anglipoli CIϽIϽCCLXXX. 4. plagg. 6. cum 2 tabulis aeneis.

Quae LOBSTEINIVS *) nuper de Euſtachianae valuulae fabrica atque vſu nobis cognita reddidit, ea Noſter ſuis obſeruationibus, de quibus in hoc libello retulit, confirmare potiſſimum annifus eſt.

*) Diſp. anat. phyſiol. *de valuula* EVSTACHII, Reſp. *I. M. Dioboldt*, Argentor. CIϽIϽCCLXXI. vid. comm. noſtr. Vol. XVIII. P. IV. p. 616.

eſt. Qua de re primum de vera huius valuulae ſtructura, quam in tribus funeribus, iisque adultis accurate eſt perſcrutatus, diſputat, et deinde vſum eius frenulorumque ipſi nonnunquam annexorum deſcri-
p. 11. bit. Recte autem, inquit, concluſit LOBSTEINIVS, *hanc valuulam haudquaquam inertem eſſe, quae viribus ſuis muſcularibus inſtructa ſit, hacque in re a venoſis reliquis valuulis diuerſa deprehendatur, cum aliis vero vſui*
p. 12. *maiori praefixis conueniat.* Si enim, pergit, trabis carneae, (quam ex fibris muſculoſis ex reticulata ſiniſteriori auriculae carne prodeuntibus, et illi valuulae EVSTACHII parieti, qui auriculam reſpiciebat, inſertis formatam, atque ex valuula transuerſim in cauo auriculae prolongatam, poſteaque vltra, quam cornu anterius valuulae, aſcendentem carni auriculae magis anteriori rurſus iunctam vidit,) et trabeculae ſeu fili carnei infra trabis illius inſertionem ex auriculae carne orti, (quod in plures partes iam ad cornu poſterius, iam ab anteriori cornu ad latiorem valuulae partem accedentes diuidebatur,) apparatum conſideremus, non poſſumus non huic valuulae prae aliis venoſis ſummam praerogatiuam
p. 14. adſcribere. Cenſet autem Auctor, his ſuis obſeruatis euictum omnino eſſe, vſum huius valuulae in eo cerni, vt, quo minus imminens venae cauae deſcendentis columna ſanguinis recta in venam cauam aſcendentem ruere, atque adeo perpetua impedimenta aſcenſuro ſanguini ponere poſſit, cohibeat. Ceterum, cum haec valuula, vt recte TREWIVS ſtatuit *), ob ſitum, inſitamque vim reſiſtere queat ſanguini, qui ſub cordis ſyſtole a valuulis tricuſpidalibus ad auriculam retropellitur, quanto efficacius hoc non praeſtiterit frenulis roborata? namque notandum eſt, impetum ex duplici iam notata potentia valuulae EVSTACHII potiſſimum ſub auriculae, ſinus-

*) De different. fetus et hominis nati, pag. 54. 55.

ſinusque dextri diaſtole aduenire; dilatata itaque auricula attrahet neceſſario frenula, quae quanto potentius fuerint retracta, tanto efficacius valuulam contra molem appriment, atque, vt reſiſtat, efficient. Praeterea horum frenulorum artificio potiſſimum fit, vt et ſanguis facilius ad oualem foſſam perueniat, et valuula iisdem roborata difficilius in reticula degeneret, ſicque limbus valuulae oualis in ſinu ſiniſtro retro iſthmum poſitus nequeat accreſcere, et ouale foramen etiam in adultis apertum reperiatur; etenim communis, hisque frenulis non inſtructa et euacuata valuula facile cedit, quando ex inferiore caua vena ad eam ſanguis vrgetur.

Omittimus reliqua, quae de horum frenulorum, ipſiusque valuulae vſu Noſter monuit, et hoc vnum addimus, LOBSTEINII canonem: *quod, quotiescunque valuula illa fortis ſit, et ita claudere continuauerit oſtium cauae venae aſcendentis, nec limbus eius fuerit detritus, immo legitime increuerit cum ſinu et aure, toties in adultis oſtium foraminis oualis apertum manſerit*, LEVELINGII obſeruationibus egregie eſſe confirmatum. Figurae huic diſſertationi additae elegantes ſatis ſunt, et ad illuſtrandam rem admodum aptae.

XV.

Vermiſchte chirurgiſche Schriften, herausgegeben von IOHANN LEBERECHT SCHMVCKER, *Königl. Preuſſiſchen erſten Generalchirurgus cet. Erſter Band. Berlin und Stettin, bey Friedrich Nicolai,* 1776. 8. *m. K. Seit.* 352.

i. e.

Miſcella chirurgica ſcripta a Cl. IOANNE LEBERECHT SCHMVCKER edita. Vol. I.

Perquam

Perquam laudabilis huius inſtituti fundamentum nititur potiſſimum in impedimentis remouendis, quibus bonae et vtiles obſeruationes medico practicae obliuioni traduntur. Etenim multi nolunt ſcribere et alii deſtituti ſunt occaſione ſcribendi et edendi, et ita multae probae obſeruationes ineditae manent. Quapropter inuitat eos Cl. SCHMVCKER, vt obſeruationes, quae vel nouitatem quandam prae ſe ferunt, vel illuſtrant iam factas easque confirmant vel vtilem tractandi chirurgicas laeſiones in ſe continent rationem, ſe cum communicent. Atque ita primum hoc volumen, quod quinquaginta et tres ſpectat obſeruationes, vulgatum eſt.

p. 1. 1) *De amputatione membrorum*, Auctore Cl. SCHMVCKER. Antiquitate huius operationis chirurgicae monſtrata, neque reiiciendam prorſus, neque vbique adhibendam eſſe Noſter opinatur. Id quod hic intelligi poteſt partim ex exemplis, partim ex rationibus additis. Calli formatio per octo menſes, imo per annum retardata eſt, impuritatibus vero humorum praeſentibus.

p. 21. Non ſemper ſequi oportet mortem amputationem praeſente iam lenta febre inſtitutam. Vidit Noſter patrem et filium eius ſex digitis in ſingula manu praeditos eſſe et erat minimus duplex.

p. 60. Confectum eſt, vt amputatione peracta arteria comprimatur et obduretur, quam vt ea ligetur. Ligatura efficit nouum vulnus et ita dolorem, id quod in modum comprimendi arteriam prorſus non cadit. Omnes itaque arteriae poſſunt comprimi, excepta arteria crurali, vbi ligatura maiorem affert ſecuritatem.

p. 71. Quemadmodum magna inſtrumentorum chirurgicorum copia partim eſt proſcripta, partim correcta,

recta, ſic et apparatum, amputationi ſeruientem, adhuc egere emendatione aſſerit Cl. SCHMVCKER. Quam igitur, additis iconibus, hic cum Lectoribus communicat.

2) Hiſtorico practica tractatio *de medico vſu hirudinum*, Auctore EODEM. Horum hiſtoria naturali et medica veterum et recentium Auctorum praemiſſa, ad ſuas obſeruationes de vſu hirudinum Cl. Auctor venit. In praeſtantiſſimis Cl. SCHMVCKERI obſeruationibus chirurgicis *) iamiam hirudinum vſum in ophthalmiis quibusdam exemplis confirmauit. Hic exempla narrat in capitis et dentium doloribus, anginaque inflammatoria. Quemadmodum in pleuritide veſicatoria loco dolenti perquam vtiliter applicantur, ſic Noſter ibidem in eodem morbo duodecim vſque ad ſedecim hirudines ſanguinem exſugi iuſſit cum celeri doloris remiſſione, et fruſtra praemiſſis venaeſectionibus. Periodicam haemoptyſin ex obſtructione menſium haemorrhoidumue ortam ſaepe iuuarunt hirudines ano inſertae. Incipienti panaritio bis Cl. Auctor ſuccurrebat applicatione hirudinum in digiti apice. Notum vſum eorum in tuberculis haemorrhoidalibus ſilentio praeteriit, monet vero hic quaedam contra eorum abuſum in hoc caſu. Si nimis magna nempe ſint tubercula, quae non penetrari poſſunt ab hirudinibus, atque ita nihil iuuant, imo, vti Noſter obſeruauit, origini carcinomatis ſeruiunt. Hic Noſter incisionem et exſtirpationem vtiliter inſtituit eamque valde ſuadet methodum ad pertinaciſſimas ani fiſtulas praecauendas et ligaturam, a nonnullis hic commendatam, multum inciſioni et exſtirpationi poſtponit. Porro in vrinae retentione, dyſuria p. 77.

et

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 472.

et teneſmo nec non veſicae haemorrhoidibus conducunt hirudines.

p. 118. 3) *Deſcriptio admodum ſimplicis machinae ad uniendam fracturam femoris*, Auctore Cl. I. A. THEDEN. Eſt haec machina minus ſumtuoſa, aegro commodior, quam hactenus inuentae; vrgenteque neceſſitate ſumma aeger grallarum ope incedere poteſt. Accurate ea hic eſt deſcripta additis iconibus.

p. 134. 4) Obſeruationes *de vſu aſae foetidae in carie oſſium*, Auctore Cl. BLOCK. Aſam foetidam cum conchis ſine igne praeparatis ſ. ſaccharo, addita camphora optimo cum effectu Noſter vſus eſt; interdum camphoram ſepoſuit, et aſae omnino vſum interdicit, febrilibus motibus praeſentibus. Quibus vero per venaeſectionem, temperantia et laxantia antiphlogiſtica lenitis, aſae vſum continuauit. Quatuor exempla eaque ſat periculoſa hic commemorat, bonum euentum huius curationis aſae ope prae ſe ferentia. Vlcera ſicco
p. 139. linteo carpto tegebantur. Octo diebus poſt vſum aſae animaduertebatur effectus in vlcere; foetidi nempe ichoris copia imminuta, foetor carioſus minor, lintea carpta non adeo amplius atra et argenteum ſpecillum pariter.

p. 163. 5) Obſeruationes *de ſerpigine ſ. herpete et effectu belladonnae in morbis melancholicis et hemiplexia ſeroſa*, Auctore Cl. OTTO IVSTO EVERS. Herpetis ſpeciebus variis memoratis, laudat Noſter diuiſionem in eſſentiales (*urſprüngliche*) et accidentales. Inter varia medicamenta, quibus vtiliter et inutiliter Noſter vſus eſt, reperitur quoque ſpiritus ſalis acidus, interdum et ſpiritus vitrioli, ab aliis pariter

riter

riter hic laudatum inprimis ſi carcinomaticae indolis erant. Quapropter quoque Cl. EVERS monet, acida omnino in carcinomaticis morbis ab interna cauſa ortis, forte plus prodeſſe poſſe, quam hactenus hic commendata remedia. Confirmatur hic a Cl. Au- p. 173. ctore belladonnae vſus cum rhabarbaro, quem alibi quoque indicauimus, in melancholia, interpoſitis laxantibus. Ipſe vſus eſt belladonna ad doſin recte definiendam, ſed optime eiusmodi medicamenta ab initio minori in doſi exhibentur, et dein diligenti in ſingulo aegro ſymptomatum ratione habita, caute et ſucceſſiue doſis mutari poteſt. Symptomaticum vomitum hypochondriacorum et omnino hyſterica ſymptomata ſpecifice iuuat belladonna pariter, quam cortex Peruuianus febres intermittentes. Vltimo p. 185. loco obſeruationes tres de hemiplexia ſeroſa ſeu pituitoſa hic Cl. Auctor tradit et felicia cum belladonna et in hoc morbo fecit tentamina. Belladonnae doſi ſenſim ſenſimque aucta, delirium paruum cum ſpaſmo totius corporis, et febris in laeſis partibus, dolor et tumor cum copioſo ſudore praecedebant facultati paralyticas partes iterum mouendi, quae in dies melior et liberior ſpectabatur. Reliqua ſymptomata, vt lingua, actionum animalium laeſio cet. ſubinde omnia euaneſcebant. Pulſus vero talem inter belladonnae vſum nacta fuerat fortitudinem, qualis venaeſectionem merebatur, qua inſtituta, priſtinam aegra recuperauit valetudinem.

6) *Miſcellae annotationes de diuerſis Auctoribus.* p. 195.

1) De ſuppuratione omenti ab externa cauſa Auctore Cl. BINGERT. Circa regionem ventriculi quidam ictum perpeſſus, dolorem remanentem per quatuordecim menſes negligebat. Quo facto, iterum aegrotabat et febre affectus, dolor hic inſigniter augebatur. Locum doloris diligenter perquiſitum

tum Noſter fluctuationem ſentiens, incidebat, et magna corrupti puris quantitate emanata, molle membranoſum corpus a Noſtro detegebatur, quod prouide extractum, portio omenti erat. Hac et alia minore extracta, vulnus tegebatur. Verſus decimum diem pus benignius et parcius animaduertebatur et 42 diebus praeterlapſis, vulnus conſolidabatur. Hernia ventralis ſubſequuta, bracherio coercebatur et aeger plena gaudet ſanitate.

p. 197. 2) Inteſtina perfodiebantur a maniaco, ſuper vertebras lumborum, vſque ad vmbilicum, et anus artificialis ita erat, nihilominus tamen his vulneribus dilatatis et ſanatis, per anum feces iterum exibant et aeger priſtinae ſanitati reſtituebatur.

p. 203. 3) Lithontriptica vis aquae calcis vno exemplo probatur.

p. 202. 4) De perforatione inteſtinorum a vermibus feliciter curata.

p. 203. 5) De fiſtula ani a calculo orta et ſanata, Auctore Cl. CONRADI.

p. 205. 6) De ſanata fiſtula vrethrae ab inueterata venerea cauſa.

p. 210. 7. 8. 9) De perinaei fiſtula ſanata, Auctore Cl. HORN.

p. 221. 10) Exſtirpatione tumoris maioris, qui nullam habebat cum haemorrhoidibus ſaccatis ſimilitudinem, in inteſtino recto, praeſtita, et deligatione minoris inſtituta, aeger ſanabatur. Similes erant hi tumores quoad figuram braſſicae floridae.

p. 226. 11) De carcinomatici teſticuli exſtirpatione feliciter facta.

p. 229. 12) Duo ſanata vulnera articulorum vſu externo aquae frigidae.

p. 232. 13) Fiſtula ani, quae veſicam penetrabat, dilatatione cet. eſt ſanata a Cl. SCHMVCKER.

14) Po-

14) Polypus naſi, tres et dimidiam vncias pon- p. 232.
derans, exſtirpatus eſt et haemorrhagiae ſat magnae p. 236.
ſedabantur, iniecto liquore ſtyptico cet. Aeger penitus ſanitati eſt reſtitutus.

15) Luxatio oſſis femoris feliciter repoſita. p. 237.

16) Sphaceloſum ſcrotum cum integumentis penis vſque ad cauernoſa corpora ſeparabantur, internis et externis remediis epidermis formabatur et intra duos menſes aeger plane ſanabatur.

17) Vulnus occipitis ſanatum, relictis debili- p. 242.
tate capitis et vertigine. Venaeſectio ſedabat vertiginem.

18) Steatoma trium vnciarum pondere inter p. 245.
duram et piam matrem efficiebat ſerum in ventriculis, animi deliquia, melancholiam et apoplexiam.

19) Letalia ſymptomata, vt vertigo, apople- p. 247.
xia cet. quae ſequebantur non nuper ſanatum capitis vulnus. Secto cadauere fiſſura in oſſe frontis nondum erat coalita et veſtigia aliarum fiſſurarum apparebant. Sinus longitudinalis ſanguine plenus erat. Subſtantia cerebri cinerea, vti gelatina, et medullaris, dura ſpectabatur. Siniſter ventriculus ſanguinis ſero et tumore impletus, dexter continebat tres vncias cruoris et tertius et quartus ſerum ſanguinis. Cranium erat admodum tenue.

20) Paralyſis, praegreſſa capitis laeſione, tre- p. 252.
panatione ſanata eſt, Auctore Cl. WVRM. Qua inſtituta et aegre externa tabula cranii perforata, emanabant recentis et calidi ſanguinis quaedam cochlearia parua. Quo facto aeger ſubinde nactus eſt ſanitatem.

21) De ſeparatione galeae aponeuroticae ca- p. 254.
pitis ab ictu, Auctore Cl. GEISLER.

22) De vulnere difficili oſſis frontis ſanato, p. 257.
Auctore Cl. PRETORIO.

p. 259. 23) De commotione cerebri ſublata, Auctore Cl. COELER. Ex hac morbi hiſtoria luculenter apparet calidorum epithematum in vulneribus capitis noxa. Per ictum enim commotorum, et debilitatorum cerebri vaſorum expanſio neceſſaria aucta eſt et perinde per auctum affluxum ſanguinis dolores et ſymptomata, ipſa aegra referente, increſcebant. Quapropter Cl. SCHMVCKER putat, multo melius fuiſſe, ſi poſt venaeſectiones frigida epithemata et clysmata ſtimulantia adhibita fuiſſent, quippe quae debilitata vaſa roboraſſent, et ſanguinis affluxum deriuaſſent.

p. 268. 24) De laeſione cerebri letali, Auctore Cl. PISTOR. Trium annorum infans impingebat ſeſe cultrum in lobum cerebri anteriorem. Quo vulnere die ſeptuageſimo ſexto morbi obiit. Secto cadauere, dura mater cranio accreta erat et pariter in ſiniſtro hemisphaerio cum arachnoidea, pia matre et cerebro cet. Culter penetrauit cerebrum pollice vno et dimidio, per ſuppurationem autem vulnus quinque pollices profundum erat cet.

p. 277. 25) De memorabili capitis vulnere, Auctore Cl. RAMDOHR. Globulus per ſinum frontalem cerebrum occupabat et aeger praeter ſtupiditatem nullas functionum animalium laeſiones patiebatur. Tandem lethargo et conuulſionibus periit.

p. 279. 26) De vulnere colliſo et vexato carpi ſine amputatione ſanato, Auctore RISENBECH.

p. 281. 27) Caries poſt viginti annos detecta et exfoliatione curata, Auctore Cl. GIESEMANN.

p. 283. 28) De vulnere capitis trepanatione cet. feliciter ſanato.

p. 284. 29) De luxatione vertebrae colli, Auctore Cl. SELLIN.

p. 286. 30) De luxatione vltimae dorſi et primae lumborum vertebrae, Auctore Cl. RÜDIGER. Apparet

inprimis

inprimis ex his obſeruationibus, medullam ſpinalem et neruos ipſos magnam extenſionem pati poſſe.

31) Colica ab oſſe acuminato veruecino deglutito et feliciter per inteſtinum rectum extracto, Auctore Cl. SPONIZER. p. 289.

32) De vulnere ſclopeti per pulmones cum ſcapulae fractura non letali. p. 292.

33) De ſcirrhoſo teſticulo ſine exſtirpatione ſanato in tribus exemplis, Auctore Cl. BVDEO. p. 295.

34) De vulnere inteſtinali. p. 297.

35) De ſcirrho trium et dimidiae librarum in thorace, qui rectum propemodum totum, ſiniſtrum pulmonis lobum dimidia ex parte obtegebat cet. p. 299.

36) De ſingulari fungo articulorum, Auctore Cl. GAEDICHE. Fluctuatione tacta, inciſio eſt tentata et fungus apparebat, qui, etiamſi quotidie ſeparabatur, ſingula vulneris inſpectione iterum accreuerat. Incrementum huius fungi et aliis remediis non poterat impediri, eoque carcinomatico aeger moriebatur. p. 301.

37) De fiſſura longitudinali tibiae curata. Duobus annis poſt moriebatur febre putrida, et Noſter illam fiſſuram explorabat, eamque inuenit callo vnitam ita, vti viuo aegro eam tactu ſentiri potuit. p. 303.

38) De empyemate feliciter facto. Decem iam annis a tempore operationis praeterlapſis, aeger hic ſanus eſt, nec vlla incommoda pectoris habet, de quibus conqueratur. p. 305.

39) Letalis ſuppuratio gaſtrocnemiorum, Auctore Cl. KÜHN. Fibula carie prorſus exeſa, tibia e contrario penitus illaeſa, excepto perioſtio, quod maculas paruas gangraenoſas oſtendebat, pariter initium cariei, erat. p. 307.

40) De ſuppuratione tunicae adipoſae per plurimas corporis partes. p. 309.

p. 312. 41) De manu fere penitus abſciſſa et ſanata, accedentibus variolis, Auctore Cl. IVNG.

p. 315. 42) De humero prorſus perſciſſo et ſanato, Auctore Cl. HOFFMANN.

p. 316. 43) De furunculo magno cum ſymptomatibus malignis, Auctore Cl. SCHOPPER. Symptomata ſunt febris vehemens cum deliriis. Cl. SCHMVCKER hic annotat eſſe hos furunculos prorſus diverſos a communibus, et nominat eos furunculos gangraenoſos, non adeo crebro occurrentes. Hi apparent cum vehementi febre inflammatoria et ſaepe cum deliriis. Non ſunt emolliendi, vti communes furunculi et, ſi incidantur, loco puris ichor emanat. Eorum ſedes eſt ibi, vbi tunica adipoſa eſt craſſiſſima, et Cl. SCHMVCKER ſemper eos in dorſo, hypochondriis, oſſe ilei et ceruice *) obſervauit et in ceruice ei erant periculoſiſſimi. Cauſa horum furunculorum videtur acrimonia eaque plerumque arthritica **), quae ſanguifera et lymphatica vaſa glandularum et tunicae adipoſae obſtruit, neruos ſtimulando febrem excitat reliquaque ſymptomata. Exemplis hic Cl. SCHMVCKER, hanc obſeruationem confirmat.

p. 324. 44) Letum ex nimia panis ſumti copia duobus exemplis hic narratur, Auctore Cl. HORN. Noſter puncturam cum acu triquetra hic commemorat, quam artis veterinariae medici ***) ſuadent.

45) De

*) Nos ceteroquin prorſus ſimilem furunculum ſingularem cum omnibus hic memoratis ſymptomatibus in inguine obſeruauimus.

**) Conuenit et hac in re noſtrum ſenis robuſti exemplum. Nam aeger per aliquot annos arthriticos dolores paſſus eſt, qui ſubinde euanuerunt. Vſus autem eſt quoque thermis Teplicenſibus furunculo hoc ſanato et fonticulum habet.

***) REIM *vollſtändige praktiſche Anleitung, das aufgeblähte*

45) De ſanatione aneuryſmatis ſimpliciſſima fasciarum applicatione, Auctore Cl. CRAMER. Non prorſus reiicit quidem Noſter machinas huc pertinentes, inprimis a Cl. ARNAVD inuentam, interim tamen arbitratur huic malo melius ſuccurri poſſe, ſi arteria pluribus locis, quam vbi laeſa eſt, premitur. p. 329.

46) De variis iisque ſat multis et magnis rebus deglutitis a melancholico, quae per anum exierunt, Auctore Cl. BLOCH. p. 333.

47) De vtilitate medicinae infuſoriae, Auctore Cl. KÖHLER. Miles deglutiebat magnum fruſtum carnis bouinae, quod medio in oeſophago intrudebatur. Quod cum nulla arte nec ſurſum nec deorſum moueri poſſet, emeticum Noſter per infuſionem tentabat, et eo per venam immiſſo, poſt ſemihorium magna cum vehementia illud fruſtum carnis euomebatur et aeger ſeruabatur. Non poſſumus hic Cl. HEMMANN *) hiſtoriam medicinae infuſoriae et transfuſoriae diligenter conſcriptam et certam eius applicationem reticere. Inuenientur hic lectu digna exempla. p. 335.

48) De vulnere capitis cum ſymptomatibus venereis, Auctore Cl. SELLIEN. p. 338.

49) De vrethrae laeſione et corruptione poſt partum, Auctore Cl. HAGEN. p. 342.

50) Letalis prolapſus coli per anum **). p. 345.

X 3 51) De

blähte Vieh durch untrügliche innere und äußere Mittel zu retten.

*) v. EIVSD. *medicinisch-chirurgiſche Aufſätze cet.* vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 142.

**) v. Memor. d'L'academie Royal. de Chirurgie. Tom. V. item. append. ad cent. IX. et X. Ephemerid. Acad. A. C. p. 109. it. LANCISII. Vol. II. Obſ. 103. Hic leguntur ſimiles obſeruationes.

p. 347. 51) De vomitu ſanguineo infantis ſine noxa, Auctore Cl. RISENBECK. Proſtant ſimilia exempla fluxuum ſanguineorum in infantili aetate *).

p. 349. 52) De partu difficili ob vaginae prolapſum, Auctore Cl. GIESEMANN ſen.

p. 351. 53) De ſuppuratione omenti a lapſu paulo ante partum, Auctore Cl. DÜBEL. Dolores inde orti ſopiebantur venaeſectione, fomentationibus, remediis anodynis cet. et tribus ſeptimanis poſt lapſum, magnus et vegetus puerulus in lucem edebatur. Quo facto redibant dolores antea ſopiti et, abſceſſu in ſiniſtro inguine apparente, ille incidebatur et foetido pure cum ſanguine emiſſo, corruptae partes omenti in conſpectum veniebant. Vulneris autem iuſta habita ratione, decem ſeptimanis praeterlapſis, aegra prorſus reſtituta eſt ſanitati.

XVI.

Traité de la petite verole augmenté d'un traité ſur les remedes domeſtiques, par Mr. GROSSIN DUHAUME cet. à Paris. 1779. 8. plagg. 555.

i. e.

G. DUHAUME commentatio de variolis, acceſſit diſſertatio de remediis domeſticis.

Principes enim medicos in iis deſcribendis ſequutus eſt Noſter, VAN SWIETEN nimirum in Commentariis ſuper aſphoriſmos BOERHAAVII, et DE HAENIVM in curandi methodo. Omnia ab his de hoc argumento docte dicta, in linguam tranſtulit Francogallicam, pauloque prolixius ab iis prolata

*) vid. Aduerſaria medico practic. Vol. III. P. III. p. 567. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 690.

prolata ita redegit in compendium, vt nihil, quod ad diagnoſin, prognoſin et curam huius morbi ſpectat, omiſerit. Suisque quoque additionibus textui ipſi inſertis hoc opus ditauit, atque incommoda coniuncta cum notis textui ſubiectis, abeſſe iuſſit penitus, vtque nihil deſideretur, quod explicandae naturae huius morbi ſeruiat, multa ex SYDENHAMO ad ſuos tranſtulit vſus.

Diuiſit autem hoc opuſculum in XXVI. articulos, quorum argumenta pauliſper recenſebimus.

Art. I. Agit *de origine variolarum*, qua quidem in re Auctores in duas abeunt partes, quidam enim antiquiſſimas ſtatuunt, quidam RHASIS tempore ortas, poſterioribus SYDENHAMVS et Noſter conſentiunt. p. 1.

Art. II. *De tempore, quo communiſſime graſſantur variolae.* BOERHAAVII et VAN SWIETENII ſententiae hic proponuntur. p. 3.

Art. III. *An fieri poſſit, vt quis infeſtetur bis variolis.* SWIETENIVS aliique negant hoc, SYDENHAMVS et MEADIVS aliique affirmant. p. 5.

Art. IV. *De contagio variolarum.* Omni tempore eas contagioſas eſſe docet SWIETENIVS. p. 8.

Art. V. *De effectibus contagii varioloſi in corpore humano, ſubiuncta deſcriptione variolarum.* Recenſentur hic ſymptomata praecedentia eruptionem variolarum. p. 14.

Art. VI. *De diuiſione variolarum in diſcretas et confluentes, ſecundum* SYDENHAMVM, *et in benignas et malignas ſecundum* MEADIVM *). p. 18.

*) Conf. *Opuſcula medica ex monumentis Arabum*, b. REISKII, p. 8. vbi ex Mſ. Arabico. Bibl. Leidenſis n. 53. euincit A. P. N. C. 572. in Arabiam variolas inuectas, paulo luculentior eſt locus apud EBN DOREID p. 165. qui variolas amaris ſuccis, *hantal, harmal* et *Oſchar* cunctas ſtatuit. Plures ſententias collegit Cl. GRVNERVS *in Antiqq. variol.* p. 16. ſeq.

p. 21. Art. VII. *De primo ſtadio ſiue prima periodo, inuaſionis dicta;* Hic laudatam SWIETENIO epiſtolam teſtamentariam a nobili femina relictam, qua absque omni remedio variolae ſunt ſanatae inuenimus.

p. 27. Art. VIII. Probatur *variolas vere morbum eſſe inflammatorium.*

p. 31. Art. IX. *De diagnoſi variolarum*, quam admodum incertam eſſe exemplo illuſtratur euidentiſſimo.

p. 35. Art. X. — XIV. *De fruſtraneis tentaminibus ſpecificum inueniendi aduerſus variolas.*

p. 39. Art. XV. *De ratione medendi in prima periodo indicata.* Quae ab omnibus morbis indicantur inflammatoriis, locum quoque in variolis habere poſſunt, interdum tamen eruptionem varioloſam ſine ſubſequente ſuppuratione eſſe poſſe ſtatuit Auctor. Deinde ex Auctoribus veteribus et recentioribus declarat antiphlogiſtica, praeprimis venaeſectionem, adhiberi ſolita eſſe ad feruorem exſtinguendum. SYDENHAMII aliam methodum addit, atque ex lit-

p. 66. teris BOERHAAVII datis ad BASSANVM, archiatrum Lotharingiae Ducis et in Bibliotheca Regia aſſeruatis hicque inſertis, explicat, qualem methodum hic praeſcripſerit.

p. 76. Art. XVI. Explicatur *methodus antiphlogiſtica, eiusque vſus in variolis*, qua venaeſectione, fomentationibus, gargariſmis, clyſteribus, potionibus diluentibus, acidulis, nitroſis, temperantibus et aliquo modo nutritiis, idemque victu tenui et renouatione aëris perpetua, contagio occurritur.

p. 108. Art. XVII. Vberius *firmantur, quae articulo praecedente prodita ſunt de vſu methodi antiphlogiſticae in variolarum inuaſione*, et in conſenſum ſimul Cl. BAILLOU trahit.

p. 114. Art. XVIII. *Secundum ſtadium, ſiue periodus eruptionis percurritur.* Signa huius ſtadii adduntur,

et

et de diuiſione BOERHAAVII et SWIETENII in tria tantum ſtadia, quarto reiecto, diſſeritur, ſimulque qua in re differant potiſſimum, declaratur. Qua
ratione autem caute verſandum, et praeueniendum, p. 128.
quae oculis accidunt, docet Cl. Auctor, quae ſint p. 129.
accidentia propria eruptionis ratione partium in- p. 131.
ternarum, quando deliria irrumpant, quid de ſali- p. 135.
vatione ſit ſtatuendum, ſi accedat, qualis ſit diar- p. 137.
rhoeae ratio, quomodo in haemorrhagiis praepri- p. 139.
mis narium ſit verſandum, quid in menſtruorum p. 141.
fluxu ſit obſeruandum, quae circa mictum cruen- p. 147.
tum, variolarum eruptionem comitantem, probe p. 149.
ſint tenenda, quid haemoptyſis portendat et qua ra- p. 152.
tione procedat, quae ſymptomata in inflatione capitis, palpebrarum tumore; accedant.

Art. XIX. *De diagnoſi et prognoſi in primo et* p. 156.
ſecundo variolarum ſtadio. Caute in hoc ſtadio et in diagnoſi et prognoſi facienda verſandum eſſe medico pluribus oſtenditur.

Art. XX. *Prognoſtica ſeorſim commemorantur.* p. 161.
Multa dicta hic ſunt, praeprimis quae ſpectant ad puſtulas cryſtallinas, ſiliquoſas et verrucoſas.

Art. XXI. *Cura in ſecundo ſtadio variolis adhi-* p. 178.
benda deſcribitur. Non ſolum hic ad remedia huic morbo apta, ſed et ad vitae rationem, quae coniunctis cum praeſidiis agit viribus, reſpicitur, ſigillatim vero agit de ſitu in lectis, de narcoticorum remediorum vſu et effectis in hoc ſtadio.

Art. XXII. *Tertium ſtadium ſiue ſuppurationis.* p. 195.
Signa primaria et ſecundaria, et pericula ex metaſtaſibus oriunda hic indicantur.

Art. XXIII. *Continuantur, quae hucuſque ſunt* p. 206.
tractata, ſimulque ſermocinatur Noſter de malis variolas comitantibus interdum, et quidem quoad partes ſolidas et fluidas, quorſum pertinent exulcera-

tiones, gangraena, ſphacelus, caries et alia mala. Illuſtrationis cauſa duo exempla producuntur, quorum prius Cl. TRILLERVS commemorauit, quo exfoliatio oſſium variolas inſequuta eſt, poſterius Cl. IACOTIVS retulit, quo os et guttur per pus varioloſum penitus corrupta fuere.

p. 215. Art. XXIV. *De cura tertii ſtadii variolarum.* Omnia eo redeunt, vt puris affluxus verſus externa dirigatur ſuſtineaturque. Si maturatio puris facta eſt, ſuadet, vt puſtulae aperiantur et pungantur, in puſtulis gutturi adhaerentibus, gargariſmatibus multum tribuit, ſaliuationem ſi accedat ſponte, laudat, quid de diarrhoea naturali vel artificiali ſit ſtatuendum, qualem vſum praeſtent purgantia in febri ſecundaria, quid de vrinae effluuiis iudicandum, quale adiumentum linteorum mutatione ſit ſperandum, quam vtilitatem in febri ſecundaria praeſtent acida, quid vſus Quinquinae in ea conferat, quid MORTONVS, MEADIVS, MONROVS, HVXHAMVS, LOOBVS in eius vſu animaduerterint, quid de venaeſectione in febri ſecundaria ſit ſentiendum, et quemnam effectum habeant clyſteres emollientes et laxantes. Hucuſque Cl. Auctor ſequutus eſt BOERHAAVIVM atque VAN SWIETEN, quum autem in ſuis aphoriſmis nullam mentionem fecerit quorundam ſymptomatum acceſſoriorum, ea adiecit

p. 262. ſupplementi loco, ſubiuncta ſimul medendi methodo. Itaque primum locum occupant *conuulſiones* ex SYDENHAMO, deinde narrantur dolores vehementes ſubito increſcentes, tertio glandularum tumores ſuppurationis tempore ingruente, quarto, ſuppreſſio vrinae, quinto mictus cruentus conſtipatus interdum cum grauioribus ſymptomatibus, ſexto, alii complicati morbi v. c. febres ardentes, putridae etc. ſeptimo, quomodo praecauendum ſit cicatricibus nimiis, et tandem ophthalmiae, quibus

ſubito venaeſectionibus, purgationibus repetitis et collyriis refrigerantibus eſt medendum. p. 274.

Art XXV. *Supplentur prognoſes, adiectis iudiciis de illis.* Multa lectu digna hic continet articulus, praecipue quae concernunt partes internas, niſi enim inflammatio in primo cohibeatur ſtadio ſufficienter, fieri vtique poteſt, vt grauiſſimi oriantur morbi, v. c. inflammatio cerebri, pulmonum, aliarumque partium nobiliorum, quod ne fiat, medico omni cura et attentione eſt proſpiciendum.

Art. XXVI. Denique *de inoculatione* diſſeritur, p. 291. ſuaque profert Cl. Auctor. Stat Noſter a partibus inoculationis eamque ipſam maiorem in modum laudat.

Appendicis loco addit traductionem latinam p. 331. *methodi variolis medendi* DE HAEN *), atque in ipſo praefamine ſuccinctam variolarum tradit deſcriptio- p. 333. nem, definitione praemiſſa, periodos varias, diuiſionem, et characterem puſtularum in confluentibus malignis variolis deſignat. Sequitur iam p. 341. Ill. DE HAEN methodus, quam ſuis obſeruationibus illuſtrauit, ſic v. c. emeticorum quidem vſum p. 343. laudat, attamen magna cum circumſpectione illum admittendum cenſuit, ſimili ratione de narcoticis iudicauit, demonſtrauitque hanc methodum exacte cum *Swietenia* conuenire. Ad calcem huius libri conſpicitur *Commentatio de reme-* p. 386. *diis domeſticis*, quae CELSVS eleganter *promta* appellat. Ingenue in ipſa praefatione profitetur p. 389. Cl. Auctor ſe diſſertationem egregiam FR. HOFFMANNI, *de praeſtantia remediorum domeſticorum* traduxiſſe, ita tamen vices interpretis geſſit, vt quaedam ad ipſum textum adderet, et nouos quoque inſereret articulos, ſignis quibusdam ab HOFFMANNI verbis diſtinctis. Itaque Sectio I. *de*

partibus,

partibus, quae alimenta conſtituunt. Breuitatis ergo potius, quae noua ſint addita et emendata hic conſiderabimus.

p. 397. Sectio II. *De piſis et lentibus.* Quum piſis virtutem lithontripticam tribuit Noſter, exemplum aliud affert de homine ope ſpiritus vitrioli et oleo tartari aëque ac aëre fixo a ſuo malo liberati, ſed idem remedium iamiam laudauit NATHANAELIS HVLME *).

p. 401. Sectio. III. *De raphanis et napis.* Laudat horum alimentorum vſum, praeprimis napas minores in Francogallia ac raphanum ruſticanum interne et externe commendat. Reprehendit quoque vul-
p. 405. garem modum praeparandi *ex napis ſyrupum*, et *Pariſinum*, quo fit ille per ebullitionem lenem, emendat ſuadendo, vt, quum per ebullitionem diſſipentur particulae meliores, addendum ſit alcali volatile quodcumque, praeprimis ſpiritus cochleariae, cuius quippe vires naparum viribus accedant proxime.
p. 407. Vim autem raparum, naparum et quae cum iis ad vnum genus referuntur praecipue cerni in febribus quartanis, maraſmo, et cachexia infantum, et cauſam in eo latere arbitratur, quoniam ſunt alcalinae, ſaponaceae, aperitiuae et antiſcorbuticae indolis.

p. 408. Sectio IV. *De braſſica.* Hanc plantam eſſe ſtatuit Noſter, quae in maiori copia aquam vegetatiuam contineat et corpus mucoſum ſit, in quo alcalinum principium non ſatis euolutum ſit, vnde magis nitroſae et refrigerantis naturae eam aſſerit.

p. 410. Sectio V. *De allio et cepis.* Allii virtutes Noſtro non probantur, illud tamen ab infantibus cum lacte et ſaccharo aduerſus vermes aſſumi poſſe cenſet.

Sectio

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 682.

Sectio VI. *De radicibus aperientibus.* Decoctum radicum cardui in glandularum obſtructione penes infantes, et radix petroſelini in lacteis tumoribus multum auxilii praeſtat, et daucorum pulpa topicum eſt in cancro. p. 413.

Sectio VII. *De quatuor ſeminibus calidis.* Eorum vſus in colicis reprehenditur, quia ea ſunt in principio ſpaſmodicae, ſimulque inflammatoriae. p. 417.

Sectio VIII. *De magna paruaque ſaliua.* p. 420.

Sectio IX. *De lauendula et rore marino.* p. 422.

Sectio X. *De mentha et meliſſa.* Aqua deſtillata menthae ad potionem RIVERII adhibetur. Ex meliſſa citri odore praeparatur aqua Carmelitarum, cuius abuſum monſtrat. Potus Theiformis ex meliſſa menſtrua auget, imminuitque fluorem album; ſi aequalibus partibus additur millefolium, vrtica alba, veronica mas et mentha, magis confert. p. 425.

Sectio XI. *De millefolio.* Huius virtutes praecipue in puerperarum morbis laudat, v. c. in magnis doloribus regionis hypogaſtricae, in tenſione infimi ventris, in pectorum anguſtiis, in febri increſcente, in totali lochiorum ſuppreſſione, in conuulſionibus, doloribus ingentibus, in dyſenteriis cum febre coniunctis. p. 429.

Sectio XII. *De floribus Chamaemeli.* Cuius virtutem antifebrilem iamiam laudauimus *) in febribus intermittentibus. p. 434.

Sectio XIII. *De abſinthio et fumaria.* p. 438.

Sectio XIV. *De naſturtio et cochlearia.* Horum commendatio ab HOFFMANNO intermiſſa ſuppletur a Noſtro fere vnam eandemque cum fumaria ipſis tribuit poteſtatem in morbis a bile proficiſcentibus cutaneis, lichenibus, et vi aperiente ſiue hepatica multum conferre dixit, poſſuntque aſſumi vel in aqua decocta vel cremore lactis, fructuſque p. 442.

acidi

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 655.

acidi cum beccabunga, cochlearia aliiſque plantis alcalinae indolis ſunt addendi.

p. 444. Sectio XV. *De chaerophyllo et veronica.* Eminere ait praecipue chaerophylli vim diureticam, vnde eius maxime cernitur vſus in diuerſis hydropiſeos ſpeciebus. Et quum HOFFMANNVS aliquarum plantarum aduerſus calculum mentionem fecerit, his alias addidit efficaciores et magis temperantes, herniariam ſcilicet et parietariam, quae prohibent calculi generationem.

p. 448. Sectio XVI. *De roſa, cyano, et cyano ſegetum.* Opportunitatem mentionis ſacchari roſati nactus ſaccharum laudandi, quia eſt ſalutare alimentum vereque pectorale, vi balſamica, deterſiua, liquefaciendi et antiſcorbutica praeditum. Suis quoque additamentis vim diureticam cyani firmare ſtuduit.

p. 453. Sectio XVII. *De floribus aurantiorum, acaciae, hyperici et chryſanthemi.*

p. 455. Sectio XVIII. *De floribus tiliae, primulis veris, liliis conuallium et gallio luteo.* Mucilagini tiliorum plurimum in arthrithide tribuit, ſed ſimilem effectum ſperare nos iubet Noſter ex pſillii et granorum lini mucilagine, aeque ac ex foliis opuntiae, ficu Indica.

p. 457. Sectio XIX. *De abiete et terebinthina.* Decoctum ex abietis foliis ſudorificum eſſe et mederi ſcorbuto maliſque eum comitantibus, dolores, contractiones etc. membrorum, aſſerit Cl. Auctor, qui addit hoc decoctum proficuum eſſe in arthritide vaga, in rheumatiſmo, in lichenibus etc. eiusdemque virtutis eſſe cum decocto antiuenereo, cuius deſcriptionem exhibuit BAVMIVS *).

p. 462. Sectio XX. *De iuniperis, eorumque extracto et ſale fixo.* Baccae iuniperi oleum eſſentiale continentes ad remedia ſtomachica, emmenagoga, alexiterica

*) vid. EIVSD. Elemens theorique et pratique.

terica et ſudorifica pertinent, vnde ad decocta commode poſſunt adhiberi. Extractum autem ſtomacho robur addit, digeſtionem reſtituit, auget tranſpirationem aliaſque ſecretiones, et conducit pituitoſis, in ſuppreſſis menſtruis, in chloroſi, in cachexia, hydropiſin egregie iuuat, et ſale fixo huius plantae cum vino albo hydropiſes poſſunt curari.

Sectio XXI. *De ſambuco.* Flores Sambuci in lacteis depoſitionibus in cataplaſmatibus, ſi omni p. 468. quatrihorio repetuntur, febrim et inflammationem minuunt, et ſi venaeſectio, potiones temperantes et diureticae cum arcano duplicato et terra foliata tartari repetitis vicibus vna vſurpantur, tota abſoluitur cura. Aqua deſtillata in morbillis, variolis, febre miliari et purpura confert. Et rob ſambuci cum theriaca comparatur, et in febribus, quia non tam calidae eſt naturae, vſum habet.

Sectio XXII. *De croco.* Bene monet crocum p. 473. in colicis puerperarum vſum habere, ſi ſint ſine febre et inflammatione, alio autem modo, ſi haec ſymptomata accedant, eſſe procedendum. Externe in depoſitionibus lacteis cataplaſmatibus poteſt miſceri ex floribus chamomillae, ſambuci, ſapone, mica panis et lacte paratis.

Sectio XXIII. *De aurantiis et pomis citreis.* p. 476. Hic commendat ſuum iulapium analogum iulapio RIVERII, cuius ſupra iniecta eſt mentio.

Sectio XXIV. *De pipere et nuce moſchata.* Nu- p. 482. cem moſchatam inter remedia collocat, quae grauidis feminis in perdito appetitu, affectionibus ſtomachi, vomitionibusque conueniunt, haec autem caute eſſe accipienda bene monet Noſter; nam quum calidae virtutis ſit, reliqua ſymptomata ſunt examinanda, num a plethora, humorum abundantia, aut ſpaſmis proueniant, quo incaſu venaeſectio et mitigantia proficiunt. Sic quoque

nucis

nucis moſchatae vſum cum alumine improbat in febribus intermittentibus ob cachexiam, ſcorbutum, hydropem aliaque mala inde oriunda.

p. 487. Sectio XXV. *De China.* Hiſtoriam huius corticis ita tradit, vt primum de eius primo vſu in Europa, deinde de partibus conſtituentibus ipſum diſ-
p. 490. ſerat. Porro de eius vſu cum purgantibus in febribus continuis remittentibus vel ſimplicibus vel cum comatoſis affectibus et paralyſibus coniunctis
p. 498. copioſius et accuratius agit. Electuarii deinde febrifugi et adſtringentis virtutem declarat, cui ſub-
p. 505. nectit varios ſuppeditandi illum modos. De electuario febrifugo et laxante quoque quaedam mo-
p. 506. net, ſimulque verba facit de electuario aduerſus epilepſiam.

p. 507. Sectio XXVI. *De Valeriana.* Notatur eſſe ſucciduum medicamentum ſerpentariae Virginianae in epilepſia ſimilibuſque morbis eſſe, et in infuſis, pulveribus, bolis cum ſucceſſu exhiberi poſſe aſſeritur.

p. 508. Sectio XXVII. *De oleo amygdalarum dulcium et oliuarum.* Laudem olei amygdalarum dulcium in ſpaſmis et contractionibus neruorum imminuit, praeprimis eius vſum in colica pictonum eſſe noxium cenſet, ſic quoque reiicit eum in omnibus morbis pectoris, vbi ſtomachus ſimul venit in conſenſum.

p. 512. Sectio XXVIII. *De oleo dulci ricini Americani.* Virtutem purgantem huius olei aduerſus taeniam admodum laudibus praedicat.

p. 514. Sectio XXIX. *De ſapone.* Conueniens eſt remedium in podagra, omnibuſque tumoribus arthriticis, in calculo, in acrimonia et obſtructionibus, in eroſionibus et inflammationibus.

p. 519. Sectio XXX. *De lacte.* Auctoritate BOERHAAVII et VAN SWIETENII cremorem lactis cum medicis Pariſinis celebrat, lac autem ſimplex aduerſus venena

venena efficacius eſſe, ſi aduerſus eorum effectus oleum eſſentiale aniſi cum vitello oui et oleo amygdalarum dulci, ſyrupo maluae et aquis diaphoreticis exhibentur.

Sectio XXXI. *De lapidibus cancrorum.* p. 524.

Sectio XXXII. *De alkali volatili.* Aduerſus morſum viperarum hoc proficit, deque modo agendi reddit rationem, ſimulque eius vſum probat in rabie, et ſi aſſumitur cum decocto ſudorifico, et ſyrupo capillorum Veneris paralyſibus medetur. p. 527.

Sectio XXXIII. *De ferro.* p. 533.

Sectio XXXIV. *De nitro.* p. 538.

Sectio XXXV. *De ſale marino.* Purgandi, ſolvendi, aperiendi vi aeque ac diuretica gaudet, et quia fertilitatem terrae conciliat, etiam corpori humano quam maxime conducere creditur. p. 541.

XVII.

Obſervations ſur la nature et ſur le traitement de la rage par Mr. PORTAL. Yverdon 1779. in 8. 186. plagg.

i. e.

Cl. PORTALII obſeruationes naturam rabiei eamque ſanandi rationem concernentes cet.

Ex Noſtri quidem conſilio hic liber partem operis *de ſede et cauſis morborum* conſtituere debuit, cuius editionem propediem curare voluit; at quum Societas medicorum Regia promiſerat, ſcriptiunculam de rabie diligentiori ſtudio elaboratam ornare praemio, et ſuis obſeruationibus publicandis non laudis tantum et gloriae ſtudio, quo tenetur propemodum optimus quiſque, inſtigatus, ſed vt ſaluti hominum proſpiceret in vniuerſum, ductus, ſuum

qualemcunque libellum doctorum virorum ſubmittere voluit examini. Vnde ſtatim in ipſius libelli fronte Lectores de conſilio, quo hunc laborem ſuſcepit, reddit certiores, ipſiusque materiae difficultatem, argumentique grauitatem maxima cum vtilitate coniunctam explicat perſpicue.

p. 1. Introductionis vice Cl. Auctor laudat vete-
p. 3. rum medicorum de rabie deſcriptiones, et ſigna prodit rabiei caninae ab HIPPOCRATE, ARISTOTELE, AVICENNA et COELIO AVRELIANO litteris mandatae, qua quidem in re nos miramur Cl. Auctorem non mentionem feciſſe DEMETRII CONSTANTINOPOLITANI *), quippe qui *de cura canum* ſcripſit et ſigna rabiei caninae, vti eius anteceſſores, diligenter quidem, ſed non exacte, quod ipſi quoque vitio verti nequit, delineauit. Sed recentiorum quoque ſigna commemorauit, inter quos Cl. PETITI ſententiae de ſigno rabioſi animalis ſubſcribit, qua fit, vt, ſi eiusmodi animal occidatur, eiusque os recenti portiuncula carnis teratur, eaque portiuncula cani alii propinata gemitum horrorem excitet, ſubſumamus, canem trucidatum vere fuiſſe rabioſum. His praemiſſis, duabus abſoluit opus partibus, quarum eſt haec ſumma.

p. 10. *Parte priori naturam rabiei* explicat, et ſtatim a diuiſione incipit, quae duplex eſſe deprehenditur, *ſponta-*

*) Prodiit hic libellus ſub titulo: PHAEMONIS *Philoſophi* Κυνοσοφιον *ſiue Liber de cura canum e IV. Mſſ.* Rhodio, *Auguſtano, et duobus Mediceae Biblioth. collatus et notis et variis lectionibus mactus a D.* RVDBERTO A MOSHAIM, *D.* ANDR. AVRIFABRO, *D.* NIC. RIGALTIO *atque D.* ANDR. RIVINO. Lipſ. 1654. quaternis. Hic liber ſecunda vice impreſſus eſt, Londini 1699. cum GR. FALISCI Cynegetico editore TH. IOHNSON, octonis. Exſtat quoque in *Scriptoribus rei accipitrariae* NIC. RIGALTII, Lutet. 1612. quaternis, quorum noua editio Lipſiae prodibit propediem.

ſpontanea et *communicata*. Poſtea ad *ſymptomata* cum Noſtro accedamus. Primum vulnera a rabido animali inflicta paulo curioſius intuetur, eorumque differentiam notat, dein de mutata rerum facie in exteriori corporis habitu conſpicua, aeque ac internis viciſſitudinibus diſſerit, quae quidem ſymptomata pro circumſtantiarum ratione haud raro differunt; quare duos huius morbi gradus ſtatuit, eosque declarat vberius. p. 16.

Quibus penſitatis, tranſit *ad corporum rabie defunctorum ſectionem*, quae nos ducit ad alterationum notitiam cauſarumque, et ſedis morbi cognitionem certam, atque efficit, vt eo felicius in morbis percurandis verſari queamus. Plura autem cadauera quum ſint incidenda atque inſpicienda, ſi tutiſſima ingredi cupiamus via, et huic rei ſeſe accinxit Cl. Auctor, quare multa laudat exempla, et quae in iis viſui eius fuere obiecta, commemorat. Quibus ſuas addit *obſeruationes* ac docet a plerisque Auctoribus rabiem cum hydrophobia confundi, quum tamen hi duo morbi non ſemper coniuncti eſſe ſoleant, et plerumque hydrophobia in quampluribus morbis ſyſtematis neruoſi accedat, effectusque ſit nimiae organorum, praeprimis pharyngis et oeſophagi ſenſibilitatis. *Horroris ratione liquidorum* inde orti *ſedem* ac *effecta* indicat, atque ſubiicit hydrophobiam pro ſymptomate tantum rabiei eſſe habendam. Interdum quoque fieri ſolet, vt tales aegri ferre nequeant lucis claritatem, vnde peculiaris horror *aëriphobiae* nomine inſignitus oritur, qui facile cum hydrophobia accedere poteſt, nihilo tamen ſecius et ſeparatim exiſtere eum affirmat. Pluribus tandem demonſtratur in *hydrophobia irritationem oculorum*, *ſenſibilitatem neruorum*, *muſculorum irritationem eſſe nimiam*, quid quod et ipſum cor reliquaque vaſa nimium irritabilia deprehendun- p. 28. p. 43. p. 44. p. 45. p. 46. p. 48. p. 49.

p. 54. henduntur; Quae omnia *febris intenſionem*, *priapiſmum*, *furorem vterinum aliaque mala* procreant.

p. 57. His tractatis, docet Noſter, *qua ratione ſeſe communicare queat rabies*, fit hoc videlicet per ſalivam rabioſi et quidem duplici modo, 1) *immediate* per ſaliuam rabioſi in os ſani immiſſam, et afflatum vaporoſum ardoremque, vt et per alimenta aliaque
p. 61. corpora hoc veneno infecta, 2) *mediate* per vias ſaliuales, quorum ope humoribus immiſcetur et ad neruos tranſit. Vberiori ſermocinatione non-
p. 69. nulliſque exemplis haec omnia illuſtrantur. Morbus autem facilius ſeſe prodit in *hominibus irritabi-*
p. 73. *libus* et *melancholicis*, quam aliis. Maioribus tamen difficultatibus implicita eſſe videtur quaeſtio *de ſede huius morbi*, nam Auctores mirum in modum hic diſſentiunt. Pharyngem et oeſophagum primariam ſedem huius mali ſtatuit Cl. Auctor, quorum ope humores infecti ad alias corporis transferuntur partes easque inficiunt.

p. 87. *Parte poſteriore Cl. Auctor de ſanandi ratione praecipit*, quae ad duo redit 1) vt virus animalis rabioſi impediatur, ne penetret ad interiora corporis, aut vt ex illis deriuetur locis, quae iam occupauerit, 2) vt corrigatur aut deſtruatur penitus vis ipſius letifera. *Primae indicationi* fit ſatis, lauando vulnus aqua tepida, ſale marino impraegnata, ſcarificationibus, aut quinque et ſex ſanguiſugarum appoſitione, quo facto demum operiundum vulnus puluillis cum vnguento digeſtiuo aut baſiliconis. Si autem caro ipſa vulneris ſit contuſa ac demortua, ad lotionem ipſius aqua vitae camphorata cum ſpiritu ſalis ammoniaci miſta adhibenda eſt, et linteis carptis cum vnguento matricali et ſtyrace vulnus tegendum; procedente rite ſuppuratione ſtyraci
p. 88. baſilicum ſubſtituendum, et quotidie inungendum vnguen-

vnguentum mercuriale. Si tamen ad cicatricem vulnus accedere videtur, lapis infernalis in ſubſidium vocandus et ſanguis per ſanguiſugas extrahendus. Poſtero die tartarus emeticus exhibendus, tertio demum die in balneum cum aqua tepida per vnam, aut vnam et dimidiam horam immitta- p. 89.
tur aeger, continueturque illud per viginti, aut viginti quinque dies. Aluus aperta ſeruetur clyſteribus, et quarta aut quinta die remedium exhibeatur purgans. Si autem nimia irritatio neruorum p. 91.
ſit, boli ſunt parandi ex Camphora, Moſcho, Nitro, addito pauxillo mellis.

Data occaſione vſum frictionum mercurialium laudat Noſter atque tradit bolos antiſpaſmodicos, cum frictionibus a quibuſdam praeſcriptos egregios edidiſſe prouentus. Si autem omnis potus horror non poſſit ſuperari, tres aut quatuor clyſteres omni quadrihorio applicari debent. Ipſa autem victus ratio ſit lenis, refrigerans ex regno vegetabili, et perparum carnis aſſumatur, motus corporis ſit modicus et omnes animi euitentur contentiones ſedulo. Ab initio reiterata p. 92.
venaeſectio, praeprimis in brachio, proficua eſt. Si ſeſe vulnus claudit, aperiendum eſt rurſus per ſanguiſugas, neque balnea tepida ſuo deſtituuntur vſu. Interim ſuadendae ſunt aquae acidula- p. 93.
tae cum nitro et aceto aut alio acido in vniuerſum ingurgitandae; ſi autem hanc potionem aeger auerſetur, ea propinetur, quam cupit, modo ſit refrigerans et leniens, ſi autem omnes potiones abominetur, refugiendum eſt ad clyſteres. Frictiones p. 94.
cum vnguento mercuriali et propinatio boli fiant quotidie, et remedia illa per longum tempus ſunt adminiſtranda.

p. 94. Variis obſeruationibus ipſam curandi ratio-
p. 95. nem Cl. Auctor illuſtrat. Hiſtoriam cauterii, eius-
que effectus decantatos a veteribus, et a quibus-
dam recentiorum commendatos commemorat, at-
p. 100. que inſtituto examine, ſcarificationibus palmam con-
cedit. Subiungit his ſuas obſeruationes de venae-
p. 103. ſectione in ipſa curandi ratione inſtituenda, quae
p. 105. potiſſimum in eo eximiam ſuam exſerit vtilitatem,
vt motus cordis et arteriarum ſit legitimus, vt cir-
culatio ſanguinis aequa ſit per omnes partes corpo-
ris et inprimis per cerebrum: praeterea irritatio-
nem neruorum minuit et in ipſorum origine aeque
ac progreſſu, et toti corpori quietem procurat.
Pergit et reliqua in curanda rabie obſeruanda exami-
ni ſuo ſubiicere, vnde de balneis et potionibus ſer-
p. 106. monem inſtituit. Ante omnia diſquirit, quaenam
p. 107. balnea et potiones conueniant, num frigida, an ca-
lida? vtrum ex aqua marina an fluuiatili? Vtrum
ſubito aeger ſit intrudendus in aquam, et vi ad-
p. 110. igendus ad potiones. Variis hac de re medico-
p. 111. rum principum ſententiis propoſitis, praeferenda
balnea marina eſſe affirmat, et immerſiones vio-
lentas fugiendas; pariterque balnea tepida frigi-
dis praefert.

p. 113. Vſui interno mercurii nequaquam patrocinari
videtur Cl. Auctor, potius frictiones mercuriales
p. 120. commendat quam maxime, et his potiſſimum inni-
titur argumentis, quia illud remedium partes vul-
neri adiacentes proxime tangit, quia exterior vſus
mercurii tutior eſt interiori, quia rabioſi vel nolunt
vel nequeunt deglutire, et officii noſtri ratio hoc in
caſu a nobis exigere videtur, vt omnia remouea-
mus ſedulo, quae repugnantiam procreent, et tan-
dem quia ipſae obſeruationes externo vſui mercurii
p. 122. fauent. Peculiari quoque capite purgantium ac
vomitoriorum remediorum virtutes in hoc morbo
comme-

commemorantur. Veteres draſticis magnam tribuerunt vim aeque ac fortioribus vomitoriis remediis, quibuſcum recentiorum nonnulli conſentiunt. Sed LASSONIVS mitiora ſuadet, cui adſtipulatur Noſter, quia draſtica purgantia et vo- p. 123.
mitoria medicamenta neruos magis irritant, et inflammationem producere poſſunt: igitur mitiora praemiſſa ſanguinis miſſione, tamdiu per quinque et ſex dies vna cum frictionibus adhibenda ſunt. Tandem et antiſpaſmodica, quorum vſum NVGEN- p. 124.
TIVS primum ſuaſit, a Cl. Auctore conſiderantur. Itaque reprehendit Auctorem illum, qui hunc morbum conuulſiuum tantum eſſe, nequaquam autem inflammatorium credidit, ideoque vſum mercurii neglexit, qui tamen remedii ſpecifici loco eſt habendus. At vſum *camphorae et muſci* antiſpaſmo- p. 125.
dicum tot exemplis comprobatum non reiicit, ta- p. 126.
men bene diſtinguendum eſſe docet, inter eos, qui ab animalibus morſi ſunt pro rabidis tantum habitis, et inter eos ab animalibus morſos, in quibus iam vis venenata periit, et inter eos vere venenatos. Ergo primos methodo ab ipſo praeſcriptae tribuit. p. 128.
Maius autem vt ſuis aſſertis pondus addat iisque auctoritatem conciliet, prouocat ad obſeruationes p. 129.
in quibusdam aegris inſtitutas, ſalutarem effectum methodi praeſcriptae comprobantes. Multa hic exempla narrantur, quae non ſolum docent, qua ratione in eiuſmodi morbis ſit verſandum, ſed et ſupra dicta declarant.

Vltimo loco Cl. Auctor libros de rabie com- p. 141.
poſitos laudat et diuerſas ſanandi rationes diligentiſſime deſcribit. Ordine chronologico hunc Auctorum effecit indicem, incipiendo a GALENO vſque ad noſtra tempora, et non ſolum librorum argumenta indicauit, ſed etiam iudicio ſuo inter-

poſito declarauit, qua in re vnuſquiſque ab altero differat, quaque via ingreſſus ſit in ipſa ſanandi ratione.

XVIII.

A radical and expeditions cure for a recent catarrhous cough a chapter on te vis vitae ſtrictures on the treatment of compound fractures. By IOHN MVDGE F. R. S. Lond. 1779. 8. c. f. pagg. 252.

i. e.

Radicalis et cita methodus medendi tuſſi catarrhali cum obſeruationibus quibusdam ſupra vim vitalem corporis humani et fracturas complicatas. Auctore Cl. IO. MVDGE.

Translatus eſt hic liber in linguam Germanicam *). Phyſice de aëre et phyſiologice de pulmonibus diſputatur in prima ſectione. Poſtea progreditur Noſter ad nodos pulmonum eorumque exulcerationes. Ad eos praecauendos et arcendos ſuadet fonticulos, venaeſectionem, diaetam omnino humorum circuitum temperantem cet. Hanc reuulſionem materiae morboſae ad externas partes per externa remedia, quam et alii laudarunt, Noſter putat idcirco non ſemper a medicis practicis iamiam

Sect. II.

*) *Abhandlung von dem catharrhaliſchen Huſten, in welcher zugleich eine gründliche und geſchwinde Heilungsart deſſelben mitgetheilet wird, nebſt einigen Bemerkungen über die Lebenskraft des menſchlichen Körpers, und über die Behandlung complicirter Beinbrüche, durch* IOHN MVDGE. *Aus dem Engliſchen überſetzt. Leipzig,* 1780. 8.

iam effici poſſe, quod nimis leniter et molliter hanc rem tractant. Cauterii enim veterum loco, inquit Noſter, hodie veſicatorium paruum ſeu fonticulus eligitur atque ita non tanta materiei quantitas, quanta ſufficit, elicitur. Atque hoc cadit, vti Noſter arbitratur, in omnem omnino medicinam. Id quod exemplo catalepſiae pertinacis confirmat, quae magna radicis Valerianae ſylueſtris doſi ſubinde quotidie ab aegra ſumta feliciter curabatur. Maiori doſi medicamenti hic omnia tribuit Noſter, et ſimilia exempla narrat de cortice Peruuiano cet. Quibus inſertis redit Noſter ad vlcera artificialia inter ſcapulas, quae ſuadet in phthiſi et Ipſe expertus eſt. Febre lenta cum iam Noſter laboraret et multis fruſtra vſus eſſet remediis e. gr. aquis mineralibus, cortice cet. magnum fonticulum duorum vſque trium pollicum in diametro, quadraginta vſque quinquaginta piſa in ſe continentem ſcapulas inter ſuas patiebatur. Quo in ſuppurationem redacto, in pulmonibus irritatio, aſthma et cetera ſymptomata omnia ceſſabant, nec vnquam redibant. Praeterea lacte aſinino et diaeta vegetabili huic externae curationi ſuccurrebat.

Ad mutationem aëris eiusque in morbis pulmonum vtilitatem, quae ex itineribus marinis cet. iam patet, demonſtrandam, exemplum tuſſis ferinae inprimis elegit Cl. Auctor. Qua per menſem fere durante, (nam morbus tum ſummum nactus eſt faſtigium et priusquam hoc factum eſt, mutatio aëris nihil prodeſt) aeger ſi aërem mutat, in melius manifeſte vergit tuſſis haec. Sed per omnes quatuor quinqueue dies locus alius, vbi moratur aeger, eſt eligendus. Nam aëris effectus paucis diebus hoc in caſu ceſſant. Nouo autem aëre iterum iterumque curato, noua morbi correctio apparet atque ita

 breui

breui, aegro ſanitas plerumque prorſus reſtituitur. Citum auxilium autem, quod ferunt itinera marina, quaerit Noſter in eo, quod diu noctuque vnum eundemque aërem volatilibus particulis bituminoſarum et terebinthinae inſtar ſubſtantiarum impraegnatum pulmonibusque debilibus ac laeſis adeo conuenientem ita optimo modo inhalet atque inſpiret aeger. Phthiſi pulmonali conſiderata, ad alios eiusdem organi morbos, vt aſthma humidum, catarrhum cet. progreditur.

Sect.III. Ii morbi, qui disquiruntur in tertia ſectione, oriuntur vel a laeſione organi reſpirationis vel ab omni omnino corporis conſtitutione. Catarrhus oritur a ſuppreſſa perſpiratione, nec raro phthiſeos initium eſt, niſi caute tractetur. Recentem celeriter iuuat opio et inhalatione aquae tepidae vaporis, quem vaporem ſimplicem, multis aliis remediis pectoralibus tentatis, omnibus praefert, et ad quem inhalandum machinam hic deſcribit et in icone communicat, interdum quoque ſola et mane veſperique repetita inhalatione ſine opio. Expertus eſt huius localis remedii celerem virtutem Ipſe Cl. Auctor.

Praemiſſis de vi vitae, quatenus in conſeruanda et recuperanda ſanitate efficax cernitur, contemplationibus, ad complicatas fracturas accedit Noſter atque earum ſimpliciorem ſanandi rationem proponit. Loquitur hic de principio redintegrationis amiſſarum particularum in corpore humano. Aërem vulneribus omnino obeſſe iiſque putredinem conciliare exemplis patet. Igitur arbitratur Noſter maius periculum et difficiliorem ſanationem in fracturis complicatis pendere a methodo ſanandi. Nam ſimplici fractura praeſente, repoſitio et deligatio vna vice abſoluitur, et membrum quieti

traditur

traditur et naturae. E contrario in complicatis crebrior deligatio vulneris, aëris acceſſus et irritatio frequens cernitur. Quapropter ſimpliciorem methodum ſuam, fauſtis exemplis partim ſuis, partim ab aliis communicatis probatam vno Noſter, tantum caſu declarat, quae eo redit vt prima deligatio non mutetur, ſed ſubinde balſamo traumatico humectetur. Non in omnes fracturas hanc methodum cadere poſſe facile largitur, vbi vero vulneris et fracturae ratio hanc methodum permittit, eam quoque ſuademus.

XIX.

Lettere ſopra A. CORN. CELSO al celebre Abate GIROLAMO TIRABOSCHI. Roma, 1779. 8. pagg. 278.

i. e.

Epiſtolae *) de A. CORN. CELSO ad celebrem Abbatem HIERONYMVM TIRABOSCHIVM ſcriptae (a V. Cl. BIANCONIO).

Multa, quae vitam, patriam, aetatem, vitae genus, ſcriptosque huius medicorum CICERONIS libros concernunt, tot tantiſque premuntur difficultatibus, obſcuritatibusque vt propter dubitationum comple-

*) Vernacula harum epiſtolarum verſio prodiit Lipſiae in officina Gleditſchia 1781. 8. IOH. LVDWIG BIANCONI *Sendſchreiben über den* A. CORN. CELSVS *an den Abt* HIERONYMVS TIRABOSCHI *aus dem Italiäniſchen überſetzt, von* L*** *nebſt einer Zuſchrifft von D.* CARL CHRISTIAN KRAVSE; quam quidem verſionem optime fide factam eſſe fatemur ingenue, epiſtolaque dedicatoria a Cl. KRAVSIO praemiſſa ipſi libello novam conciliauit auctoritatem praeſtantiamque, qui multas

complexum, ſententiarumque ſibi admodum aduerſantium farraginem, quid ſtatuendum ſit ab eruditis viris, cuique opinioni aſſentiendum potiſſimum, dictu difficile ſit. Vnde Cl. BIANCONII ſtudium in eruenda huius rei veritate, verſatum eſt ita, vt quam plurima de CELSO certiora reddere clarioraque laudabiliter et perutiliter ſuſtinuerit, vt autem de praeſtantia libelli, antiquae eruditionis pleni iudicare queant Lectores, paucis argumenta ſingularum epiſtolarum recenſebimus.

p. 1. Igiter Cl. Auctor in *prima epiſtola* rationes, quibus ad ſcribendum animum applicuit, explicat. Otium videlicet, quo in agro Mandoletico fruitus
p. 3. eſt, opportunum ipſi viſum eſt de CORNELIO CELSO diſquiſitionem examini Cl. TIRABOSCHII ſubiiciendam proponere, quae occaſione quoque oblata, alias quoque res lectu iucundas, ſcituque vtiles et hiſtoriam CELSI illuſtrantes habet intertextas. Fertilitas ipſius regionis, vbi commoratus eſt, aeque ac amoenitas Muſis fauens animum excitauit, tempus perſcrutandis veterum monumentis omne propemodum conſumere. Ipſa Peruſia non longe diſtans inſcriptione veteri PERVSIA AVGVSTA inſignita,
p. 7. obſidionis difficultatem ab AVGVSTO factae Cl. Auctor in memoriam reuocauit, cladeſque FLAMINII ad lacum Traſimenum ab HANNIBALE perpetrata antiquae hiſtoriae vſum ipſum edocuit. At multo gratiora ſeſe hic ei obtulerunt, et aëris ſerenitas, tempeſtatis gratiae, et muſcorum ornamenta tot tanto–

multas illi inſeruit vindicias lectionum a ſe receptarum, quibus egregias addidit animaduerſiones, ſed etiam, quae ad editiones ſpectant, ſupplere omni accuratione ſtuduit, qua quidem re hiſtoriae literariae CELSI permultum denuo conſuluit Cl. KRAVSIVS.

tantorumque doctiſſimorum virorum effigiebus illu-
ſtrata ipſi occaſionem CELSI imaginem adumbrandi
et ad viuum diligenter pingendi dederunt. Haec
praefaminis loco priori continentur epiſtola.

Secunda epiſtola aetatem CELSI concernit, qui p. 11.
quum auctore QVINCTILIANO *) ante GALLIO-
NEM ſeniorem vixit, primis Imperii AVGVSTI annis
ſcripſerit neceſſe eſt, vnde et aureae aetatis ſcripto- p. 13.
ribus iure eſt accenſendus, quod et elegantia ſtili
dictioniſque grauitas ſatis comprobare videntur.
GALLIONIS autem nomen Noſtro anſam ſuppedi- p. 14.
tauit de eius declamationibus amicitiaque cum OVI- p. 15.
DIO et SENECA, et prouerbio *plena Deo* fuſius agen- p. 17.
di, qua occaſione Mecaenati tribuit ſenſus boni de- p. 20.
prauationem, his temporibus ortam et ad poſterio-
ra fideliter propagatam, cui et OVIDIVS ſua quae- p. 21.
que contulit.

Tertia epiſtola probat ex ASCLEPIADIS eius- p. 25.
que ſucceſſoris morte, THEMISONIS nimirum, de-
quo CELSVS **) dixit THEMISON *nuper*, CELSVM p. 26.
ſub AVGVSTO ſuos compoſuiſſe libellos. Accura- p. 27.
tius autem in Epocham, qua ASCLEPIADES floruit,
inquirit, eo praeprimis conſilio, vt dubitationibus
quibusdam ſeſe opponat acriter, PLINIVMQVE re- p. 33.
futet, ASCLEPIADEM quemdam Grammaticum, qui
temporibus POMPEII M. celebris fuit, cum Medico
eiusdem nominis confundentem. Quum autem p. 35.
CICERONIS auctoritas, annum 663 morti ASCLE-
PIADIS aſſignantis, obiiciendo quodam anachronis-
mo labefactaretur per Cl. Abbatem Peruſſinum
Cerbonium, eam magis confirmatus eſt, tandem p. 37.
philologico criticas obſeruationes haud contemnen-
das de formula *nuper* THEMISON adiecit.

Epiſtola

*) Orat. Inſtitt. L. III. c. 2. **) L. III. c. 4.

p. 40. *Epiſtola quarta* de tempore, quo CELSVS ſuos
commentarios ſcripſit, diſquirit, quod quidem breui
poſt THEMISONIS mortem fuiſſe conſtat, quum ad
eum vſque hiſtoria medicinae a CELSO in praefa-
p. 41. tione tradita pertingat, quocum PLINIVS conſentit,
quippe qui repetitis omnibus a CELSO proditis re-
bus vlterius in hiſtoria deſcribenda progreditur, et
ſtatim ANTONIVM MVSAM ſubiicit. Ex quo iure
colligit Cl. Auctor CELSVM ante ANTONIVM vixiſſe
p. 43. vitam, quia ob celebritatem nominis cum praeterire
p. 44. neque potuiſſet, neque debuiſſet, praecipue quum
ipſe ſtatua iuxta AESCVLAPII imaginem publicis
exſtructa ſumtibus honoratus ſit, et tanquam medi-
p. 45. cus AVGVSTI primarius in curando iecinore vitiato
p. 46. Imperatoris inclaruerit. Qualis autem ille morbus
fuerit, qualis morbus alius cuiusdam *perſonae ſplen-
didae*, vix determinare audet Cl. BIANCONI, ſed quid
p. 48. per *contrariam medicinam* ſit intelligendum clarius
verboſiusque illuſtrando explicat. Obiter quoque
p. 56. reprehendit IOH. HARDVINVM, ſtatuentem imme-
rito ANTONIVM ASCLEPIADIS fuiſſe auditorem.

p. 58. *Epiſtola quinta* argumentum de ANTONIO
MVSA magis illuſtrat, quem CELSVS quidem ſilen-
tio multis difficultatibus vtique implicito praeteriit,
et qui tamen familiaris et medicus HORATII fuit.
p. 59. ANTONII quidem auctoritas collapſa morte MAR-
CELLI infeliciſſime percurati dubitationem aliquam
p. 61. poſſet mouere, verum quum tota hiſtoria auctorita-
te vnius DIONIS CASSII partium ſtudio ſeducti, et
p. 62. hac in re fide deſtituti nitatur, cui PROPERTIVS
contradicit aliam mortis cauſam afferens, et VEL-
p. 64. LEIVS PATERCVLVS, SENECAQVE, ne MARCELLI
quidem mentionem faciant, MARCIAM ob filii obi-
tum conſolantes, illa dubitatio euaneſcit protinus.

Epiſtola

Epiſtola ſexta ad obiectionem a Cl. HANNI- p. 69.
BALE MARIOTTI factam reſpondet, qua aſſeruit
CELSVM TIBERII vixiſſe temporibus, prouocando p. 71.
ad loca COLVMELLAE *) in quibus CORN. CELSVS
et IVLIVS Attici viri temporum eius nominantur.
Sed hoc non obſtante CORN. CELSVS temporibus p. 72.
COLVMELLAE ſcriptor eius contemporaneus dici
poteſt, hoc tantum diſcrimine obſeruato, vt CEL-
SVS ſenex fuerit, COLVMELLA vero virilem egerit
aetatem. Simili ratione Cl. LVDOVISI obiectio, p. 74.
a vita SCRIBONII et CASSII petita, quae Cl. BIAN-
CONI aduerſari videtur, diremta ac diſcuſſa eſt.
Verum nouam pauloque intricatiorem propoſuit
Cl. MARIOTTIVS dubitationem ex PLINIO petitam. p. 76.
Is enim docuit colicam TIBERII innotuiſſe tempo-
ribus, verum quum de ea egerit CELSVS, exinde
colligit, eum vel temporibus TIBERII ſcripſiſſe,
vel paulo poſt. Verum colicam ante TIBERIVM p. 79.
Romae extitiſſe certiſſimum eſt, vnde lectionem p. 81.
apud PLINIVM in voce colica deprauatam eſſe a li-
brariis liquet. Haec tamen diſputatio hanc vtili- p. 84.
tatem praeterea attulit, vt fuſius de quinque nouis p. 85.
PLINII morbis actum ſit, videlicet de *Lichene*, de
Carbunculo, de *Elephantiaſi*, de *Gemurſa*, et tandem
de *Colo*, qui poſtremus morbus ex alio a librariis
per metaſchematiſmum profectus.

Epiſtola ſeptima de libris CELSI agit, inter p. 95.
quos *artes* primum occupant locum, quarum argumentum fuit *introductio* in omnes artes, quam vulgo vocant *encyclopaediam*, quod veteribus ex codicibus patet, exhibentes titulum. *Artium* A. CORN. CELSI *Liber VI. medicinae vero liber primus;* vnde ſimul coniicit Noſter antecedentes de *re ruſtica* et *pecuaria* egiſſe. Plura quoque volumina CELSO tribuun-

*) De R. R. L. Lib. I. c. 1. L. III. c. 17. L. IV. c. 8.

p. 96. tribuuntur, v. c. *initia rhetorica*, *rei militaris prae-*
p. 97. *cepta*, *philoſophiae commentarii*, *de apibus eorumque*
p. 98. *cura commentationes*, *ſcholia in* VIRGILIVM etc. quae
p. 100. prorſus interiere. Libros de re medica aeque ac
p. 102. re ruſtica a PLINIO fuiſſe vſurpatos proxime veritati
p. 108. accedit, quum iiſdem paene verbis vſus ſit. Verum
p. 111. in admirationem forte quis trahi poſſet, quod ne-
que GALENVS neque COELIVS AVRELIANVS ne
vno verbulo eorum meminerint. Qui autem bene
perpendit GALENVM et Latinorum fuiſſe contem-
torem et Latinae linguae propemodum ignarum,
p. 113. AVRELIANVM autem SORANVM EPHESIVM ſibi
elegiſſe ducem, et AFRICANVM quoque fuiſſe, vbi
forte CELSVS non innotuit, omnem dimittet admi-
p. 115. rationem. Tandem Cl. Auctor rationem reddit, cur
tantum libri de medicina ſuperſint, quam in eo re-
perit, quia vnicus fuerit libellus in ſuo genere me-
dicus perfecte elaboratus, quo carere Romani non
poterant, ideoque ſaepiſſime eum deſcribendum
curarunt, reliquorum autem CELSI librorum alia
prorſus fuit ratio, quum alii eiusdem argumenti
libri ab aliis concinnati exſtarent et in omnium ver-
ſarentur manibus.

p. 117. *Epiſtola octaua* diſputat de praenomine CELSI,
quod AVLVS *) nequaquam vero AVRELIVS fue-
p. 118. rit ex codice Vaticano docet. Patriam CELSI quod
attinet, neque Parmenſem neque Veronenſem eum
fuiſſe aſſerit Cl. BIANCONI, ipſi ſufficit eum vitam
p. 120. Romae degiſſe, eum quoque ex nobili et ingenua
progenie natum eſſe affirmat et quidem ex gente
p. 121. *Cornelia*, quamquam et viliſſimi homunciones hoc
p. 123. adoptauerint nomen. Verba quoque facit de exi-
mia CELSI doctrina et animi probitate, quae potiſſi-
mum

*) Vide GOTTLIEB STOLLENS *Anleitung zur medici-niſchen Gelahrheit.* p. 65.

mum cernitur in abominatione viuorum mortique p. 124.
addictorum hominum anatome, in laudibus HIPPO-
CRATI ob ingenuitatem confeſſionis erroris cuius- p. 125.
dam tributis, et in verecundia, qua morbos delineat
membrorum ad generationis negotium pertinen-
tium. Denique traditur, CELSVM *) artem medi- p. 127.
cam non exercuiſſe, eiusdem tamen fuiſſe peritiſſi-
mum, qua quidem in re multos habuit aſſeclas Ro-
manorum, quippe qui ſibi honori ducerent artis
medicae non prorſus expertes eſſe, vnde CICERO, p. 131.
VARRO, OVIDIVS, VIRGILIVS, LVCRETIVS, LV- p. 133.
CANVS artis medicae luculenta veſtigia in ſuis libris
oſtendunt.

Epiſtola nona demonſtratur CELSVM fuiſſe co- p. 140.
mitem et amicum TIBERII in itinere expeditionis
bellicae cauſa inſtituto in orientis regiones, quod ex
HORATIO **) patet, qui tamen Bibliothecam Pa-
latini APOLLINIS ſpoliaſſe dicitur, quod neque eo p. 141.
conſilio dictum ab HORATIO videtur, vt ei labem p. 146.
adſpergat, erat enim familiariſſimus CELSI, ſed vt
de eius ſtudio litterarum iuſto teſtimonium perhi-
beat. Rerum enim diſciplinarumque diuerſitas mul-
tam lectionem requirebat aſſiduamque, librique eo
potiſſimum conſignantur fine, vt eos vere in no-
ſtrum conuertamus vſum. Etſi compilatorem quis p. 148.
dicere eum mallet, non adeo refragatur Noſter, at
innuit tamen multas ingenii dotes requiri, ſi quis
hoc

*) Olim in veteri Roma a ſeruis medicinam fuiſſe exer-
citam vulgaris eſt opinio A. IOH. FR. IVGLERI comm.
de nundinatione ſeruorum, et medico Romano ſeruo
ſexaginta ſolidis aeſtimato, Lipſ. 1748. et M. IOH.
BENVENVTI, della condizione de' medici preſſo gli
antichi, Peruſe et Romae, 1779. 8.

**) L. I. Epiſt. 3.

hoc defungi velit officio, ita, vt inutilia probe ab
p. 149. vtilibus ſecernendo ſeparet, excellenti autem ingenio CELSVM fuiſſe praeditum declarat atque eum aduerſus QVINCTILIANVM *) defendit, aſſerentem eum non in primis ſcriptorum, tamen in ſecundis tertiisque conſiſtere. Contra quam quidem
p. 150. opinionem fortaſſe quis moneat, CELSVM ab HORATIO non indigitari, quia CELSVS recentior ſit et cognomento ALBINOVANVS appelletur; verum CELSVM non eſſe recentiorem ex ſupra dictis patet, cognomen autem non ſemper apponi multis exemplis declaratur, eumque omnino hoc cognomine ſalutatum inſignitumque fuiſſe probatur vlterius. A crimine autem compilationis nefariae libe-
p. 155. ratur per illam ſocietatem, quam TIBERIVS nomine *ſtudioſae cohortis*, cuius erat ſocius, ſecum abduxit.

p. 159. *Epiſtola decima* demonſtratur, CELSVM OVI-
p. 160. DIO familiariter fuiſſe vſum cum C. IVLIO HYGINO, IVLIO ATTICO, IVLIO POMPONIO Graecino, qui ſcriptoribus Georgicis iunguntur, inque eius
p. 164. laudem noſtris quoque temporibus elegia OVIDII **)
p. 167. exſtat. Quam quidem amicitiam in palatio FABII MAXIMI contractam quotidianaque conſuetudine magis magisque confirmatam multa egregiaque teſtimonia a Noſtro propoſita nos dubitare ſinunt mi-
p. 168. nime. Hanc familiam MAXIMI non ſolum ſtirpis nobilitate, generis ſplendore, et doctrinae copia nobilitatam et frequentia hominum doctorum quotidie paene ornatam fuiſſe pluribus explicat Noſter, atque aſſerit quamplurimos ibi viros doctrina excellentes in eius palatio eo potiſſimum conueniſſe conſilio, vt ſuos conſcriptos libellos praelegendo

examini

*) Orat. inſtit. L. XII. c. vlt.

**) L. de Ponto L. I. El. 9.

examini atque cenſurae amicorum ſubmitterent, quod peculiari ſolennique formula recitare dixe- p. 170. runt. Sic VIRGILIVS ſua Georgica, OVIDIVS He- p. 171. roidas, Medeam, Libros amorum, de Arte amandi p. 172. et alii ſuos quoque recitarunt libros. CELSVS autem et OVIDIVS amiciſſimi fuerunt MARTIAE, dulciſſimae FABII coniugis, et haec eſt cauſa, propter quam OVIDII coniux ſociali vinculo cum MARTIA p. 173. intime fuit vnita et *comes* dicta. Ex omnibus his determinat, qua periodo CELSVS ſuos confecerit libros, quam intra annum A. V. C. 724 et 731 collocat. Hoc tempore praeterlapſo, poſt reditum p. 177. videlicet CELSI, omnia in domo AVGVSTI in dete- p. 179. rius vergere videbantur. LIVIA multis artibus et aſtu, ambitioneque erat impraegnata. OVIDIVS p. 181. tandem in exilium mittebatur. CELSVS ipſum quouis conſolatus eſt modo, ipſique omnia bona ſperare iuſſit. At quatuor annis poſt exilium OVIDII elapſis, CELSVS ſenex mortuus eſt, et MAXI- p. 183. MVS eius exſequias honorificas eſſe curauit. MARTIAM autem aduerſus PLVTARCHVM eius fidem p. 187. dexteritatemque in ius propter mariti fatum letale vocantem defendit. Qua defenſione ſuſcepta et finita, ad CELSVM OVIDIVMQVE Cl. Auctor oratio- p. 189. nem redire iubet, et CELSVM OVIDII, eum ipſum noſtrum CELSVM eſſe ſtatuit, prouocans ad Elegiam, qua poſteritati innoteſcere voluit, ſeſe habuiſſe amicos eruditionis copia generisque nobilitate conſpicuos, vnde et poſt funera CELSVM erga MAXIMVM laudibus extollit. At quum OVIDIVS p. 193. HYGINVM ex ſuis libris exſulare iuſſit, inde factum eſſe videtur, quod cum ipſo HYGINVS malefice et iniurioſe egerit, eiuſque rei cauſa Ibin ab OVIDIO p. 194. compoſitum eſſe ſtatuit Noſter. Sed neceſſitudinis p. 196. quatuor Georgicorum ſcriptorum cum OVIDIO hanc ſubeſſe cenſet cauſam, quoniam ipſe agricul-

 turae

turae et ſtudioſiſſimus fuit et amantiſſimus, quod
vberius et dilucidius explicatur.

p. 204. *Epiſtola vndecima* hiſtoriam Codicum CELSI
p. 204. manu exaratorum ſiſtit, primo loco Codicem Va-
p. 211. ticanum collocat, ſecundo loco ponit Codicem Flo-
rentinum Bibliothecae Mediceae, qui fuit Codex
p. 227. AMBROSII Mediolanenſis. Tertius Codex LINDE-
NII mendoſus Pariſinus eſt, hunc excipiunt tres alii
p. 231. Codices Vaticani, et quinque eiusdem tenoris, ſed
p. 233. multo recentiores. Sex Codices Bibliothecae Me-
p. 234. diceae. Alius Codex in Bibliotheca Eſtenſi, in
p. 236. Bibliotheca Electorali Manheimenſi, aeque ac Ele-
p. 237. ctorali Bibliotheca Monacenſi, alius Bibliothecae
p. 238. Ambroſianae et ſex Codices a DIONEO ad editio-
p. 239. nem ROVILLII collati. In Hiſpania et Magna Bri-
tannia multi quoque exſtant, quorum tamen exacta
ad nos nondum peruenit notitia, et ſicco, quod aiunt,
p. 240. pede etiam Codices a MORGAGNIO collatos tranſiit
Cl. Auctor. Egregie ſuo officio in his deſcribendis
iudicandiſque verſatus eſt Cl. Auctor, vt omnes ad
exemplum eius ſeſe conformes reddere teneantur,
qui hiſtoriam critico litterariam auctorum veterum
conficere ſtudent.

p. 250. *Epiſtola* tandem *duodecima* varias editiones
p. 252. CELSI ſub examen vocat. Antiquioribus quidem
palma prae LINDENII aliarumque ad eius exem-
plar expreſſarum conceditur, quia LINDENIVS in-
genio ſuo nimium indulſit, et in coniecturis fin-
gendis proponendiſque paulo licentius, quam par
p. 254. fuit, verſatus eſt. Recentiores inter editiones Lipſi-
enſi a Cl. CAROLO CHRISTIANO KRAVSIO ador-
p. 255. natae iuſtas decentiſſimaſque tribuit laudes aeque
ac additis a Venerando ſene DANIELE GVILIELMO
TRILLERO obſeruationibus emendationibuſque.

Nec

Nec ſpernendam eſſe LEONARDI TARGAE Vero- p. 258.
nenſis editionem propter Codicum collationem. p. 258.
Recentiſſimam vero Pariſinam Cl. VALARTI prae-
ter literarum elegantiam et chartae nitorem nihil
continere, quod lectores litterarum cupidos allice-
re poſſet, aſſerit. Editiones plures promiſſae ſunt,
ſed Editores promiſſis non ſtetere, quorſum pertinet
GRONOVIVS, Medicus Lugduno Batauus, LVCHT- p. 260.
MANNI fratres Batavi, et ipſe BIANCONIVS, ſed p. 261.
quum Cl. LVPPACHINI editionem aliquam curan- p. 262.
dam ſibi ſumſit, ipſi ſuas ad vſum tradidit chartas,
verum LVPPACHINI non cunctando, prouti inter-
dum fieri ſolet, perdidit rem, ſed hydrophobia cor- p. 263.
reptus et exſtinctus hanc ſpem ſecum lenes abri-
puit in auras. Chartae autem Bianconiae ad Cl.
Abbatem MARIOTTI redierunt, a quo propediem
editionem nouam CELSI magno cum deſiderio ex-
ſpectamus. Quod reliquum eſt Noſter conqueri-
tur falſo a Cl. ERNESTI in Bibliotheca latina FA- p. 264.
BRICII ipſi tribui, ſe accepiſſe a B. GVNZIO, qui
idem conſilium CELSI edendi inierat, chartas, quae
cum non ita ſint, ingenue, vt virum probum decet,
remouet.

Coronidis loco adiecta ſunt editoris Cl. con- p. 267.
ſilii declaratio, quod in edendis his epiſtolis habuit,
et Cl. TIRABOSCHII reſponſio, qua Cl. Auctor gra- p. 269.
tias agit ob correctiones et emendationes, quibus p. 278.
ſuam hiſtoriam litterariam illuſtrare et perfectiorem
reddere ſtuduerit. Index huic libello adiectus ma-
iorem ipſi gratiam vtilitatemque conciliat, ſumma
enim cura eum factum eſſe intelleximus. Ceterum
ſuſpicionem ob acceptas a Cl. GÜNZIO obſeruatio-
nes in chartas coniectas Cl. KRAVSIVS in epiſtola
praemiſſa Teutonicae editioni, verboſius a Noſtro
remouet, atque affirmat ſe huiuſce rei cauſa ad Cl.

Filium B. GÜNZII poliatrum Waldheimenſem litteras dediſſe, quibus rei veritatem experiri voluit, et a quo demum certior ſit factus, ipſum omnia, quae a patre in chartas ſuper CELSI libros ſint coniecta, in ſcrinio ſeruare.

XX.

D. JACOB CHRISTIAN SCHAEFFERS *Abbildung und Beſchreibung der elektriſchen Piſtole, und eines kleinen zu Verſuchen ſehr bequemen Elektricitätträgers. Bey welcher Gelegenheit zugleich von einem Luftelektrophor vorläufige Nachricht ertheilet wird. Regensburg, bey Montag,* 1778. 4 *Bogen in* 4. *mit* 3 *Kupfertafeln.*

i. e.

Delineatio et deſcriptio ſclopeti minoris electrici atque electrophori experimentis admodum idonei. Accedit de aëreo electrophoro relatio. Auctore I. C. SCHAEFFERO.

Conſtitit nuper ALEXANDRI VOLTAE *). Itali tentaminibus, eam eſſe electrici ignis indolem atque naturam, vt, quemadmodum alia inflammabilia corpora, ita etiam phlogiſto refertum aërem lubenter accendat, modo idonea ratione cum hoc ipſo aëre, eoque vel ex lacubus collecto, vel chemico artificio acidi vitriolici ope martis limatura expulſo electricus ignis communicetur. Atqui hanc ipſam rationem cum ſibi repetitis experimentis SCHAEFFERVS reddiderit cognitam, eam in hoc libello accurate deſcribere, iconibusque illuſtrare ſtuduit. Hinc primum refert, cuius indolis
p. 10. machina

*) *Briefe über die entzündbare Luft der Sümpfe, von* ALEX. VOLTA. *Aus dem Jtalieniſchen überſetzt, von* C. H. KÖSTLIN. *Strasburg.* 1778.

machina ipſa accendendo inflammabili aëri accommodata, ſiue ſclopetum minus, eſſe, et quibus ex p. 12. partibus ea confici debeat; deinde enarrat modum, quo in generando, colligendoque inflammabili aëre vtendum ſit, ſimulque, qua methodo ſclopetum aëre hoc implere conueniat, exponit, et tandem p. 17. explicat, quid interſit agere, vt aër accendatur, ſclopetumque diſplodatur. In his autem problematibus ſoluendis ita omnino verſatus eſt Cl. SCHAEFFERVS, vt perſpicuitatis vbique habuerit rationem. Siue enim ſpectemus ea, quae ad ſclopetum ipſum parandum pertinent, ſiue ad methodum, qua in hoc inſtrumento aëre inflammabili implendo vti conueniat, reſpiciamus, ſiue ad alias enchireſes advertamus animum, nihil nos abeſſe ab iisdem deprehendimus, quod illi, qui huiusmodi negotiis peragendis operam impendere velit, poſſit prodeſſe. Hinc commendandum valde hunc tractatum, quem- p. 19. admodum etiam annexas eidem de electrophoris diatribes, quibus quippe eaedem laudes debentur, illis eſſe, qui electricis experimentis delectantur, perſuaſiſſimi ſumus. Ceterum, etſi huius libelli dignitas id omnino exigeret, vt in eodem recenſendo eſſemus prolixiores, plura tamen referre cum inſtituti noſtri ratio, tum iconum defectus vetat; nam ſterilis profecto atque hiulca futura eſſet omnis noſtra oratio propterea, quod figuris eam illuſtrare haud poſſumus.

XXI.

Noua phyſico Medica.

Academia Regia Scientiarum *Pariſienſis* quaeſtionem, quae vaſorum lymphaticorum ſyſtema, eiusque expoſitionem ſpectabat, an. 1777 propoſuerat. Quum vero nulla ex tractationibus miſſis Academiae praemium mereri videretur; conſtituit hanc quaeſtionem, quae pertractaretur, rurſus proponere. *Y a-t-il des vaiſſeaux lymphatique des pluſieurs eſpeces, comme on l' avoit d' abord avancé? Quelle en eſt l' origine et la terminaiſſon? Toutes les parties du corps en ſont-elles pourvues? Comment ces vaiſſeaux ſe comportent-ils dans les glandes conglobées? Enfin quelle eſt la route, que ſuivent ceux de leurs troncs qui peuvent étre rendus ſenſibles? Suntne vaſa lymphatica varii generis, vt quidam affirmarunt? quaenam eſt eorum origo, et quorſum terminantur? Suntne omnes corporis partes his ipſis vaſis inſtructae? Quae eorum eſt ratio in glandulis conglobatis? Qualem denique viam deligunt illorum ramuli e trunco egreſſi, quatenus oculis cerni poſſunt?*

Haec ſunt notatu digniſſima, quae Academia, diligenter vt explicentur, optat, ita vt nihil, niſi facta tradantur. Anatomia comparata hoc modo anthropotomiae ſubuenire poterit, ſi in ſtatu ſanitatis, nequaquam vero morbi, conſideratur, quia hoc in ſtatu organiſatio partium, naturae organiſationi non ſatis quidem reſpondet. Sed vt viris doctis tempus concederetur, quo inueſtigare poſſent, qua ratione haec res difficilis magis plana atque perſpicua redderetur, vſque ad conuentum Paſchalem an. 1782. vbi praemia diſtribuenda eſſent, diſtulit; tractationes autem ante Cal. Ianuar. eiusdem anni mitten-

tendae ſunt. Quum obſeruationes, quae noui quoddam prae ſe laturae eſſent, inquirere decreuerit; vt editores, quo modo hac in re verſati ſint, de inſtrumentis, quibus vſi ſint, de ſubſtantiis, quas iniecerint, rationem redderent, poſtulauit. Praemium eſt 1500 librarum. Cuiusuis nationis viri litterati ad hanc rem elaborandam inuitati ſunt, etiam membra Academiae peregrina; ordinariis palma Academiae non continget. Tractationes lingua Latina ſ. Gallica ſcriptae, vectigalibus ſolutis, ad ſecretarium Academiae mittendae ſunt.

Societas Regia Scientiarum *Haunienſis* quaerit *geneſin aëris puriſſimi, vulgo dephlogiſticati, ex calcibus metallorum, vel per ſe, vel acido nitri ſaturatis, nouis experimentis ad maiorem claritatis gradum perducere, caput mortuum exactius examinare*, et *inquirere, anne eadem aëris ſpecies ope aliorum acidorum produci queat?*

Libelli Germanice, Danice, Gallice aut Latine ſcripti ante exitum menſis Auguſti 1781. impenſis ſolutis, ad Secretarium Societatis, Equitem DE DANEBROG mittendi ſunt. Praemium eſt moneta aurea centum thalerorum.

Academia Scientiarum Regia *Burdigalenſis* in annum 1781. optat huius quaeſtionis ſolutionem: *Quae inſecta variis vitibus maximum afferunt detrimentum*, et *quae reperiuntur remedia*, *quibus haec animalcula aut plane exſtirpentur, aut qua ratione certe eorum ſaeuitiae ſubueniatur?*

Cuius libellus Academiae exſpectationi reſpondet, is praemio condecorabitur trecentis libris.

Eadem Academia in annum 1782. quaeſtionem propoſuit hanc: *Quae cauſa ſubeſt lecti min-*

ctioni, ſiue incontinentiae vrinae in ſomno? Quid eſt, quod originem huius infirmitatis praebeat? Eſtne conſuetudini tribuendum, atque apparet tantum ſtatis temporibus, nec ne? Et quae extant remedia aduerſus hoc malum experientia diuturna confirmata?

Commentarii, ſolutis vectigalibus, Gallice aut Latine ſcripti ad Cl. LAMONTAINE, Conſiliarium comitiorum Guyennenſem mittendi ſunt. Praemium, cuius auctor matrona eſt, conſtat trecentis libris.

Electoralis Academia Scientiarum *Manhemienſis* in annum 1781 quaeſtionem hanc cum viris eruditis communicauit.

In animalibus fulmine vel naturali vel artificiali percuſſis, cauſam mortis indubiis obſeruationibus et experimentis definire.

Praemium eſt duplex, ſingulum quinquaginta numorum aureorum Hollandicorum. Quae praeterea ſunt attendenda, in mittendis commentariis ſupra monuimus.

Upſalienſis Scientiarum Societas Cl. viros IACQVINVM, Profeſſorem Vindobonenſem, FONTANAM Abbatem Florentinum, BERNOVLLIVM Profeſſorem Berolinenſem et MASKELYNVM, qui Gronvici prope Londinum degit, inter ſuos Sodales recepit.

IOANNES CHRIST. FRIDERICVS SCHARF Medicinae Doctor et Practicus *Ilmenavienſis* inter ſodales Academiae naturae curioſorum receptus eſt ſimulque COSMI cognomen obtinuit.

A Societate Regia Scientiarum *Haunienſi* reportauerunt praemium aureum Cl. BLOCH, M. D. Beroli-

Berolinenſis, atque argenteum Cl. IOSEPHVS AVGVSTVS EPHRAIM GÖZE pro quaeſtione, *ſeminium vermium inteſtinalium* cet. attinente et a nobis ſupra *) indicata.

LEONHARD. LVDOVICVS FINKE Medicinae Doctor et comitatus Teclenburgenſis Phyſicus, Profeſſionem medicinae in Gymnaſio Lingenſi nuper obtinuit.

IOANNES ANDREAS MVRRAY a Potentiſſimo Sueciae Rege inter Equites Ordinis Waſaici eſt relatus.

L. CRELL medicinae apud Helmſtadienſes Profeſſor a Sereniſſimo Duce Brunſuicenſi metallicarum rerum conſiliarius factus eſt.

IOANNES STEPHANVS HAVSMANNVS Brunſuicenſis Medicinae Doctor, Anatomiae in collegio anatomico chirurgico Brunſuicenſi, poſt obitum ROLLINI **), factus eſt Profeſſor.

DE LA SONE in LIEVTAVDII ***) locum ſuffectus eſt.

Mortui ſunt:

PAVLVS S'GRAEVWEN medicinae, botanices et chemiae Profeſſor apud Groningenſes 11 Octobris 1779. *Gröningiae*, natus erat 1715.

IOANNES PAVLVS LIMPERANI medicinae Profeſſor *Romae* 1779 octogeſimo aetatis anno.

D. S. VON MADAI medicinae Doctor, Iulii die 11. 1780. ſeptuageſimum primum aetatis agens annum *Halae*.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 343.

) vid. ſupra. p. 525. *) vid. ſupra. p. 246.

IOANNES BAPTISTA PASSERI Iurium Doctor, variis ad naturalem hiſtoriam ſpectantibus ſcriptis, quae olim laudauimus, clarus, *Peſari* die 4 Februarii 1780. Natus erat die 10 nouembris 1696.

IOANNES METZGER Aſtronomiae Profeſſor Mannhemenſis, iunio 1780.

ADAMVS NIEZKY medicinae ordinarius Profeſſor d. 27. Sept. 1780. *Halae.*

HIERONYMVS DAVIDES GAVBIVS medicinae in Academia, quae *Lugduni Batauorum* floret, ordinarius Profeſſor, quo ſeſe addicauerat munere 1775. ob ſenectutem, aetatis anno ſeptuageſimo ſexto die 29 nouembris 1780.

IOSEPHVS LIEVTAVD die 6 decembris 1780. *Pariſiis* ſeptuageſimum ſextum celebrans aetatis annum.

IO. NEPOM. FELLNER medicinae Doctor et Phyſiologiae Profeſſor die 12 eiusdem menſis et anni. *Vindobonae* anno aetatis triceſimo.

CAR. PHILIP. GESNER, Medicinae Doctor d. 23. Iul. 1780. *Dresdae.*

CETTI Auctor libri Deſcrizione de la Sardeigna, Tom. I. – III. 1774 – 1777. cuius prima pars mammalia, altera aues, tertia piſces et amphibia continet, paulo poſt editionem huius libri.

IOANNES FOTHERGILL. *Londini* eodem menſe et anno ſexageſimum nonum aetatis annum numerans.

IOANNES DANIEL FLAD, qui de naturali potiſſimum hiſtoria bene meruit, *Manhemii.*

SAMVEL MVSGRAVE, *Londini* 1780.

IOANNES LVDOVICVS BIANCONI *), *Romae* primo 1781. anni die apoplectico inſultu, annos viuens ſexaginta et octo.

IOANNES

*) vid. ſupra p. 113.

IOANNES ADAMVS HOFFMANN medicinae in Gymnaſio Herbornenſi Profeſſor et Phyſicus prouincialis ſeptimo 1781 anni die ſeptuageſimo tertio aetatis anno *Herbornae*.

I. G. RVNGE Medicinae Doctor, Anatomiae et Phyſices Profeſſor et Poliater ianuario 1781. *Bremae* quinquaginta et quinque annos inter viuos verſans.

ERNESTVS IEREMIAS ROLLINVS Medicinae Doctor et Anatomiae Profeſſor in collegio anatomico chirurgico *Brunſuici* ianuario 1781. Annos ſeptuaginta et quatuor vixit.

Viri Cll. C. B. FVNCCIVS, N. G. LESKE, et C. F. HINDENBVRG, Profeſſores Lipſienſes, edere coeperunt: Promptuarium phyſico mathematico oeconomicum, (*Leipziger Magazin zur Naturkunde, Mathematik und Oekonomie,*) cui potiſſimum nouae obſeruationes ex indicatis diſciplinis, vel ab Editoribus, vel ab aliis viris doctis factae, tum verſiones notatu digniorum et rariorum obſeruationum aliis, quam Germanica lingua, ſcriptarum, et denique cenſurae librorum, qui vel ad Editores miſſi fuerint, vel aliis ex cauſſis Lectoribus indicari mereantur, inſerta erunt. Suis ſumtibus edere conſtituerunt, cuius pars ſingula, quatuor faſciculos plagularum 8 continens, pretio praenumerando 1 thaleri, poſtea autem 1 thal. et 8 groſſ. conſtabit: caeterum etiam proſtat hoc promptuarium in *bibliopolio eruditorum, Deſſauiae* hoc 1781 anno fundato.

Memoria

Memoria AVGVSTINI ROVX, Doctoris Regentis et Profeſſoris, Pharmaciae Facultatis Medicae Pariſinae Academiae Regiae Scientiarum Burdigalenſis et Societatis Regiae Pariſienſis agriculturae ſodalis.

Cum omnia beneficia diuina laudanda ſunt, tum haud ſcio, an illud in primis admirandum videatur, quod in animorum ingeniorumque varietate incredibili elucet. Nihil hoc ad Philoſophiae ſubtilitatem grauius, illo ad Mathematices ſeueritatem doctius; alio nihil ad artium bonarum ſenſum acutius, alio ad hiſtoriae cognitionem promtius; fertur hic ad picturam, ille ad ſtatuariam rapitur; alius, quidquid militaris ratio magni habet, facile perſpicit, alius celeriter magnoque cum profectu pacis artes cognoſcit, denique quot diſciplinae ac artes, tot ingeniorum copia exſtat, ita vt, quidquid vel ad vitae noſtrae neceſſitatem vel commoditatem perfectionemque pertinet, id in ſumma illa ingeniorum varietate nobis conceſſum laetemur. Quo tamen in genere ſaepiſſime dolemus ſiue iuuentutis leuitate, ſiue eorum, qui eam moderantur, vanitate ac imprudentia ita peccari, vt in maximum ſocietatis humanae detrimentum longe alio multi deferantur, quam quo ratio atque natura eos vocare videbatur. Nam quum vis ingenii atque indoles non ita ſemper pateat, vt a quolibet ipſo aut eius parentibus poſſit cognoſci; in promtu eſt, omnes, qui animum ad aliquod diſciplinae et vitae genus applicant, ipſos debere diligenter indagare, quo maxime natura ducantur; parentes vero in iudicandis filiorum ingeniis non ſatis acutos ſtultiſſime facere, ſi ad hoc illudue genus vitae eos cogant, nec tam publicam vtilitatem, quam ſua commoda ſpectanda arbitrentur. Quae quidem temeritas

meritas, non dubitandum eſt, quin plus damni omni tempore allatura fuiſſet, niſi interdum natura vim pietatis aut etiam temeritatem fortunae ſuperaſſet. Quo nomine ab aequiſſimo quoque maxime laudatur ſummus nuper medicus AVGVSTINVS ROVX, cuius nos ſummis in Medices artem meritis careremus, ſi parentum potius precibus, quam naturae auctoritati concedendum putaſſet.

Natus ille Burdigalae an. 1726. m. Ian. parentibus honeſtis, ſed pauperibus. Ad quos ſublevandos quoniam ſacro munere nihil tum putabatur abundantius, huic a parentibus vouebatur, eamque ob rem e Societate Ieſu Magiſtris tradebatur. Pertaeſus mox ſcholaſticae Philoſophiae, omne, quod ab ſtatis laboribus tempus ipſi relinquebatur, in primis MALEBRANCHIO et LOCKIO omninoque doctoribus Mathematices dedit, cuius initia a THESI quodam eius diſciplinae peritiſſimo hauſerat. Non ita multo poſt imbutus Philoſophiae non parua cognitione, Medicinae ſtudium inuito patre prae ſe ferebat. A quo deſtitutus quanquam non parum ipſi cum paupertate erat confligandum; tamen natura vicit, et illa, quam ex laboribus capiebat, voluptas, fortunae acerbitatem mitigauit. Quum Burdigalae ducem praeclarum, GREGORIVM, Patrem, Medicum facile Principem atque veterum linguarum intelligentiſſimum, ſibi elegiſſet, in eoque audiendo multum profeciſſet; contigit ipſi operam ſuam probare CEL. BARBOTO Praeſidi, a quo commendatus magno MONTESQVIO quantum rerum ſuarum Fautorem nactus eſſet, intellexit. Hic enim haud ignarus ingenii eius atque adeo fortunae, quae diligentiam iuuenis facile poſſet opprimere, ad confirmanda ſtudia eius ipſi dedit, vnde honores Academicos peteret. Itaque anno huius ſaeculi quinquageſimo Doctor Medicinae creatus non deſiit per aliquod adhuc

adhuc tempus GREGORIVM Praeceptorem ſequi; cuius auctoritate etiam iter facere inſtituit Pariſios Lutetiorum, vt arte ſua exercenda cum maiorem ſibi vſum compararet, tum fortunam ſuam augeret. Ibi quum multos condiſcipulos olim ſuos doctrinae morumque elegantia ſibi deuinxiſſet, liberaliter atque honeſte vixit. Linguam etiam Anglicanam doctorum quorundam conſilio breui tempore ita didicerat, vt Tranſactiones Philoſophicas, atque WHYTTII Tentamen Gallice vertere poſſet. Cuius quidem ad libri frontem conſpiciuntur quaeſtiones chemicae ſuper aqua e calce ducta admodum doctae, vnde, qualis aliquando futurus eſſet, et quantum e RVELLII Magiſtri doctiſſimi lectionibus profeciſſet, non obſcure patebat. Tentamen WHYTTII excipiebant quaeſtiones hiſtoricae atque criticae ſuper variis modis liquorum refrigerandorum *); vbi veluti in tabula quadam omnia, quae de hac materia ſcripta ſunt, magna cum fide exhibentur, eſtque hic libellus omnium, quos ſcripſit, facile princeps, cuius ad finem CVLLENI Prof. Med. Glaſcovienſis atque BAVMII de refrigerationum cauſſa ſententias comparauit.

Anno 1760 amicorum inprimisque DVMARELI liberalitate Facultatis Pariſienſis honores conſecutus erat, quo tempore VANDERMONDI **) mors praematura neceſſitatem ipſi impoſuit, Diarii Medici ſcribendi, quod his noſtris in commentariis de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis ab initio recenſuimus ***). In quo etſi perquam humaniter

*) vid. comm. noſtr. Vol. VIII. p. 240.

**) v. comm. noſtr. Vol. XI. p. 169.

***) Primum tomum v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 451. reliquos tomos diarii in ſequentibus commentariorum voluminibus.

niter grauiterque verſabatur; tamen non poterat non contentionem inire cum ROLINO quodam, qui de aquis mineralibus ſcripſerat, cui offenſo reſpondit ita, vt doctis omnibus elegantiam iudicii ſui probaret. Primum Diarii volumen, quod ſub eius nomine prodiit, initium cepit anno 1762, et ad mortem eius vſque eſt productum.

Eodem fere tempore ſcribere inſtituerat Encyclopaediam portatilem, cuius duae partes prodierant 1761 ſine nomine eius, quae modeſtia fuit, vt etiamnunc multi Auctoris nomen ignorent, eiusdem libri tertia pars ab eo elaborata eſt. Itaque poſtquam adſcriptus erat membris Facultatis Pariſienſis, commendabatur Libero Baroni DE OLBAC, vt curam gereret officinae ſancti *Gobini;* tum vero eam partem medicinae, quae morbis medetur, plane abiecit, atque Chemiae et Phyſicae ſolis ſe dedit, quo eum diu naturalis quaedam cupiditas traxiſſe videbatur. Quanquam vero ex commutato vitae genere modicae admodum res ipſi redibant; tamen non ſine laudanda animi magnitudine ſplendidae fortunae tenuem praetuliſſe celebratur. Itaque proceſſibus chemicis corrigendis occupatus, parandoque vitro intentus tempus conſumſit ita, vt et famae ſuae bene conſuleret, et chemiae rationes non parum augeret. Iam quum Collegium officinae modo commemoratae proceſſus quosdam Anglicanos cognitos habere cuperet, ipſe, vt Londinum iter faceret, rogabatur. Quo ex itinere redux non ſolum Collegii votis reſpondit; ſed etiam foliorum e ſtanno cudendorum artem ſecum reportauit. Scripſit item non ita multo poſt de vitris conficiendis, et de materia vitri, quod *Gobini* eſt, librum, qui tamen, quoniam ſolum in ſocietatis vſum confectus erat, lucem nunquam vidit, nec vnquam videbit. Praeter eius ipſius opera edi

curauit HENKELII de ſulphure tractatum, nec non STAHLII de ſalibus, item Academiae Vpſalienſis Commentarios chemicos, duob. Voll. Horum operum verſio debetur ſtudio OLBACI, ad quem Franco-Gallia eorum, quae in chemia, phyſica atque hiſtoria naturali cognouit, maximam partem defert. Ad annum vſque huius ſeculi ſeptuageſimum medicae tantum, non item chemicae lectiones in Facultate Pariſienſi habebantur; quarum ope quum magnam lucem affuſum iri phyſicae ſapientes intellexiſſent, eius diſciplinae Profeſſorem legere conſtituerunt. At, quum non poſſent honeſtum nouae Profeſſioni ſtipendium conſtituere, omne conſilium haud dubie irritum recidiſſet, niſi Noſter ſuam in hoc genere operam ſpontaneam obtuliſſet. Qua animi magnitudine commota Facultas gratorum ſenſuum teſtem cudi iuſſit monetam paruam et decreta multa honeſta in honorem eius edi curauit. Docuit igitur chemiam ad mortem vſque, magnoque Auditorum confluxui, omnibusque, praeter ſe ipſum, ſatisfecit. At profecto copia eruditionis tantam ipſi famam conciliauerat, vt ad eum audiendum peregrini adeo confluerent; nec dubitandum erat, quin paullo poſt Pariſienſis Academia non multum cederet Lugdunenſi Batauinae *) eo tempore, quo BOERHAAVII fama floreret.

Sed vix ingreſſum ampliſſimum gloriae campum mors praematura oppreſſit, a. 1776. die 28 Iunii, anno aetatis ſuae quinquageſimo primo, poſtquam duodecim dies conflixiſſet cum morbo ab initio parum vehementi, ſed paullatim ita inualeſcente, vt viribus exhauſtus exſpiraret. Natura eum finxerat grauem, ac fortem: ita tamen, vt grauitatem paene omnem in conſuetudine amicorum ſeponeret, ſeque non minus iucundum exhiberet, quam

*) vid. comm. noſtr. Vol. XI. p. 544.

quam alios ad hilaritatem incitaret. In ſermone omni vehemens, animoque ſemper praeſenti: quidquid verum intelligebat, id fortiter ſequebatur atque defendebat, quumque natura haberet ſenſum metaphyſices, atque omnino omnis philoſophiae acutiſſimum, vt nihil non accurate et ſubtiliter cogitaret, contigit ipſi, vt ex vberrimis doctrinae ſuae theſauris, quotiescumque quolibet opus habebat, depromere atque in publicos vſus afferre poſſet: quo in genere excellentis memoriae vis valde eum adiuuit, quae adeo erat fidelis, vt nihil non eorum, quae aut cogitando, aut legendo et audiendo aſſecutus eſſet, firmiſſime retineret, per ſermonem familiarem ita cum amicis communicaret, vt in loquentis negligentia diligenter ſcribentis ſubtilitatem agnoſcere videreris; ſed vt eos, qui omnium familiaritates ambiunt, contemnebat, ita dolum fraudemque plane deteſtabatur: nulla vnquam ſiue auctoritas, ſiue timor ad verum reticendum eum potuit impellere. Fuit et filius pietate optimus, et amicus fide grauiſſimus. Neglectus a parentibus ſuis, tamen in nulla re pietati defuit. Ad ſe inuitauit duos fratres, quorum alter iuuenis admodum mortuus; alter chirurgiae non imperitus ad Inſulas Gallicas profectus eſt, vbi, poſtquam artem ſuam praeclare exercuiſſet, duobus poſt annis e vita deceſſit. Patri octogenario quotannis ex iis, quae diligentia atque parſimonia acquiſiuerat, miſit, vnde ſenectutem tranquillam poſſet ducere. Eadem diligentia comparauerat ſibi praeclarum Laboratorium, et Bibliothecam admodum copioſam. Virtutem eius maxime commendarunt familiaritates ARCETI et IOHANNIS REGIS (IEANROY), quos orationis candor non minus, quam morum ſuauitas diſtinxit. Statura Noſter fuit iuſta, et valetudine firmus, ita, vt nunquam graui morbo ſuccumberet.

Sed ab aliquo inde tempore laborauerat doloribus rheumaticis. Laboris patiens omnes moleſtias perferebat, ſtudiorum ardor vnice eum tenebat, cui eouſque indulſerat, donec ventriculus modum tenere cogebat. Quare inde a multis annis relaxandi animi cauſſa aliquas quotidie horas ſocietati conceſſit. In ſchedulis eius opus inuentum eſt non contemnendum, cuius iam folia quadraginta impreſſa ſunt, ab ordine ac modo valde commendandum. Eſt vero liber hic verſus e Belgica lingua in Gallicam, continetque Lectiones Chemico-Medicas LEWISII, quas Cl. ROVX varie auxit. E parte impreſſa, quae de mineralibus agit, quid de vniuerſo opere ſtatuendum ſit, apparet.

Sunt praeterea quaedam Cl. ROVX elaborationes in diario non diu ante commemorato, quas quidem omnes hic iterum iterumque repetere nolumus, cum ab initio huius diarii tomorum ſummam his noſtris commentariis inſeruerimus. Eiusdem ipſius autem diarii continuatio *) iamiam curatur.

XXII.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1777 prodierunt.

Philoſophical Tranſactions, Vol. LXVII. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 444.)

Auserleſene Abhandlungen aus den philoſophiſchen Tranſaktionen, 4ter Theil. (v. ib. Vol. XXII. p. 567.)

Medical and philoſophical commentaries, by a Society in Edinburgh. Lond. 8. Tom. IV.

Mediciniſche Commentarien, 2. Band. (v. ann. praecedent.)

Arzney-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 724.

Arzneykundige Abhandlungen, herausgegeben von dem Collegio der Aerzte in London. Aus dem Engliſchen von D. C. CHR. KRAVSE. *3 Band. Leipzig.* 8.

Abhandlungen der königl. Preuſſiſchen Akademie der Chirurgie. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von D. GEORGE HEINRICH KÖNIGSDÖRFER. *4 Band. Altenb.* 8. *m. K.*

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, (v. ſuſupra).

Eiusdem verſio Germanica. Lipſ. (ibid.)

Noui commentarii ſocietatis Gottingenſis, Tom. VII. (*v. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 592.)

Acta Helvetica, Tom. VIII. (*v. ibid. Vol. XXII. p.* 537.)

Acta Societatis medicae Haunienſis, Vol. I. Haun. 8.

Acta Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum, quae Erfurti eſt, ad ann. 1776. Erfurt. 4. c. f.

Verhandelingen te Rotterdam. (*v. ann. praeced.*)

Verhandelingen te Harlem. (*v. ibid.*)

Verhandelingen te Vliſſingen. (*v. ibid.*)

Neues Hamburgiſches Magazin, 19. *Band. Leipz.* 8.

Berniſches Magazin der Natur, 1. *Bandes* 2. *Stück.* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 347.)

Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde. (v. ſupra. p. 195.)

Berliner Beyträge zur Landwirthſchafts-Wiſſenſchaft. 3ter Band. Berlin. 8.

Sammlungen zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft cet. 9. *Band.* (v. ſupra. p. 195.)

Der philoſophiſche Arzt, 4tes und leztes Stück. Berlin und Leipzig. 8. (Auctor eſt D. MELCH. ADAM WEIKARD, Med. Doct.)

Wittenbergiſches Wochenblatt zum Aufnehmen der Naturkunde und des ökonomiſchen Gewerbes. Wittenberg. 4. (Edit. TITIO).

Fränkiſche ökonomiſche landwirthſchaftliche Mannigfaltigkeiten. 1ſter Band. Nürnberg. 4.

Wochenblatt für den gemeinen Mann, des 2. Jahrganges 1. und 2tes Quartal. Leipzig. 8. (morales et phyſicae commentationes huic libro inſunt.)

Des Naturforſchers 10. Stück. etc. (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 640.)

Onomatologia hiſtoriae naturalis completa etc. *7ter und lezter Band.* (v. ſupra.)

Beyträge zur Geſchichte der Hornviehſeuche in einigen Kreiſen der Altmark, und deren Erkenntniß und Heilung, 1. Sammlung. Stendal. 8.

Geſchichte des Elephanten bey Gelegenheit des zu Berlin angekommenen Thieres beſchrieben. Nebſt der Abbildung deſſelben. Berlin. 8. (Nihil niſi excerptum ex BVFFONII hiſtoria naturali continet.)

Unterricht von der vortheilhaften Schaafkultur. Ulm. 8.

Sätze aus der Naturgeſchichte der Thiere und der ſämmtlichen Viehzucht, als eine Fortſetzung der Sätze aus der Naturgeſchichte der Pflanzen, dem Acker- und Wieſenbau, dem Baue der Farbekräuter, und Wald- Wein- und Gartenbaue. Wien. 8.

The beauties of natural hiſtory, or elements of zoology. 12.

Neuer Schauplatz der Natur nach den richtigſten Beobachtungen und Verſuchen in alphabetiſcher Ordnung durch eine Geſellſchaft von Gelehrten. 4ter und 5ter Band. Leipzig. 8. (Finito nunc propediem libro perutili infra dabimus de eodem vberiorem relationem.)

Schauplatz der Natur und Künſte, in 4 Sprachen, Deutſch, Lateiniſch, Franzöſiſch und Italieniſch. 4ter Jahrgang, mit 48 Kupf. und 48 Beſchreibungen. Wien. 8.

Phyſika-

Phyſikaliſche ökonomiſche Bibliothek. 8. *Band.* (Auctore Cl. BECKMANN v. ſupra.)

Bibliotheca phyſico-medica. Vol. I. II. Vratislaviae. 8. (*Auctor eſt* FRANC. XAVER. DE WASSERBERG.)

Allgemeine Geſchichte der neueſten Entdeckungen, welche von verſchiedenen gelehrten Reiſenden in vielen Gegenden des Ruſſiſchen Reichs und Perſien in der Hiſtorie, Landwirthſchaft und Naturgeſchichte etc. ſind gemacht worden, 1. *Theil. Bern.* 8. *m. K.*

Journal d'un voyage, qui contient differentes obſervations mineralogiques particulierement ſur les Agates et le Baſalte, avec un detail ſur la maniere de travailler les Agates, á Mannheim et à Paris. 8. c. f.

Syſtematiſches Lehrbuch über die drey Reiche der Natur, zum Gebrauch für Lehrer und Hofmeiſter bey dem Unterricht der Jugend, 1*ſter Band, welcher das Thierreich enthält. Nürnberg.* 8. *m. K.* (Vix fini reſpondet; eſt enim totus liber fere ex LINNEI verſione Germanica transſcriptus, multisque mendis refertus.)

Deſcription d' une machine univerſellement utile et avantageuſe, propre à detruire entierement, d'une maniere infallible, aiſée et à peu de frais, les fourmis ainſi que d'autres Inſectes nuiſibles, inventée par Mr. le BARON DE HÜPSCH. à Cologne, Francfort et Leipzig. (*Oder Beſchreibung einer allgemeinen nüzlichen und mit dem beſten Erfolg geprüften Maſchine, die Ameiſen und andere ſchädliche Inſekten, auf eine geſchwinde und ohnfehlbare Art, mit wenigem Aufwande und geringer Mühe in einer ganzen Gegend zu vertilgen, erfunden von dem Freyh.* VON HÜPSCH. *mit* 1. *Kupf.*

Die Säugthiere in Abbildungen nach der Natur, 3ter Theil, 23. 24. 25. und 26. Heft. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 42.)

Eſſai d'une lithographie de Mlocin. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 35.*)

Entdecktes allgemein brauchbares Verbeſſerungsmittel der Steinkohlen und des Torfs. Nebſt der Benuzungsart aller daraus zu ziehenden Produkte. Als eine Ergänzung der Steinkohlen- und Torfsgeſchichte. Von dem Verfaſſer des Lehrbegrifs ſämmtlicher ökonomiſchen und Kameralwiſſenſchaften. München. 8.

Umſtändlichere Beſchreibung der holländiſchen Kleymühle, und des Endzwecks der bleyernen Büchſen, bey Verfertigung des waſſerdichten Mauerwerks, nachdem die allgemeine deutſche Bibliothek die davon im Jahre 1774 *bekannt gemachten* 2 *Sendſchreiben über das Verfahren der Holländer, wenn ſie waſſerdichtes Mauerwerk machen, mitgetheilte Erklärungen, an einigen Stellen für dunkel erklärt hat. Dreßden und Leipzig.* 4.

Beyträge zur Naturhiſtorie, ſonderlich des Mineralreichs. 2 Theil. Altenburg. 8. *m. K.*

Verzeichniß der Foſſilien in dem zur allgemeinen Oekonomie gewidmeten Gebäude der K. K. Thereſianiſchen Akademie. Wien. 8.

Abhandlung über die bey Podmokler im Jahre 1771 *gefundenen Goldklumpen. Prag.* 8.

Anthologia Meriana LXV plantarum, florumque maxime egregie ſculptorum tabulas continens. Editio noua cum indice plantarum. Francof. fol.

Kunſt Nelken zu ziehen und ihre Schönheit zu beurtheilen. Nürnberg. 8.

Der wohlunterrichtete Gärtner, 2te verbeſſerte Auflage. Bayreuth. 8.

Fränkiſche ökonomiſche landwirthſchaftliche Mannichfaltigkeiten, 1ſter Band. Schwabach. 4. *mi K.*

Abhandlungen der freyen ökonomiſchen Geſellſchaft zu St. Petersburg, zur Aufnahme des Ackerbaues und der Hauswirthſchaft in Rußland, vom Jahre 1768. 10. *und* 11. *Theil. Aus dem Ruſſiſchen überſezt. Petersburg, Riga und Leipz.* 8. *m. K.*

Naturgeſchichte aus den beſten Schriftſtellern mit Merianiſchen und neuen Kupfern, 5ter Abſchnitt der Vögel. Heilbrun. fol. (Ex BVFFONO fere ſolo translatus liber; icones ruditer et negligenter ſculptae.)

Oekonomiſche Nachrichten der patriotiſchen Geſellſchaft in Schleſien. Breslau. 4.

Lehrbegriff der ökonomiſchen und Kameralwiſſenſchaften, 2. *Band. Manheim.* 4.

Sammlungen einiger Abhandlungen aus der Oekonomie, Kameralwiſſenſchaft, Arzneykunde und Scheidekunſt. Leipzig. 8.

Oecõnomia forenſis *oder kurzer Jnbegrif derjenigen landwirthſchaftlichen Wahrheiten, welche allen ſowohl hohen, als niedrigen Gerichtsperſonen zu wiſſen nöthig,* 3. *Band. Berlin.* 4.

Schriften der Leipziger ökonomiſchen Societät, 3. *Theil. Dreßden.* 8.

Forſtkatechismus oder kurzer Unterricht für junge Leute, die ſich dem Forſtweſen als Unterbediente zu widmen gedenken, in Fragen und Antworten eingerichtet. Osnabrück. 8.

Neueres Forſtmagazin, 1. *Abtheilung. Sammlung zerſtreuter Forſtſchriften. Frankf. an Mayn.* 8. *m. K.* (Editore FRANZMADHES.)

Elemens de chemie theorique et pratique redigés dans un nouvel ordre, d' apres les decouvertes modernes, pour ſervir aux cours publics de l'Academie de Dijon. à Dijon. 8. Tom. I. (Auct. DE MORVEAU, MARET & DURANDE.)

Diſpenſatorium Pharmaceuticum Brunſuicenſe iuſſu CAROLI Ducis Brunſuico-Luneburgenſium adornatum, et pharmacopaeis ducatus Brunſuico-Wolfenbuttelani a collegio ſupremo ſanitati civium dicato in normam praeſcriptum atque ordinatum. Additis indicibus neceſſariis. Brunſuici. 4.

Obſervations on the Practice in the medicine departement of the Weſtmünſter General Diſpenſary. London. 4. (Auctor eſt Cl. MILLAR.)

Verſuch einer Theorie der wichtigſten Beobachtungen aus der Naturlehre, die man zum Theil durch fixe Luft oder fette Säure zu erklären bemühet war. Halle. 8. (Auctor eſt C. F. DANIEL.)

Inſtruction ſur l' etabliſſement des nitrieres & ſur la fabrication de ſalpetre publiée par Ordre du Roi, par les Regiſſeurs generaux des poudres et ſalpetres. à Paris. 8. c. f.

Chemia in nuce, *oder kurze doch aufrichtige Anweiſung zu der Wiſſenſchaft der Zerlegung der Körper. Danzig.* 8.

Abhandlung von den Würkungen des Kamphers und Kalomels in anhaltenden Fiebern. Altenburg. 8.

Kunſtbuch die ſchönſten und rareſten Farben zu verfertigen. Frankf. 8.

Kern der ganzen Medicin, worinnen auf die allerkürzeſte Art die Arzneymittel, ſo bey den meiſten medicinischen und chirurgiſchen Krankheiten weſentlich nothwendig ſind, in geringen Recepten ſo deutlich angegeben und erkläret werden, daß ein jeder, in benöthigten Fall, ſein eigner Arzt ſeyn könne. Aus dem Engliſchen überſezt. Neue und mit Anmerkungen verſehene Auflage. Breßlau. 8.

Neueſte Heilkunde oder Heilungsmittel, die entweder ganz neu erfunden, oder zur Kur mancher höchſt verzweifelter und fürchterlicher Krankheiten von

neuen

neuen eingeführet worden ſind. Aus den Franzöſiſchen der Herren BVCHOZ *und* MARQVE. *Nürnberg.* 8. *m. K.*

Kurzgefaſster Hebammen-Katechismus, oder Unterricht in der Entbindungskunſt für angehende Hebammen, nebſt einem Anhange von Krankheiten junger Kinder. Entworfen von W. C. ALBERTI. *Berlin.* 8.

Chirurgiſcher Katechismus für angehende Wundärzte, nebſt einem Reiſe und Feld-Kaſten für die Feldchirurgos, und einem Wörterbuche aller einfachen Gewächſe, Arzneyen, deren Namen, Natur und Zuſammenhang. Leipzig. 8.

Hebammenkunſt durch Fragen und Antworten vorgetragen, mit Anmerkungen erläutert und einem Unterricht von Nothtaufen. Lucern. 8.

Recit de ce qui ſ'eſt paſſé à la Faculté de Medecine de Paris, au ſujet de la ſection de la Symphyſe des Os pubis, pratiquée ſur la femme Souchot. à Paris. 4.

Sammlung chirurgiſcher Bemerkungen, aus verſchiedenen Sprachen überſezt. Altenburg. 8. *m. K.* 4*ter Theil.*

Ueber das Jntereſſanteſte der Schweiz. Aus dem Franzöſiſchen frey überſezt, berichtiget und vermehrt, 1. *Band. Leipzig.* 8.

Wahre und untrügliche Geſchichte des berüchtigten Okuliſten HOFFMANN, *mit dem Leibmediko Dr. und Prof.* VOGEL *in Göttingen. Göttingen und Leipzig.* 8.

Briefe über verſchiedene Gegenſtände der Arzneykunſt, 3*ter und lezter Theil. Langenſalza.* 8.

Briefe eines Arztes. Hamburg. 8. (Auctore NOOTNAGELL.)

Kurzgefaſste Anleitung für den gemeinen Mann, wie die Blattern von ihrem Anfange bis zu ihrem Ende zu behandlen ſind. 8.

Von

Von Anſtecken der Krankheiten in einem Briefe eines Vaters an ſeinen die Gottesgelahrheit ſtudierenden Sohn. Blankenburg. 8.

Bekanntmachung eines ſpecifiken Mittels wieder den tollen Hundebiß. Berlin. 4.

Merkwürdige Geſchichte zweyer kleiner Blatterkranken, in einem Brief an einen Freund. Frankf. und Leipzig. 8.

Nachricht an das Publicum, die Geſundsbrunnen Lodowa, Reinerz, Altwaſſer, Charlottenburg, Salzbrunn und Fluinsberg in Schleſien betreffend. Schleſien. 8.

Ueber die Hypochondrie. Dreßden. 8. (Auctore Cl. OEHME, Med. Doctor. Dresdenſ.)

An Appendix to the ſecond edition of Mr. WHITES treatiſe on the Management of pregnant and laying women. v. WHITE.

Sólemnia inauguralia ſummosque in arte medica honores Exper. Candid. I. P. ROGERT conferendos indicit Rector et Senatus Academiae Havnienſis. Praemittuntur nonnulla de ſcientia medica HOMERI. Hafniae. 8.

Ordonnance du Roi concernant les hoſpitaux militaires; Reglement pour les amphitheatres établis dans les hoſpitaux militaires de Strasbourg, Metz, et Lille. à Metz. 8.

Conſultation de la faculté de medecine. à Paris. 4. (Haec ad GVILBERTVM DE PREVAL pertinent, et ſpecifici cuiusdam antiuenerei cauſa ſunt ſcripta.)

Précis pour la faculté de Paris contre Sr. GVILBERT DE PREVAL. à Paris. 4.

Declaration portant réglement pour les profeſſions de la Pharmacie et de l'épicerie à Paris. à Paris.

Reponſe de la faculté à la Raquête de Mr. GVILBERT. à Paris. 4.

De

De igne, ſanguini prae chylo, lacteque eſſentiali, rubedinis, caloris, fermentationumque eiusdem cauſa, diſputatio. Petropoli et Rigae. 4.

Nuovo metodo adattato al clima di Piemonte, per coltivare gli Ananas ſenza fuoco. Turin. 8.

Sammlungen auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch praktiſcher Aerzte. 3ter Band. (v ſupra.)

Der Franzöſiſche und Jtalieniſche Aquavit und Olitätenmacher, 2te vermehrte Auflage. Sorau. 8.

Mediciniſche Fragmente, weiſen Menſchenbeobachtern zur Prüfung vorgelegt, von einem jungen Arzte. 1. *Stück. Danzig.* 8. (Auctore NVDOVIO, Med. Doct. Gedanenſ.)

Schilderungen der Aerzte, wie ſie ſind und wie ſie ſeyn ſollen, 1*ſter oder Jroniſcher Theil, enthält den Begrif wie die Aerzte gemeiniglich ſind;* 2*ter oder ernſthafter Theil enthält den Begrif, wie ſie ſeyn ſollen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Strasburg.* 8.

Einiger gelehrter Freunde Deutſche Briefe an den Herrn VON HALLER. *Erſtes Hundert von* 1725 *bis* 1751. *Bern.* 8.

Der Mann und die Frau im Eheſtande phyſikaliſch betrachtet. Neue Auflage. Leipzig. 8.

A letter to the Maſter, Wardens, and Court of Aſſiſtants of the Corporation of ſurgeons, on their permitting Aliens, Apothecaries and Quacks, to encroach upon the province of ſurgeons, Members of the corporation. 8. (*Contra iatroaliptas ſcriptum eſt.*)

Free Thoughts on Quacks and their Medicines. 8.

IO. CHR. GOTTL. ACKERMANN de dyſenteriae antiquitatibus liber bipartitus. Lipſ. et Schleizae. 8.

EIVSD. *über die Krankheiten der Gelehrten, und die ſicherſte und leichteſte Art ſie abzuhalten und zu heilen. Nürnb.* 8.

O. ACRELL *chirurgiſche Vorfälle etc.* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 284.)

I. M. AEPLI *Prüfung der Spaniſchen Fliegen in bösartigen Fieber. Zürch.* 8.

Miſcellaneous obſervations on planting and training timber trees; particularly calculated for the climate of Scotland. In a ſeries of letters. By AGRICOLA. London. 8. (*Prius haec obſervationes in Edinburgico diario editae nunc collectae ſunt lectu vtiles.*)

ALBERTI *Hebammenkatechismus,* (v. ſupra ſub anonymis.)

M. I. ALIX obſervata chirurgica, Faſciculus III. Franc. ad Moen. 8.

Nouvelles experiences ſur la reſiſtance des fluides par Mr. D' ALEMBERT, le Marquis DE CORDONCET et l'Abbé BOSSVT. à Paris. 8. c. f.

Eſſays relating to agriculture and rural affairs. The ſecond edition with large additions. By IAMES ANDERSON. Edinb. et Lond. 8. Vol. 2. (*Potiſſimum hic disquiſitiones miſcellaneae ad agriculturam pertinentes auctae ſunt, atque* 18. *tabulae, gramina oeconomica exhibentes, additae.*

An eſſay on the theory and cure of the venereal gonorrhoea, and the diſeaſes which happen in conſequence of that diſorder. By IOHN ANDRE'E, ſurgeon to the Magdalen Hoſpital. 8.

An account of the diſeaſes moſt incident to Childern from their birth till the age of puberty; with a ſuccesful method of treating them. To which is added an eſſay on nurſing. By GEORGE ARMSTRONG. Lond. 8.

G. ARNAVD *anatomiſche chirurgiſche Abhandlungen über die Hermaphroditen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Strasburg.* 4. *m. K.*

GEORG.

GEORG. CHRIST. ARNOLDI obſeruat. phyſico-medicarum annus 1772. Uratislav. 8.

SAMVEL AVGVSTIN prolegomena in ſyſtema ſexuale botanicorum tabulis aeneis ad intelligendos terminos illuſtrata. Vienn. 8.

Recherches ſur les maladies chroniques, particulierement ſur les hydropiſies & ſur les moyens, de les guerir. Par Mr. BACHER. à Paris. 8.

H. B. L. BACKMEISTERS *Ruſſiſche Bibliothek*, 4*ter Band.* 3-6. *Stück. Riga.* 8.

EIVSD. *Verſuch über die Bibliothek und das Naturalien- und Kunſtcabinet der Kaiſerl. Academie der Wiſſenſchaften. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Petersb. Riga und Leipzig.* 8.

E. G. BALDINGER diſſ. inaug. de regulis generalioribus in morborum curationibus vbique obſeruandis. Reſp. *A. C. Meuſching.* Gotting. 4.

EIVSD. ſylloge ſelectiorum opuſculorum argumenti medico-practici. Vol. II. ibid. 8.

IO. BALL's *neuere Heilkunſt oder vollſtändige Anweiſung, die Krankheiten vernunftmäßig zu behandlen. Aus dem Engliſchen überſezt von* L. H. SPOHR. 2 *Theile. Leipzig.* 8.

I. G. BAVMERI fundamenta politiae medicae in vſum auditorum poſita Francof. 8.

* BAVERS *neue chirurgiſche Wahrnehmungen. Rothenburg an der Fulda.* 8.

THOMAS BAYFORD *von den Wirkungen des Einſprizzen in die Harnröhre, nebſt dem Gebrauch und Mißbrauche dieſes Mittels. Altenb.* 8.

BECKMANN *phyſikaliſche ökonomiſche Bibliothek.* 7. *Band.* (v. ſupra inter anonymos.)

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.

I. *Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft naturforſchender Freunde, 2ter 3ter und 4ter Band.* p. 195
II. A voyage round the world in his Britannic Majeſty's Sloop, Reſolution. By FORSTER. 221
III. FORSTERI characteres plantarum 234
IV. PALLAS ſpicilegia zoologica. Faſcic. X. — XIV. 249
V. VON GLEICHEN *genannt* RVSWORM *von Saamen- und Infuſionsthierchen.* 265
VI. VOET catalogue raiſonné ou ſyſtematique du genre des inſectes cet. 274
VII. BAVMER hiſtoria naturalis regni mineralogici 276
VIII. GMELINS *Einleitung in die Mineralogie* 281
IX. SCHROETER *Geſchichte der Flußconchylien* 283
X. *Beobachtungen über das Gebirge bey Königshayn in der Oberlauſitz.* 289
XI. LESKE *vom Drehen der Schaafe* 291
XII. *Sammlungen zur Phyſik und Naturgeſchichte. 1ſter Band, 1 — 6. Stück.* 293
XIII. KÖSTLINI faſciculus animaduerſionum phyſiologici atque mineralogico-chemici argumenti 309
XIV. LEVELING de valuula EVSTACHII et foramine ouali 313
XV. SCHMVCKER *vermiſchte chirurgiſche Schriften, 1ſter Band.* 315
XVI. DVHAVME traité de la petite verole cet. 326
XVII. PORTAL ſur la nature et ſur le traitement de la rage 337
XVIII. A radical and expeditious cure for a recent catarrhous cet. 344
XIX. Lettere ſopra CELSO al TIRABOSCHI 347
XX. SCHAEFFER *Abbildung und Beſchreibung der elektriſchen Piſtole* 358
XXI. Noua phyſico medica. 360
XXII. Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1777 prodierunt. 372

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XXIV. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXXXI.

APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam

Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

I.

Atti dell' Accademia delle Scienze di Siena: Tomo V. In Siena. MDCCLXXIV. Nella Stamperiaa di Luigi, e Benedetto Bindi. Con Licenza de' Superiori. 4. mai. pagg. 400. tabb. aen. 4.

i. e.

Acta Academiae Scientiarum Senenſis. Tomus quintus.

Si huius Actorum voluminis paullo ſeriorem damus epitomen: id non noſtra ex culpa, ſed, quod nimis ſero ad nos venerint, factum eſt. Inſtituti huius ratione atque priorum tomorum horum in antecedentibus noſtrorum commentariorum *) voluminibus ſumma cum Lectoribus communicatis, qui in hoc continentur tomo, perſequimur tractatus.

1) DANIELIS MELANDRI, Aſtron. Prof. Vpſal. p. 1. *meditationes de machina huius mundi, eiusque conſervatione per vires in initio conceſſas.*

*) v. comm. noſtr. IIdae decad. indic. triplic.

p. 27. 2) PAVLI FRISII, in Mediolanenſi Gymnaſio Matheſ. Prof. *de problematibus quibusdam Geometricis.*

p. 35. 3) LEONARD. XIMENIS *de obliquitate eclipſeos eiusque diminutione ſeculari 29", ex obſeruationibus ſolſtitialibus, in meridiano Florentino ann. 1755. et 1756. factis deducta.*

p. 55. 4) GREGORII FONTANAE ſchediaſmata 10;
p. 69. continentia 1) *Problemata Aſtronomica;* 2) *theo-*
p. 71. *remata ad calculum integralem ſpectantia.* 3) *theore-*
p. 76. *mata de incommenſurabilibus.* 4) *de problemate quodam atmoſphaerico.* 5) *de trianguli ſphaerici dimen-*
p. 83. *ſione.* 6) *de binomii Newtoniani indicem rationalem*
p. 88. *habentis euolutione.* 7) *de motu aequabiliter accelerato.*
p. 97. 8) *de motu proiectorum in parabola Apolloniana.* 9)
p. 103. *de phaenomeno viſus:* Cauſam, cur obiectum vno oculo inſpectum decima tertia parte minus videatur eodem, ſi caeteris paribus, duobus oculis inſpicitur, a BVFFONO propoſitam falſam eſſe docet Noſter. Fingit BVFFONVS neruorum opticorum vnionem, quae ſub angulo 114° fiat, rationem huius phaenomeni eſſe, quod quidem Cl. FONTANA ex legibus
p. 116. mathematicis et formulis negat. 10) *disquiſitionem, an vires lunae et ſolis in Barometra agere, eorumque altitudinem mutare poſſint.*

p. 129. 5) EIVSD. *de progreſſibus mathematicis* GIROLAMI CARDANI et BONAVENTVRAE CAVALIERII.

p. 140. 6) IOSEPHI BALDASSARI *obſeruationes de acido vitriolico, puro, nec combinato, naturaliter concreto.* Inuenit illud Cl. Auctor in cauo ſubterraneo prope a Thermis a S. Philippo dictis in regione

gione Senenſi ſitis. Scaturiunt thermae ex monte, quondam igniuomo, cuius rei teſtimonium dant lauae et alia producta vulcanica. Antrum ſubterraneum in fundo offert Sulphur naturale cryſtalliſatum, quod etiam oſſa animalium, ramos et folia arborum cruſtae inſtar inueſtit. In huius antri pariete congeriem minimarum, lanugini ſimilium, cryſtallorum albiſſimarum vidit, quae linguae ſaporem acidum, ſpiritui Vitrioli ſimillimum, impreſſerunt. Aquae immiſſa pars huius Salinae congeriei, omnes ſalinae partes ſoluebantur, nec, niſi lapideae inſolutae et inſipidae remanebant. In ipſo antro erant etiam exhalationes ſpiritus ſulphurei volatiles, e quibus condenſatis ipſum ſulphur naturale oriatur, et mercurius in barometro, qui in aëre libero 12° ſupra punctum glaciale iuxta ſcalam REAVMVRII eleuatus erat, vſque ad vigeſimum gradum adſcendit. Experimentis deinde demonſtrat illam lanuginoſam ſalinam maſſam, verum eſſe acidum vitriolicum purum. Deinde tophos, ſeleniticum et calcareum illius antri, vt et quaſdam in confiniis creſcentes plantas, *Smirnium perfoliatum*, *Theſium linophylum*, *Siſymbrium Sophiam* deſcribit.

7) FRANC. CALVRI *de quodam ſic dicto hermaphrodito*. Homo, *Auguſtus Broli* dictus, ab Auctore curioſius quoad partes externas deſcribitur, in quibus omnibus mari ſimilis erat, praeter barbam, cuius loco tenui tantum myſtace inſtructus erat. Partes genitales monſtroſae offerebant penem paruum, praeputium et glandem imperforata; ſcrotum et teſticulos inuiſibiles, ſed loco illius rimam, foramine praeditam, e quo vrina et aeſtus venerei tempore ſperma emittebantur. Patet igitur, hunc hominem non hermaphroditum, ſed marem monſtroſum fuiſſe: id quod Cl. Auctor vberius, p. 167.

 comme-

commemoratis fere omnibus, ab Anatomicis deſcriptis hermaphroditorum exemplis, docet.

p. 203. 8) IO. IAC. FERBERI *epiſtola ad Cl.* IO. ARDVINI *obſeruationes mineralogicas et oryctographicas continens* *). De montium catena, quae Italiam a Germania diuidit, agit: iiſque quaedam addit de montibus Saliſburgenſibus et Helveticis. A Verona vſque ad Neomarcum montes calcarei, lapide calcareo albo primum, rubro deinde, tum cinereo ſtratoſo componuntur, quorum montium vallem Atheſis fluuius percurrit. Poſt Neomarcum montes Porphyrite, qui Lauae vulcanicae admodum eſt ſimilis compoſiti, vſque ad Brandſol extenduntur: deinde ex Corneo fiſſili (*hornſchiefer*), poſt vrbem *Sterzing* calcarei iterum, vel corneo lapide mixti montes incipiunt: atque hi prope a *Naſereit* et *Lermas* in Alpes altiſſimas calcareas eleuantur. Circa vrbem *Fueſſen* alpes decreſcunt et in planitiem verſus Auguſtam Vindelicorum expanduntur. Hac montium catena ſyſtema Cl. ARDVINI montes calcareos lapide corneo eſſe ſuperſtructos **) egregie confirmari proponit Cl. Auctor. Idem etiam in montibus Bohemiam a Saxonia diuidentibus, vt et in ſummis Hercyniae iugis, in alpibus Helueticis et alibi conſpici ait. Hic ſimul monet ſchiſtum micaceum et quarzoſum, (ſ. *Gneiſſum* Noſtratium) et ſchiſtum argillaceum purum, ſenſu oryctographico, quoad primaeuitatem et ſitum in montibus, conuenire; nempe vtrosque Granitae eſſe ſuperimpoſitos. Ita enim interpretamur Cl. Auctoris verba, dictos lapides *non vt ſpecies, ſed vt varietates differre.*

p. 214. 9) EIVSDEM *epiſtola altera*, in qua quaedam in priori breuius dicta, quae ARDVINI ſententiae videban-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 244.
**) vid. ibid. p. 247.

videbantur contraria, clarius explicat. Attinent ea ſenſum vocis *primigenii*, quam Cl. Auctor relatiue ſumi vult, nempe montes ſchiſtoſos et graniticos prius reliquis formatos eſſe. Deinde concedit, inveniri interdum Graniten ſupra ſchiſtum, ſed hunc eſſe Vulcanorum productum, atque ab eo, qui montium primaeuorum nucleum conſtituat, quoad aetatem plane diuerſum. Subiungit, Baſaltem omnem, et Saxonicum, ſibi videri igne productum; atque Graniten, Porphyriten, Schiſtum micaceum aliosque lapides montium primaeuorum in argillam fatiſcere. Quam quidem poſteriorem obſeruationem noſtra etiam experientia confirmare poſſumus.

10) IO. ARDVINI *tentamen de lithogonia et orognoſia* *). Praemiſſa, alibi **) iam indicata, diuiſione montium, Cl. Auctor hic inprimis de montibus primaeuis agit, eorumque partes conſtitutiuas atque characteres foſſilium et lapidum, qui eos componunt, indicat: deinde partes conſtitutiuas cornei fiſſilis primigenii diſquirit, vt eius a reliquis lapidibus diuerſitas inde pateat, et denique obſeruationes proponit de ſchiſto bituminoſo Idrienſi. p. 228.

Corneum fiſſilem, qui ex Talco et Quarzo p. 242. compoſitus ſit, et ſchiſtum argillaceum, Graniten, Porphyrum, Serpentinum, Iaſpidem, lapidem corneum, Quarzum, quasdam Baſaltis ſpecies et Trapezium, aliosque lapides vitreſcibiles componere hos

*) Animaduertimus, has duas Cl. FERBERI epiſtolas, vt et Cl. ARDVINI tentamen etc. in Germanicam linguam verſas contineri in collectione, cui titulus: *Sammlung einiger mineralogiſch - chymiſch - metallurgiſch - und oryktographiſcher Abhandlungen, des Herrn* IO. ARDVINI *etc. Dreſd.* 1778. 8.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 247.

hos montes; atque vitreſcibilem eorum naturam, ſingularem mixtionem, irregularem ſitum, venas et rimas, defectus petrefactorum, indicare putat Cl. Auctor, hos montes ignis vi et fuſione materiarum lapides componentium ortos eſſe. Ad hos primaevos montes, tanquam alterum ordinem primae claſſis, refert etiam montes ſtratoſos metalliferos, priores in decliuiis cingentes: quorum originem mixtam eſſe iudicat, partim ab igne, partim ab aqua deriuandam: etenim effecta ignis et aquae vel ſeparatim, vel alternatim, vel ſine ordine mixta conſpici. Nonnulla enim loca horum montium componuntur ex lapidibus vitreſcentibus, vt montes primi ordinis: alia ſunt ſtratoſa, eorumque ſtrata vel ex vna lapidis ſpecie, vel ex pluribus componuntur: ex lapide arenaceo, Gneuſſo, Calcareo, Argilla, Marga, Schiſtis varii generis, aliisque terris. Situs regularis horum foſſilium, et petrefacta plantarum et piſcium et conchyliorum in iis indicant mutationes quondam, a mare factas; maſſae autem irregulares lapidum vitreſcentium, quae partim totos montes conſtituunt, ſub ſtratis eorum reiacent, variaque directione et ſitu, a vi ignis agente ipſas, ortas eſſe docent. At enim vero in Gneuſſo nunquam inueniuntur petrefacta, atque maſſae irregulares ſub ſtratis iacentes indicare nobis videntur, ſtratoſos montes, montibus primi ordinis eſſe ſuperimpoſitos. Praeterimus alias horum montium proprietates, quas Cl. Auctor recenſet, vtpote quas plurimis iam notas eſſe cenſemus. LINNEI hypotheſin, qua aquae ſoli origo horum foſſilium tribuitur, et Saxa aeui filii dicuntur, refutat Cl. Auctor. Atque cryſtallos in rimis et cauernis montium primaeuorum eſſe partes lapidum vitreſcibiles aqua ſolutas, atque aliunde in has rimas deductas: attractionem particularum conſtituentium ad ſe inuicem, cauſſam cryſtalliſa-

ſtalliſationis eſſe, eodemque etiam modo ſalia in cryſtallos coire, et ſtalactitas formari.

Eum ſolum ſchiſtum primigenium eſſe aſſerit, qui ex Quarzo et Mica ſ Talco compoſitus ſit. Nonnunquam Talcum maximam ſchiſti partem efficit, atque tunc Quarzum vel in venis, vel hinc inde in maſſis immixtum eſt. Nonnumquam Quarzum copioſius ineſt, atque inde Corneus fiſſilis et lapis corneus oriuntur. Cl. Auctor partes conſtitutiuas omnes vitreſcentes dicit: id tamen ſenſu ſtrictiori de talco et mica dici non poteſt *). Opinionem ſuam Cl. Auctor confirmare ſtudet vitro factitio, quod ſub terra demum in lamellas, micae metallicae ſimiles, fatiſcat. Nos tamen hanc obſeruationem parum probare putamus: non enim ad ſtructuram, ſed ad mixtionem eſt reſpiciendum. Sibi perſuaderi non poſſe ait Cl Auctor, acidum vitriolicum quodam modo cum argilla iunctum, Talcum, Micam, Asbeſtum producere: ſed potius, hos lapides igne productos eſſe putat. At, ſi vel concederemus hanc originem, tamen partes conſtitutiuae diuerſae his lapidibus inſunt: nempe in Mica, argillaceae metallicis mixtae; et in Talco et Asbeſto partes terreae, quae ſalis amari baſin conſtituunt: has enim analyſis indicat. p. 260.

Schiſtum hunc montes conſtituere putat Noſter ab imo fundo, vſque ad ſumma cacumina, neque vllibi alii lapidi ſuperimpoſitus, neque ex ſedimento vel inſpiſſatione aquae ortus eſſe videtur: Atque foſſilia in venis, rimis et cauernis eiusdem retenta vel vnius cum ipſo eſſe originis, vel poſtero tempore orta. Saxa virideſcenti ferruginea, vel nigra, ferro penetrata, ſtratis ſchiſti vario modo immixta, illaque diſſecantia Noſter exploſione Vulcani

*) vid. MEYERI tentamina in actis Berolin. phyſ. pag. et comm. noſtr. Vol. hoc p. 204.

cuiusdam ex intimis montis receſſibus eiecta, et deinde in foraminibus, antris et rimis, hoc ſubterraneo incendio productis, cum lapide montis, conglutinata eſſe putat. His propoſitis, ea ſchiſtorum genera indicat, quae recentioris ſunt originis, atque priori ſuperimpoſita, ea ſemper Quarzo carent, atque ex argilla, mica, et calcareo ſunt compoſita. In hoc ſchiſti genere veteres Hetruſci cupri et plumbi fodinas egerunt. Schiſti arenacei, lutoſi et bituminoſi a ſchiſto primigenio differunt in eo, quod huic ſemper ſint impoſiti, neque imum montium fundum attingant; deinde compoſitio et ſitus, vt et praeſentia petrefactorum, eos praecipitatione ex aqua ortos eſſe demonſtrant. His ſubiungit Cl. Auctor loca, vbi ſchiſtus primigenius montes componit, atque obſeruationes addit, quas in montibus Vicentinis, vſque ad principatum Trento inſtituit, in quibus ſchiſtus multoties nudus conſpicitur. Argillam albam Vicentinam, ad vaſa porcellanea adhibitam, eſſe ex ignis vi ſoluto ſchiſto argillaceo ortam demonſtrare ſatagit.

p. 2. Schiſtum bituminoſum Idrienſem igne quoad colorem mutari expertus eſt, extus enim rubeſcit, intus autem carbonis inſtar nigreſcit: atque hac vſtione apparet, illum nihil eſſe, niſi congeriem argillacearum, limoſarum, micacearum ferro mixtarum particularum, quibus, ante vſtionem, bitumen, mercurius et ſulphur mixta erant. Vſtione ferrum cum phlogiſto vnitur, mineraliſatur, ideoque magnete attrahitur. Haec diſquiſitio docet, Idrienſem ſchiſtum ab eo, quem ſupra Cl. Auctor deſcripſit, differre, neque primaeuum eſſe. Interim concedit eundem ad alterum ordinem lapidum primae claſſis referri poſſe, atque idem etiam valere de aliis bituminoſis lapidibus. Generatim omnia bituminoſa foſſilia ex mari orta eſſe, ideoque eadem non

origine

origine prima eſſe mineralia, ſed ex vegetabili et animali primum ortum duxiſſe. Ex mari hanc eſſe deriuandam atque acidum nitri aliquid ad bituminis originem contribuiſſe: quae quidem ex chemica analyſi probari addit.

In collectione ſupra*) indicata Cl. Auctor vlterius exemplis et experimentis demonſtrat, plurimarum terrarum et lapidum, pauciſſimis exceptis, colores a ferro produci, atque idem ferrum in terra argillacea viridi pictoria coloris cauſſam eſſe, quam alii, vt Cl. BERTRAND, cupro tribuerunt, ac deinde etiam igne naturali multas cryſtallos oriri, quarum ſatis notatu digna exempla Cl. Auctor refert.

II) DOMINICI BARTALONI, ſecretarii Academiae, *obſeruationes ſupra Veſuuium.* Prius de Tellure generatim, de mechaniſmo accenſionis, de montibus igniuomis in genere, quam de Veſuvio agit. Tellurem in tres partes diuidit; priorem cruſtam ſ. ſuperficiem, in qua plantae naſcantur, et quae non duodecim pedibus profundior ſit, eſſe maſſam terreſtrem, mixtam ex omni genere terrae, plantarum et animalium putrefactorum: alteram lapideam, in qua minerae inueniantur; et tertiam interiorem, quae nucleum telluris conſtituat, et nobis plane incognita ſit. Nimis ampla oratione vtitur Noſter, cognita ſatis de montium ratione differens. p. 301.

In montium ſtratoſorum viſceribus oriri Vulcanos, poſtquam ab aëre fixo, quem primum motorem in corporibus mineralibus et cauſſam cohaeſionis eorum dicit, ex cancellis ſuis quacunque ex cauſſa ſoluto, efferueſcentia partium terreſtrium excitata ſit, cui elementum igneum maximam et efficaciſſimam opem ferat. Cauſſam vero, cur aër et ignis efferueſcentiam ineant, eſſe aquas pluuiales, quae p. 313.

*) vid. p. 391.

quae per rimas montium in cryptas penetrent, atque cum ſalibus vnitae, bitumina ſoluant, et ſic motum cieant.

p. 328. Exponit deinde ſtatum praeſentem et antiquum Veſuuii, acceſſiones eius et phaenomena: ac denique examinat, num materiae, in incendiis Veſuvii expulſae, aliunde illic deferantur, an ipſa Veſuuii maſſa iis ſufficiat, quam poſteriorem rationem Noſter ample ſatis demonſtrat. Ampliorem epitomen huius diatribes dare ideo noluimus, quum ex aliis libris paſſim Vulcanorum natura et diuerſitates iam cognitae ſint.

II.

Zoologiae Danicae ſeu animalium Daniae et Norvegiae rariorum ac minus notorum Icones, editae ab OTHONE FRIDERICO MÜLLER. Faſciculus primus, continens Tab. I. — XL. Havniae, Typis Mart. Hallageri, 1777. fol. plagg. I.

III.

Zoologia Danica ſeu animalium Daniae et Norvegiae rariorum ac minus notorum deſcriptiones et hiſtoria. Volumen primum. Explicationi iconum faſciculi primi eiusdem operis inſeruiens. Auctore OTHONE FRIDERICO MÜLLER. Havniae et Lipſiae, ſumtibus Weygandinis. MDCCLXXIX. plagg. 78.

Coniungimus haec duo Cl. Auctoris opera, quae, vt tituli et ratio indicant, a ſe inuicem ſeparari nequeunt. Vtraque inſignem Cl. Auctoris ſolertiam ad augendam ſcientiam naturalem, maximam obſer-

obſeruandi artem et ſollicitudinem demonſtrant, atque animalia noua, a Cl. Auctore primum recte deſcripta, et iconibus fidis illuſtrata tradunt. Icones, quas indicamus, viuis coloribus pictae, et magna diligentia et arte compoſitae ſunt. Laudandum eſt etiam Noſtri conſilium, quod icones et deſcriptiones ſeorſim, formaque chartae diuerſa publici iuris fecerit, vt ſumtibus parceretur, tum praeſertim illud, quod ea tantum animalia, quorum vel nulla, vel falſa figura exſtat, iconibus exprimi curauerit.

Faſciculo praeſenti continentur, duobus piſcibus, *Callionymo Dracunculo* et *Lyra* exceptis, nonniſi animalia e Vermium claſſe, pleraque *marina*, pauca *inteſtinalia*, forma, generatione et oeconomia maxime ſingularia. Placet, quae de his ſcripſerit Cl. Auctor, referre: „Mens haeret, an ingentem figurarum varietatem, an inhaerentes cuiuis genti notas characteriſticas, aut cuiuslibet ſpeciei differentiales maxime miretur – mirabunda vero numen benigniſſimum veneratur. Quae ſimplicitas in *Faſciolarum* variantibus ſpeciebus! Quae in *Lernaeis* admirabilis partium et varia compoſitio! Quae in *Trichodis* et *Vorticellis* ſtupenda organorum exilitas! Qualis pompa in *Holothuriis!* Quae pulchritudo in *Doridibus!* Quanta organorum profuſio in Nereidibus!" Legant igitur naturae cupidi, atque videant, quae Cl. Auctor ſummo ſtudio et ſaepe cum vitae periculo detexit et collegit. In praefatione etiam inſtrumentorum, quibus in colligendis et obſeruandis animalibus vſus eſt Cl. Auctor, mentio fit. Complectitur hoc volumen ſeptuaginta tres animalium ſpecies, quorum nomina in *Zoologiae Danicae prodromo* *) data ſunt. Nos, cum libris iconographicis nemo hiſtoriae naturalis ſtudioſus

diosus

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 302.

dioſus carere poſſit, hic notatu dignioribus quasdam tantum proprietates exempli loco proponamus.

p. 3. *Holothuria elegans* Tab. I. interiora animalis et inteſtina tab. II. et III. picta traduntur. In fauce animalis annulus articularis albus eſt, a quo dependere videtur veſicula pellucidiſſima, oualis, ſubtiliſſime ſtriata, in cuius fundo transparet lapillus albus. Qualis huius veſicae vſus ſit, Cl. Auctor non indicat. In maiori ſpecimine Holothuriae huius inteſtina coeca atomis ſphaericis farcta vidit: quaerit Noſter, an *ouaria?* alia corpuſcula ſphaerica alba, illis maiora, gelatino hyalino ſolito cincta paſſim

p. 5. circa inteſtina reperit, an *ouula?* Monet Cl. Auctor, deſcriptionem *Holothuriae tremulae* LINN. et GVNNERI (act. Holm. 1767. t. 4. f. 3.) hanc ſiſtere, quae tamen, quamuis LINNEVS contrarium dicat, a BOHADSCHII *Hydra* differat: neque motum tremulum vnquam vidit. Praebet autem eadem idem phaenomenon conſpiciendum, quod BOHADSCHIVS in ſua *Hydra* vidit: totum nempe inteſtinum craſſum cum oeſophago et adhaerente pinguedine excreuit. A BOHADSCHII hydra differt, quod nullis omnino tentaculis cylindricis ventralibus inſtruatur, et quod veſicam, ſupra dictam, habeat.

p. 14. *Aſcidia mentula*, tab. VIII. depicta, (*Pudendum* 2. RONDELET piſc. 2. p. 129.), eſt ſingulariſſima. Maſſa enim informis cinereo flaueſcens quadratum irregulare ſiſtens; ſubſtantia craſſa gelatinoſa, ſubpellucida, reiectamentis corallinarum et fucorum paſſim obſita. Bina ſpecimina Noſter reperit: in alterius cute tria indiuidua *Mytili diſcordis* Zool. d. prodr. no. 3014. nidum ſibi fecerant, ſeu potius gelatina pellucida inuoluti erant, viui adhuc, et quaſi abſque moleſtia, ſingulari ſatis phaenomeno. Cultro gelatinam diſſecuit, Mytilumque pulcherrimum, rariſſimumque, qui ſeſe ligamentis capillaribus cuti affixe-

affixerat, extraxit Cl. Auctor. Alteri extus inſidebat Aſcidia iunior coccinea.

Tabula IX. *Trichodae*, *transfuga*, *Inquilinus*, et *Lyncaſter* depinguntur. Prioris indiuidua Cl. Auctori copula iuncta viſa ſunt: antica pars adeo poſticae alterius incubuit, vt frons alterius, qua parte ſinus conſpicitur, affixa eſſet, ſicque firmiter cohaererent. Poſt ſeparationem organum quoddam porrectum momento temporis conſpiciebatur. Monet tamen hanc obſeruationem penitiori indagatione, meliori microſcopio inſtituendam et repetendam eſſe. p. 16.

Holothuria ſquamata, tab. X. depicta, inter *Patellam*, *Aſcidiam* et *Doridem* ambigere videtur: prima facie *Patellam* mentitur, eius enim inſtar ſaxis adhaeret, tegumento duro, ſquamuloſo conditur, ſaxoque ſoluta, ſuperficies infima Molluſcum glabrum, quales pes in *Limace*, papillis, minimis cinctum prodit: penitius inſpicienti in ſuperficie conuexa, binae eleuationes remotae, aperturas *Aſcidiae* reuocant; denique altera eleuatio aperitur, octoque tentacula alba pinnatifida ſeſe pandunt, proque lubitu ſingulatim mouentur, ſignaque *Actiniae* ſimulant. Rariſſime vidit Noſter ſquamulas ſecedere, areamque nudam apparere, ac efflореſcentiam, vti *Dorides* minari, rurſusque recedentibus ſquamulis tegi. p. 20.

Pennatulam mirabilem, quam Cl. Auctor, quantum ex deſcriptionibus et figuris aliorum colligit, primus viuam inuenit, tabula XI. ſiſtit. Videtur Noſtro potius animalculorum concatenatio, quam animal: ac propter oſſiculum calcareum *Pennatulis*, non *Gorgoniis*, vt Cl. PALLAS coniecit, accenſenda eſt. Baſis eiusdem fundo argilloſo infixa eſt, neque libere in aqua vagari poſſe videtur. Extra aquam *Hydrae* ſeſe contrahunt, ac oſſiculum mera carnoſa p. 23.

ſubſtan-

ſubſtantia tecta videtur; aquae vero immiſſae mox tentacula pandunt. *Pennatula Sagitta* LINN. huius eſt mera varietas.

p. 28. In *Cardio echinato*, tab. XIII. et XIV. figuris delineato egregiis, animal falciforme ſeu pediforme dicit, quum maſſa principalis pedis imaginem et vſum praeſtet: pulchre miniata eſt, carnoſa, et rotundata. Tibia et planta aequales, latere angulum efficiente ſubſulcatae, planta acuminata. Baſin cingunt lamellae ſtriatae, quae nobis pulmonum vices habere videntur. *Siphones* breues cirris longis pendulis cinguntur.

p. 30. *Aſcidia Ruſtica*, tab. XV. repraeſentata, eſt Spongia PLANCI conch. 109. tab. 7. cuius pulpamentum ab Italis editur, eſtque huic ſimile pulpamentum *Aſcidiae*, quam ſub nomine *Alcyonii Phuſcae* deſcripſit FORSKÅLIVS anim. p. 129 *).

p. 32. *Pedicellarias* tres, noua a Noſtro detecta animalia, tab. XVI. ſiſtit: habitant eae inter aculeos *Echinorum*, et nudo oculo ſunt viſibiles: aliae Tridentis Neptuni, et hae maiores ſunt, aliae ceraſorum pedicellatorum formam offerunt. Eodem loco ſemper affixa manent, nec alibi, quam in apice capituli motum quendam obſeruauit Noſter: hoc aperiri et claudi, lobi et ariſtae ſeiungi et rurſus apice vniri poſſunt. Pedicellariam tridentem Cl. BASTER op. ſubſec. Vol. I. p. 139. pro proboſcide tricuſpidata

p. 47. *Echini* ſumſit. Occaſione deſcriptionis *Actiniae rufae*, quae Tab. XXIII. delineatur, ſynonymiam *Actiniarum* corrigit Noſter.

p. 54. *Amphitrites auricomae*, tab. XXVI. eleganter depictae, tubulum primus reperit in mari Islandico Cl. KOENIG, et LINNEO miſit, qui eum ob ſubſtantiam arenoſam *Sabellam granulatam* dixit: iure quidem ob tubulum; ſed tum *Sabella Penicillus* eſſet remouenda. *Nereis cirroſa*, tubulum quidem arenulis

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 516.

nulis permixtum habens, locum huius occuparet; animal autem aliud genus poſcit, cum nec *Nereis* ſit, nec os ringens habeat, *Sabella*que *ringens*, hoſpite diuerſiſſimo inſtructa, aeque ſeponenda erit. Igitur totum *Sabellae* genus ordini teſtaceorum minus bene accenſeri, ſed ipſum disiungendum potius, ac iuxta animalium fabricam ſpecies aliis generibus ſubordinandae videntur. Ob tentacula flexuoſa et pendula, corporis ſimilem ſtructuram, ac tubum fragilem generi *Amphitrites* hunc vermem adpoſuit Noſter: cui generi etiam *Nereis Belgica* PALLASII *miſcell.* p. 117. t. 9. f. I. - II. ſubmittenda eſt, cui *auricoma* perquam eſt ſimilis.

Iam in *Zoologiae Danicae prodromi* recenſione indicauimus, Cl. Auctorem diſtinguere inter *Faſciolas*, quae omnes et ſingulae in interaneis animalium inueniantur, et inter *Planarias*, quae in aquis degant: hic traduntur deſcriptiones et icones *Faſciolarum* in piſcium, nempe *Cotti ſcorpii*, *Percae Luciopercae* et *cernuae*, *Gadi Egleſini*, *Blennii viuipari*, *Cyprini Bramae*, et *Eſocis Lucii* inteſtinis primum a Cl. ZOEGA, dein ab Auctore repertae, atque in ſingulis piſcibus, ſpecies diuerſae, certis et eſſentialibus ſignis diſtinctae, habitant; quod quidem inventum magnam omnino in theorias de generatione animalium habere videtur influxum, atque maximam mereri attentionem. Nonne inde oppido ſequi videtur animalia haec in ipſis animalibus generari, neque ab extus in piſces ingredi? Vana videtur igitur eorum opera, qui vermium, in aliis animalibus habitantium, praeſentiam in aquis detegere ſtudent. Atque e re omnino videtur, vt ex hoc ſatis ſuperque, aliorum etiam obſeruationibus confirmato phaenomeno, colligant, quae ſibi proſint, medici in vermium, homini infeſtorum, indaganda natura, et remouenda noxa. Obſeruationes Cl. Auctoris, p. 68.

praeter deſcriptiones indicatarum Faſciolarum, *Faſciolam Lucii* attinent: plures enim in ventriculo, duas in inteſtini initio, omnes rubras, duasque vncias longiores; poro et laterali, et terminali certe affixas inuenit. Interanea in quibusdam pellucent, in aliis obſcura ſunt; in tres areolas diuidi poſſunt: primam occupat inteſtinum craſſius, ſubflaueſcens in magnum et contiguum ziczac ductum; ſecundam tres veſicae maiores albicantes, remotae, quales in *Echinorynchis*, ſeries ouulorum diſpalatorum ab vtroque latere vtriuſque areolae: in tertia conſpicitur inteſtinulum recta extenſum, nigrum, excrementis repletum, in extremitate in aperturam parvam deſinens.

p. 84. *Aſcidiam conchilegam*, tab. XXXIV. delineatam cum *Microcoſmo gelatinoſo* LINN. muſ. AD. FRID., praeter magnitudinem, fere conuenire oſtendit.

p. 86. *Vorticella putrina*, t. XXXV. depicta, in aqua marina tanti foetoris, vt minima gutta, microſcopio ſuppoſita, obſeruatori feruidiſſimo nauſeam moueat, totam fere hiemem degebat, aqua licet triduum
p. 89. gelu conſtricta, in regelata reuiuiſcebat. Quem in *Zool. d. prodr.* p. 2601. cum *Echinoryncho laeui*, qui in *Gado* inuenitur, coniunxit, nunc in inteſtino *Pleuronectis Limandae* repertum, *Echinorynchum attenuatum*, globiferum, corpore aequali flauo, collo filiformi, nominat. *Sphaerula* eius conſtat membranula glaberrima, in qua pellucebat duplex filamentum: an organum, quaerit Noſter, cono ſ. proboſcidi retrahendae inſeruiens? Caeterum figurae tres tab. XXXVII. hanc ſpeciem ſiſtunt. Eadem tabula *Echinorynchus candidus*, cuius mares et feminas diſtinctas Noſter vidit, et *Echinorynchus lineolatus* delineantur, de quibus plura lectu digniſſima Noſter habet. Caeterum huius ſingularis vermis LEEVWENHOEK primus meminit, anticam corporis partem

tem et proboſcidem depingens; dein Cl. PALLAS *in elench. Zooph.* nomine *Haerucae*, et *Taeniae haerucae* in XIX. Vol. nov. comm. Acad. Petr. *) eandem deſcripſit: quae vero an ſit ab hic deſcriptis ſpeciebus diuerſa non ſatis patet. Ad hoc genus etiam pertinet KOELREVTERI *Acanthocephalus* l. c. Vol. XV. **).

IV.

Nomenclatur und Beſchreibung der Inſekten in der Grafſchaft Hanau-Münzenberg, wie auch der Wetterau und der angränzenden Nachbarſchaft dies und jenſeits des Mains, mit erleuchteten Kupfern herausgegeben, von IOH. ANDR. BENIGNVS BERGSTRAESSER, *der Philoſophie ordentlichen Profeſſor, der evangeliſch lutheriſchen lateiniſchen Schulen zu Hanau Rektor, und der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin Ehrenmitglied. Erſter Jahrgang. Hanau, im Verlage des Verfaſſers* 1778. 11 *Bog. in* 4. 24 *Kupfert. Zweiter Jahrgang,* 1779. 10 *Bog. in* 4. 24 *Kupfert. Dritter Jahrgang,* 1779. 6 *Bog.* 24 *Kupfert. in* 4.

i. e.

Nomenclatura et deſcriptio Inſectorum, comitatui Hanovienſi, Wetterauiae et vicinis terris indigenorum, iconibus viuis illuſtrata et edita a IO. ANDR. BENIGNO BERGSTRAESSER. Ann. I. II. III.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 676.
**) vid. ibid.

Hoc libro, cuius ex inſtituti ratione breuem tantum mentionem iniicere licet, Cl. Auctor ſtuduit primum deſcriptione vberiore et accurata inſectorum, regionibus, in titulo libri indicatis, indigenorum, hiſtoriae naturalis ſtudium inter incolas magis commendare, tum et exteris indicare, quae illic inſecta habitent, ſicque haud pauca noua, vel hactenus obſcura, neque depicta in publicum edere. Negandum quidem non eſt multa ſic iam deſcripta et ab aliis depicta inſecta hic repeti: quod tamen ex eo, quod iis praeſertim ſcriberet Cl. Auctor Lectoribus, qui librorum et inſectorum copia carerent, euitari non poterat. Atque etſi artificis *Iacobi Mülleri*, autodidacti, tabulae aeneae priores neque arti, neque naturae ſatis reſpondeant: plurimae poſteriores tamen omnino bonae et cum ipſis inſectis apprime conuenientes deprehenduntur, atque priores icones negligentiores paſſim novis diligentioribus correctas inuenies. Primae tredecim tabulae Coleoptera continent, atque inter haec plures nondum pictas nouasque, praeſertim *Dyticorum* ſpecies, animaduertimus. Decima quarta tabula *Gryllos* repraeſentat, atque omnes, quae ſequuntur, tabulae aeneae Papilionum et ſpecierum, et varietatum ſatis magnum numerum depictum offerunt: Atque cum propter tabularum aenearum rationem deſcriptiones ſyſtematico ordine proponi non poſſent, Cl. Auctor finito iconographico hoc opere, Faunam Wetterauenſem ſe daturum pollicetur. Deſcriptiones Cl. Auctoris omnino ſunt laudandae: ſynonyma quoque diligenter et recte commemorata, aliorumque errores haud raro corriguntur. Plura qui cupit ſpecialiora, ipſum librum commendandum maxime, adeat neceſſe eſt. Id tantum ſubiungimus, icones Papilionum etiam ſeparatim

tim diuendi hoc titulo : *Papilionum Europaeorum hiſtoria naturalis etc.* Quo quidem libro, qui hanc nomenclaturam habent, non egent.

V.

CAROLI A LINNÉ genera plantarum eorumque characteres naturales ſecundum numerum, figuram, ſitum et proportionem omnium fructificationis partium, editio nouiſſima nouis generibus ac emendationibus ab ipſo perilluſtri Auctore ſparſim euulgatis adaucta curante D. IOANNE IACOBO REICHARD, Francofurti ad Moenum medicinae practico ord. et horti bot. Senkenbergiani praefecto, Acad. Imper. nat. cur. Societ. Scient. Princip. Haſſ. et Societ. amicor. nat. ſcrut. Berolin. ſodali. Francofurti ad Moenum, apud Varrentrapp filium et Wenner, 1778. 1 Alph. 18 plagg. in 8.

Quum inde ab vltima Generum plantarum editione multa noua regno vegetabili acceſſerint genera: viſum eſt neceſſe et vtile, aliam adornari editionem nouis iſtis generibus locupletatam, emendationibus nota iam genera concernentibus adauctam. Atque haec eſt ea, cuius adornandae curam in ſe ſuſcepit Cl REICHARD, Botanicus ſollicitus et celebris: in qua quidem, quoad vniuerſum, eadem, quae in ſexta editione generum plantarum a LINNEO adhibita eſt ratio operis, eſt reſeruata: at ſimul egregia commoda botanicis ſunt parata. Omnia nempe genera a LINNEO definita, eo ordine, quo in Syſtemate vegetabilium, a Cl. MVRRAY edito, diſpoſita ſunt, et emendata, ſuis locis inſe-

renda, inſerta. Characterum, a LINNEO generibus datorum, vel in Generibus plantarum, vel in Syſtemate vegetabilium, diſcrepantias in obſeruationibus, ad calcem characteris additis indicauit. Sic etiam, vbi character genericus omnibus ſpeciebus vnius generis adaptari non potuit, id obſeruationum ad inſtar adnotauit. Atque has quidem obſeruationes ex indicata Murrayana ſyſtematis editione deſumſit, alias vero nonnullas, quae hactenus in Linneanis operibus non reperiuntur, de quibus poſtea, ipſe, vt ſuas, addidit. Ea genera, quae LINNEVS non habet, neque hic data ſunt, vt hic *genuina Linneana* traderentur genera. Sed optandum eſt omnino, vt Cl. Auctor promiſſis ſtare velit, et hac libri forma et ratione earum ſtirpium characteres genericos tradere, quarum LINNEVS non meminit. Patet itaque ex his, completam atque correctam hanc Generum editionem omnibus Botanicis acceptam eſſe debere, ac praeſertim tironibus, qui priori editione carent, vtiliſſimam, cum hanc vili ſatis pretio ſibi comparare poſſint, in qua, quicquid huc pertineat a LINNEO promulgatum in vnum librum congeſtum reperiant.

Noua genera, in ſexta editione non contenta, hic ex ſyſtemate Vegetabilium addita, amplioribus tamen characteribus, ſunt triginta nouem, quibus accedit quadrageſimum: *Guſtauia*, a LINNEO in diſputatione *de plantis Surinamenſibus, anno* 1776 *edita*, primum definitum.

Reſtat, vt quasdam Cl. REICHARDI obſeruationes commemoremus. *Holoſteum vmbellatum* ſta-
p. 43. minibus 3 et 4, piſtilliſque quatuor variat. *Ribes*
p. 114. *alpinum* dioicam eſſe plantam, obſeruauit praematura morte ereptus Cl. LEERS in *Flora Herbornenſi.*

nenſi. Cl. ROTTBOELL *) characterem *Anacardii* (enneandr. monogyn.) ex nouis ſpeciminibus hoc modo illuſtratum ſiſtit: Planta polygama dioica. Hermaphroditus flos. *Cal.* Perianthium pentaphyllum, foliolis ouatis, concauis, erectis, coloratis, ſubvilloſis. *Cor.* Petala quinque, lanceolata, acuta, vt in charactere LINNEI. *Stam.* Filamenta 8 ad 10, ad baſin connexa; horum vnum reliquis craſſius, atque ⅓ parte longius, lobo grandiori germinis reſpondens; cui anthera triquetra, magna, fertilis, *decidua;* caeteris antherae minores, effoetae perſiſtentes, figura prioris. *Piſtil.* Germen obliquum, reniforme, lobo altero maiore ſuperius poſito. Stylus vnicus e ſinu germinis, ſubulatus, corollae aequalis. Stigma paruum, ſubrotundum, depreſſum, concauum. Recept. et Fructus vt in LINNEI charactere. *Maſculus flos* in diuerſa planta. *Calyx, corolla, ſtamina,* vt in hermaphroditis. *Piſt.* Germen nullum vel abortiens. In *Forskälia*, quae iuxta LINNEVM eſt decandra, *octo* tantum ſtamina obſervarunt Cll. IACQVIN et MEDICVS. *Pedalii* character, iuxta florem viuum deſcriptus a Cl. ROTTBOELL **), a Noſtro ſic reſtituitur. *Cal.* et *Cor.* vt LINNEVS dicit. *Stam.* filamenta 4, pilis glanduliferis ad baſin obſita, inflexa, tubo corollae minora, quorum 2 paullo breuiora. Antherae cordatae, didymae, apice glanduloſo aurantiaco. Rudimentum filamenti quinti inter ſtamina 2 breuiora, cum anthera ſimplici minima coloris aurantiaci. *Stigma* bifidum, lacinia ſuperior margine et apice reflexa; inferior reuoluta. *Spilanthi* genus nondum firmo ſtare talo videtur Cl. Editori. Differre a *Bidente* defectu palearum auctor eſt LINNEVS (*Syſt. nat. Tom.* 2. *p.* 533.) licet in *Syſt. veget. p.* 609. receptacu-

p. 205.
p. 238.
p. 329.
p. 410.

 lum

*) vid. Collect. ſoc. med. Havn. 2. p. 252.
**) vid. ibid. p. 255.

lum, ex errore forte typographico, dicatur paleaceum. Non autem paleas deficere alii demonſtrant. Ita IACQVINVS (*amer.* 214.) docet *Spilanthi vrentis* et *inſipidi* ſemina aucta eſſe lateribus membranula, quae ſuperne abeat vtrinque in ſetam vnicam alteram altera duplo longiorem; ſed ea ipſa membranula Noſtro receptaculi palea videtur. Cl. BERGIVS *) *Spilantho oleraceo* paleas deciduas, et Cl. MEDICVS **) in eodem et *Sp. Acmella* et *Pſeudoacmella* adeſſe reptaculum paleaceum obſeruarunt. Cl. REICHARD ipſe *Spilanthi oleracei* et *Pſeudoacmellae* receptacula paleis compreſſis carinatis, ſemina ſingula amplexantibus, inſtructa eſſe animaduertit. Negat Cl. MEDICVS ſemina ariſtas habere, quas tamen Cl. BERGIVS et REICHARD minutas viderunt. Denique floſculis quadrifidis ſtamina ſunt quatuor, et quinquefidis quinque. Solo igitur receptaculo conico, floribus tubuloſis, corollulisue quadrifidis cum quinquefidis immixtis *Spilanthus a Bidente* differre videtur: an vero ſatis?
p. 424. in dubio relinquit Noſter. In *Arnica montana* nulla in radio filamenta neque reperit HALLERVS,
p. 446. neque Cl. REICHARD. In *Filagine Germanica, mon-*
p. 471. *tana, aruenſi*, et *Gallica* ſemina pappoſa ſunt. *Ceratocarpi* et *Axyridis* characteres a Cl. GÜLDEN-
p. 556. STAEDT ***) reformatos ſubiungit. Sic et *Marſileae* characterem ex NECKERI ****) obſeruatione
p. 569. mutatum addit, vti et *Amomi Zerumbet*, *Spermacoces hiſpidae*, et *Heucherae* characteres ex MVRRAYI †) obſeruatione, et *Thaliae* notas, a ROTT-

BOEL-

*) Act. Holm. 1768. t. 7. vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 70.

**) Act. palat. III. p. 237. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 15.

***) nou. comm. Acad. Petrop. Vol. XVI. comm. noſtr. Vol XX. p. 15.

****) Act. palat. III. p. 295. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 19.

†) nou. comm. ſoc. Gott. Vol. III. et VI.

BOELLIO *), et *Calligoni* differentias a Cl. PALLAS in itin. tom. III. p. 536. datas, ſubiungit.

VI.

EIVSDEM ſyſtema plantarum, ſecundum claſſes, ordines, genera, ſpecies, cum characteribus, differentiis, nominibus triuialibus, ſynonymis ſelectis, et locis natalibus. Editio nouiſſima, nouis plantis ac emendationibus ab ipſo Auctore ſparſim euulgatis adaucta, curante D. IO. IAC. REICHARD. Pars I. Francofurti ad Moenum, apud Varrentrapp filium et Wenner. 1779. 2 Alph. plagg. 5. in 8. Pars II. ibid. eod. 1 Alph. 20 plagg. Pars III. ib. 1780. 2 Alph. plagg. 15. Pars IV. ib. eod. 2 Alph. 2 plagg. 8.

Sufficit vtiliſſimi huius inſtituti rationem breuiſſime indicare. Nimirum omnia, quae in variis LINNEI ſcriptis, ſyſtematum editionibus XII. et XIII. in Mantiſſis et in Diſſ. de plantis Surinamenſibus, hactenus de plantis diſperſa erant, in noua hac ſyſtematis plantarum editione aptis ſuis inſcribenda locis collegit Cl. Editor. Quo id quidem enatum eſt commodi praeſertim, vt iſtis ſcriptis Linneanis carere poſſint, quibus hoc ſyſtemate vti placuerit. Plantas a LINNEO neque viſas, neque deſcriptas conſulto omiſit: cum de iis alio loco et tempore dicere Cl. REICHARDO ſit animus. Praeter ſynonyma tamen a LINNEO commemorata, nuperorum botanicorum nomina et icones diligenter indicauit, qua quidem opera multum ſane ad cognitionem

*) vid. coll. ſoc. med. Hafn. 2. p. 249.

tionem plantae certiorem contulit: hinc inde etiam obſeruationes, ab aliis Auctoribus mutuatas, addidit. Plures etiam citauit Auctores, a LINNEO nondum allegatos. Nomina etiam Germanica, paſſim ſubiunxit. Atque ſic factum eſt, vt in tantum volumen accreuerit opus, in quo diligentia, atque ſollers cura Cl. REICHARDI omnem merentur plauſum.

VII.

Lettres ſur l'hiſtoire naturelle de l'Isle d'Elbe écrites à ſon Excellence Monſieur le Comte DE BORCH, par CHARLES HENRI KOESTLIN. Vienne, chez Jean Paul Kraus, 1780. 9 plagg. in 8. tab. aen. 1.

Continent hae epiſtolae praeſertim obſeruationes mineralogicas, quae phyſicam geographiam ſpectent. Tota Inſula, quae Romanis *Ilua* dicta fuit, eſt montoſa; montibus calcareis, ſchiſto argilloſo incumbentibus. Circa vrbem Rio ſunt colles argilloſi, quos ex granite acidis decompoſito ortos putat. Ante ipſam hanc vrbem mons, ex ſchiſto argilloſo compoſitus, reperitur, cuius ſtrata multum variant. Hic ſchiſtus ſaepe ſerpentino viridi et coeruleſcente obtegitur: atque ibi etiam ſteatites albus inuenitur. Mons, *Gioue* dictus, rupe quarzoſa conſtat. Mons magnetis, *monte de la Calamita* dictus, videtur omnino ex magnete eſſe compoſitus. Interim lapides ferrei ſoli expoſiti vim magneticam amittunt, ideoque effodiendi ſunt optimi magnetes: qui iuxta WALLERIVM ſunt *Magnes colore fuſco vel rubente.* Cum Cl. Auctor

acu

acu magnetica magneti, in naturali ſitu poſito, appropinquaret, ea primum irregulariter ſe mouebat, deinde autem meridiem omnino occupabat magna cum inclinatione verſus ſeptentrionem. Nam magnetes, quibus appropinquaret, in meridie poſiti erant. Videtur itaque polus ſeptentrionalis magnetum naturalium directus eſſe verſus meridiem. Declinationem acus magneticae in nauibus non fieri, niſi eae ſint admodum vicinae huic monti: atque videtur Auctori ferrum obtinere vim magneticam ab electricitate aëris, praecipue per tonitrua et fulgur. Obſeruauit enim et Cl. BECCARIA ferreos baculos in domo, quae fulgure tacta erat, factos eſſe magneticos *). In vicinia huius montis inuenitur etiam Schörlum viride ſ. Baſaltes viridis CRONSTÄDTI. p. 22.

Montes St. Hilarii, St. Petri et de Marciana et reliqui in Inſula verſus occidentem ſiti, omnes ex granite nudo conſtant, neque alia lapidis ſpecies obſeruatur. Montes de Marciana maxime ſunt elevati in Inſula, quamuis Cl. DE DIETRICH montem magnetis ſummum dicat. Iuxta baſin montis St. Hilarii inuenitur ſchiſtus argillaceus, in quo ſtrata parua Cacholonii albi et lactei inueniuntur, quem lapidi Piceo (*Pechſtein*) ſimilem dicit. Ibidem etiam variae ſpecies Asbeſti inueniuntur. Prope a monte St. Hilarii mixtura inaequalis partium conſtitutiuarum granitae obſeruatur. Aut enim quarzum modo, aut hoc cum mica deficiente, aut magnae maſſae micaceae congeſtae ſunt. Haec micae congeries Noſtro videtur originem praebere ſchoerlo, qui ſaepe in granite reperitur. Nigrum priſmaticum aut truncatum, aut pyramide mucronatum eſt hoc Schoerlum, fractura lamelloſa, atque ſaepe in veram micam reduci poteſt. Saepe ſunt eidem gra- p. 28.

*) vid. Opuſcoli ſcelti de Milan. Tom. XXXII.

nula quarzea immixta, ſaepe autem et ſine his cum chalybe ſcintillant. Originem ſchoerli ex mica, quamquam partium conſtitutiuarum ratio differat, quippe cum mica terram aluminarem pro baſi habeat, ſchoerlum autem terram manganenſem, ſic defendit, vt hanc rationem in omnibus ſchoerli ſpeciebus nondum eſſe comprobatam dicat. Sic quoque Cl. VAIRO Profeſſor Neapolitanus, arte parauit ex mica addendo ſalem, Glauberiano ſimilem, ſimiles ſchoerli cryſtallos. Nobis autem Cl. Auctor ſchoerlum cum corneo ſpatoſo, ſeu mica cornea confudiſſe videtur.

p. 35. In montibus vicinis reperitur terra argillacea flaueſcens, quae ex decompoſito granite orta eſt: nam ſaepe in ea quarzum atque ſpatum ſcintillans reperitur. Hanc granitae decompoſitionem ex ipſorum lapidum vitreſcibilium, qui eum conſtituunt, natura deriuat, vtpote quae ſit, iuxta Cl. BEAUMÉ et PÖRNERI experimenta, argilloſa cum acido vitriolico et phlogiſto intime mixta. Pluuia enim, nix, et humidum aëreum in graniten agens ſoluit phlogiſton, atque acidum cum partibus vitreſcibilibus vniens producet argillam.

p. 40. Ex obſeruationibus in hac inſula inſtitutis confirmatur, quae de ſtructura et aetate montium obſeruarunt alii. Schiſtus argillaceus plerumque lapide calcareo obtectus eſt: ideoque illius formatio prius facta eſt: cum tamen huic ſchiſto ſaepe calcareus immixtus ſit, videtur adhuc fluidus fuiſſe, cum a calcareo obtegeretur. Deinde ſchiſtus obtegit graniten, quod tamen breui poſt huius formationem factum videtur. Montes granitici ſunt antiquiſſimi et ſummi. Repugnat quidem Cl. ARDVINI, qui graniten Vulcani productum habet. Sed Noſter, qui obſeruationem Cl. Viri negare haud audet, exinde tamen ad omnem graniten colligi
p. 49. non poſſe recte putat. Minera ferri ſuper ſchiſto

poſita

poſita eſt. Petrefacta non inuenit Noſter; Cl. PINI tamen Patellitae et Ammonitae mentionem facit. Neque vlla Vulcanorum veſtigia in hac inſula inuenit.

Iam montem *de Rio*, in quo minera ferri re- p. 52.
peritur, contemplatur: eſt circiter trium milliarium in ambitu, verſus Orientem monti Gioue adhaeret, et verſus Occidentem mare ſpectat. Minera ferri ſchiſto argillaceo inſidet: altitudinem 300 pedum attingit, atque eius cacumen vt et omnis montis maſſa ex minera ferri conſtat. Vitis aliaeque plantae eidem pauca humi copia tectae innaſcuntur, atque in ſe multas ferreas particulas continent. Latus marinum arena ferrea nigra WALLERII eſt obtecta. In ſchiſto huius montis Asbeſtus aceroſus fibris mollioribus WALLERII inuenitur. In hoc monte etiam aqua mineralis ſcaturit, quae iuxta diſquiſitionem Cl. HOEFER, eſt vitriolica martialis, orta ex decompoſito pyrite: nam ſex librae medicinales continent ſpiritum mineralem acidum, magna in copia; ochrae 3 grana et ſelenitae, acidis repugnantis, 7 grana; ſalis vitriolici martialis ſubſtantialis 44 grana, et parum aëris elaſtici. Graniten p. 61.
circa hunc montem non inuenit Noſter, quemadmodum affirmat FERBERVS *). Minera ferri adhaeret ſaepe bolo verſicolori. Maxima pars huius minerae a magnete attrahitur, eſt coloris griſei, atque cum chalybe ſcintillat. Cryſtalliſata inuenitur vel cryſtallis polygonis ſ. potius dupla pyramide, baſi connata, compoſitis; vel criſtatis (*en forme de crete de coq*), vel lamellatis, quae interdum cellulas formant. Deinde mica ferrea etiam magnete attrahitur. Porro haematites niger atque ochra martialis indurata, varii coloris illic reperitur. Huic minerae ſaepe pyrites immixtus eſt, quin

*) in litteris ſuper Italia p. 442. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 244.

quin etiam Sulphur natiuum in ea inuenitur. Negat Cl. Auctor hanc mineram cum minera Toſcanenſi cohaerere.

Sequuntur obſeruationes botanicae et zoologicae, ſeu catalogus plantarum et animalium in hac inſula obſeruatorum. Adiecit nominibus Linneanis Cl. Auctor interdum Gallica et Italica et nonnullis ſpeciebus deſcriptiones, aliaque de earum vſu notatu digna. *Globularia Alypum* guſtu eſt amara, atque ab incolis ſcopo purgandi aſſumitur. Dolendum eſt vtilem atque lectu dignum hunc libellum multis mendis typographicis eſſe deformatum.

VIII.

Syſtema mineralogicum, quo corpora mineralia in Claſſes, Ordines, Genera et Species, ſuis cum varietatibus diuiſa deſcribuntur, atque obſeruationibus, experimentis, et figuris aeneis illuſtrantur, a IOHAN. GOTSCH. WALLERIO, Equite Ordin. Reg. Waſaei, Chemiae, Metallurg. et Pharmac. Profeſſore Reg. Ord. et Emerit. Vpſ. cet. Tom. II. In quo Minerae et Concreta deſcribuntur, cum Indice quadruplici. Holmiae, impenſis B. def. Direct. Laurentii Saluii, 1775. 1 Alph. plagg. 2. tab. aen. 1. in 8.

In praefatione monet Cl. Auctor, terram, quae baſin ſalis amari conſtituit, ſ. magneſiam albam non prius inter primitiuas et per ſe ſubſiſtentes numeran-

merandam eſſe, quam indicatum fuerit, quo terrae loco per ſe ſubſiſtens et hoſpitans reperiatur. Iam vero cum in pluribus lapidibus Talco, Serpentino, aliisque haec terra inſit, eandem omnino ad primitiuas cenſendam eſſe putamus. Idem valet de terra aluminis, quae puriſſima et per ſe ſubſiſtens Halae Saxonum reperitur. Cl. Auctor autem putat, magneſiam albam potius vt mediam inter ſal alcalinum naturale et terram calcaream conſiderari poſſe, quam vt mediam inter calcaream et argillam: etenim ad ſalinam magis, quam ad terream inclinare indolem. Cl. Auctor optat, vt accuratis obſeruationibus decidatur, annon iſta loca, vbi magneſia reperiatur lapidibus inhaerens, olim ſub vnda marina ſubſtiterint? Interim eandem inter calcareas terras numerat, et compellat *Calcaream terram* tenuiſſimam, albam, aqua ſolubilem, igne mutabilem.

In ipſa libri expoſitione Cl. Auctor vtitur methodo, quam ſatis ample, ſupra *) indicauimus. Quapropter hic characteribus cognitis ordinum, generum, et ſpecierum omiſſis, nouas Cl. Auctoris obſeruationes proponamus. *Minerae* nomine Cl. Auctorem, ſalia, ſulphura et metalla comprehendere ex priore tomo notum eſt.

De acido vitriolico, in acidulis et thermis plurimis reperiundo, eiusque ſubtiliſſimo et maxime volatili ſpiritu hanc habet opinionem: idem ſpirituoſum a lenta minerae pyritaceae cuiusdam fateſcentia deriuat; id quod ex abſentia ferri et vitrioli in genuinis acidulis, ex hepatico odore aquarum et ex ſulphureo, quod SEIPIVS a ſalibus neutris acidularibus per ſublimationem obtinuit. Experimento

p. 6. et Praef.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 437.

mento cum limatura martis et ſpiritu volatili aquoſo, parua calcis copia addita, obtinuit aquam ſpiritu ſulphureo grauidam, aquae minerali maxime ſimilem, magis tamen nauſeoſo ſapore praeditam. Perinde eſt Cl. Auctori, ſi quis vaporem ſub fateſcentia pyritae naturali, vel efferueſcentia acidi vitriolici cum ferro generatum, appellare velit vel *aërem fixum*, vel *aërem inflammabilem*, vel *acidum aëreum*. *Acidum phoſphoreum* in fluore minerali detectum
p. 10. a Cl. SCHEELE aſſumit. In eo differt ab *acido phoſphori vrinae*, quod illud cum calcarea terra combinatum, fluorem mineralem phoſphoreſcentem conſtituat abſque alia inflammabili materia ſuperaddita aut combinata; hoc vero, ſuo inflammabili orbatum, nullum conſtituat phoſphorum. Interim de origine huius acidi Cl. Auctor adhuc dubius manſit.

p. 13. *Sal ſedatiuum* acidis Salibus non adnumerat, cum nec ſapore, nec odore, nec conſiſtentia, nec habitu ad reagentia cum his conueniat. Etſi transmutationem acidorum Cl. Auctor concedat, inde tamen ſequi negat, acida muriaticum et nitroſum a vitriolico oriri: etenim omnia haec acida a *communi principio* deriuari poſſunt, a quo aequaliter originem habent, diuerſam vero induunt naturam pro diuerſitate particularum, cum quibus adunan-
p. 16. tur. Salium acidorum originem primam deriuat Noſter ab aqua ſ. vapore aquoſo cum materia in-
p. 18. flammabili intime iuncto. Pro gradu compoſitionis et differentia materiae inflammabilis diuerſa producuntur acida: nam a tenuiſſimo vapore aqueo cum puriſſima et ſubtiliſſima materia inflammabili combinato, oritur acidum aëreum: a phlogiſto minerali cum aqua ſubterranea combinato vel cum acido aëreo aſſociato, acidum vitriolicum oritur: ſi phlogiſton vegetabile vel animale aquae vel acido

aëreo

aëreo vnitur, acidum nitroſum: ſi principium inflammabile metallicum vel arſenicale ſ. lucis materia cum vapore aquoſo ſ. acido vniuerſali iungitur acidum ſalis, et a peculiari inflammabili materia cum ſalis ſ. vitrioli acido vnita acidum phoſphoreum minerale oritur.

Inter vitriola, *vitriolum ferri cryſtalliſatum* p. 22.
cubice commemorat. De alumine *lapide calcareo* p. 34.
mineraliſato, quorſum refert alumen Romanum de Tolfa rubens, aliudque nigrum *Andrarum* in *Scania* reperiundum, valde dubitamus: etenim demonſtravit Cl. FERBERVS prius omnino in lapide argillaceo reperiri: forte idem de poſteriori etiam valet. Nobis rationes, quas commemorat Cl. Auctor ideo,
vt probet terram aluminis eſſe *calcaream* ſubtiliſſi- p. 42.
mam mutatam, non ſatis graues videntur, quin potius vero ſimilius putamus terram aluminis primigeniam ſuique generis eſſe.

Nitri natiui, in *Tartaria Tibetana* inuenti *) mentionem iam in praefatione fecit: indeque opinio de huius ſalis, ad vtrasque partes conſtitutiuas, perfecta et ſimultanea origine confirmatur. Quae de origine Nitri quondam **) propoſuit, hic emendat.

Tres *Natri* natiui proponit varietates a) *cryſtallina facie*, cryſtallis priſmaticis parallelis, aliquando obliquis, aliquando ſtriatis facie fere Gypſi ***), quod in prouincia Suckena Regni Tripolitani invenitur b) in maſſa aut gleba concretum ex regno Hami in Tibet †) c) in ſuperficie terrae efflореſcens.

Praeter

*) vid. Act. Holm. Vol. XXXIII. p. 171.
**) in recreat. Phyſiques T. I. p. 672.
***) act. Holm. Vol. XXXIV. p. 140.
†) vid. ibid. Vol. XXXIII. p. 172.

p. 76. Praeter Sal commune aſſumit etiam *Sal neutrum purum*, quod tamen naturae *Salis fontani* proxime accedit. Reperitur *pyramidale* et *cubicum* ca-
p. 77. vum, non tamen, niſi in aquis ſolutum. Sal ammoniacum et *cruſtoſum* *) et *vulcanorum* habet. Originem tamen huius ſalis maxime dubiam cenſet, an omne a Vulcanis dependeat, aut alio modo
p. 80. etiam producatur. Sub finem tractatus de ſalibus adiicit, ſe non ſolum vidiſſe, ſed et examinaſſe *ſolutionem auri in acido vitriolico*, praeparatam ab Ill. I. I. ANCKARSTRÖM. Hanc ſolutionem cum oleo tartari p. d. examinauit, quo, ſub magna efferueſcentia, praecipitatus fuit tenuiſſimus flaueſcens puluis, qui verum et puriſſimum erat aurum: Hanc tamen ſolutionem, addit, accuratiſſimas exigere manipulationes, tam in menſtrui paratione, quam in auri purificatione et tritura, in ipſa ſolutione, debito ſub regimine temporeque perficienda. Laudatur praeterea Generoſ. ANCKARSTRÖM, quod ſuas operationes iuxta principia chemica extendat ad commoda reipublicae promouenda.

Boracem dicit *Sal alcalinum*, pinguedine quadam commixtum; dubitat tamen an naturale, vel artificiale ſit: ex recentioribus tamen relationibus conſtat Boracem non ſolum, ſed et eius principium ſal ſedatiuum, eſſe naturalia **). *Sal ſedatiuum* non ſolum Boraci eſſe inexiſtens opinatur, ſed *ipſum ſal Boracis*, quocunque modo mutatum, et ad acidam magis inclinans naturam: id quod coniicit ex deſtillatione, quam cum ſaccharo, quod oleo vitrioli diluto admiſceretur, inſtituit, hic enim ſimiliter quidpiam ſalis albidi in recipiente obtinuit. Quae quidem ſententia corroboratur, quod hoc ſal ſedatiuum

*) vid. MODELII *Verſuche über ein natürliches Salmiak.*
**) cf. *Sammlungen zur Phyſik etc.* vid. ſupra. p. 307.

vum etiam ex parte ſeparetur Spiritu Vini, et aequalibus cum Borace gaudeat proprietatibus. Alteram ſpeciem Boracis aſſumit *Borech*, quod ſale p. 85.
alcalino mixtum ſit.

Sequuntur *Sulphura*, et inter haec *Bitumina* p. 89.
primum. *Naphtha* attrahit etiam aurum ex aqua regis, dum in ſolutionem auri effunditur. Cum *Naphtha Vitrioli*, arte parata, iisdem facultatibus cum Naphtha naturali praedita ſit, quaerit Cl. Auctor, an haec ſimiliter acido vitriolicó volatili et materia inflammabili compoſita ſit. Plura cum *Li-* p. 100.
thanthracibus inſtituta experimenta narrat; quibus inter alia, quorumdam lithanthracum in igne intumeſcentiam, aluminis inſtar, obſeruauit, quam a terra aluminis, qua lithanthraces ſaepe ſunt impraegnati, (et quae, ex noſtra ſententia, lithanthracum baſis eſt,) pendere, eamque eſſe calcaream, (qua in re a Cl. Auctore nos et plures diſſentiunt,) ab admixto pingui aliisque materiis mutatam opinatur. Experimentis aliis vidit ſalina et alcalina, et acida volatilia eſſe in lithanthracibus maxime variabilia, ſalua eorum natura; ideoque ſalia accidentalia eſſe lithanthracibus. Partes eſſentiales eorundem ſunt oleum, vel combinatum cum duriori vel molliori terreſtri aut lapidea materia, vel lignum vegetabile terra ſubmerſum penetrans. Hoc oleum autem cum eo, quod in Maltha et Aſphalto praeſens eſt, idem eſſe, non vero ſuam ab oleo vegetabili habe- p. 106.
re originem, ſed naphtham generari a materia ſubtiliſſima inflammabili, cum aqua mediante acido combinata. Etiam *Succino* mineralem originem tri- p. 115.
buit, cui tamen repugnant fruſta ſuccini, ipſi ligno ſubterraneo, aquis innatanti, inhaerentia. Sal ſuccini neque ab acido vitriolico, neque a muriatico ſuam habere originem, ſed vel fotu ac calore ſubterraneo generari, vel vaporibus aquoſis plus minus

p. 125. ſe aſſociantibus. *Sulphur natiuum rubrum* phaeno-
menis in igne, fuſione, flamma et fumo a Riſigallo
p. 129. ſeu *minera arſenici rubra* differt. Globuli pyrita-
cei et marchaſita ab ipſo pyrite non videntur ſpe-
p. 137. cie differre, vt Auctor ea diſtinxit. Proportionem
acidi ad materiam inflammabilem in Sulphure ſic
definit, vt grauitatem ſpecificam acidi concentrati
multis vicibus grauitatem ſpecificam materiae in-
flammabilis ſuperare, maſſam autem huius phlogi-
ſticae materiae aequalem, ſi non maiorem eſſe di-
cat, quam acidi maſſa. Exinde igitur Sulphur nil
aliud eſſe, quam inflammabile concentratum forma
p. 140. ſolida ſ. terreſtri exiſtimat. Negat Cl. Auctor con-
tra HENKELIVM et alios, eſſe terram quandam
non metallicam, a matrice diſtinctam, quae pyri-
ten conſtituat.

p. 144. Diſtinxit, more Veterum, Cl. Auctor *Semime-
talla* a Metallis, inuita, vt nobis videtur, natura: et-
enim verbo iſto, falſa oritur notio, corpora ſic nomi-
nata quibusdam ex cauſſis non eſſe metalla, cum
tamen omnino non differant, niſi proportione et
intimiore nexu partium conſtitutiuarum: Chara-
cteres igitur illa ab his diſtinguentes ſunt vagi at-
que incerti.

p. 149. De Hydrargyro primum. Quod nuper de-
mum in ducatu Bipontino inuentum eſt *Hydrargy-
rum* argento *amalgamatum*, olim etiam *Salbergae* in
Weſtmannia repertum eſſe teſtantur *Acta Erud. Vpſal.*
p. 153. 1720. *trim.* 3. *p.* 55. Refert Cl. Auctor, in Bipontio
reperiri *Cinnabarin* in ſpatho calcareo, Belemnitis re-
pleto, atque lithanthracibus inhaerentem ad *Ilmena-*
p. 155. *viam.* Magnam inter mercurium et plumbum con-
venientiam obſeruari docet ex aequalitate cum
plumbo, quam vbique ſuſcipit mercurius coagula-
tus, ex colore in plumbo et mercurio fuſis fere ae-
quali, ex grauitate ſpecifica vtriuſque parum diffe-
renti,

renti, ex indole ſe facile et intime cum oleis combinandi, ex eo, quod vtraque in igne in fumum abeant, easdemque mutationes in acidis mineralibus mercurius quoad colores experiatur, quas ignis in plumbo producat; deinde quod inepta ſint ad calcinationem completam et perfectam, et denique quod facilis ſit transmutatio vnius ex his metallis in alterum. Mercurius Noſtro videtur eſſe compoſitus a principio quodam terreo, ſalino acido et materia inflammabili.

Sequitur Arſenicum: quod quidem in aqua forti difficulter ſolui notum eſt: Cl. Auctor expertus eſt partes 50 eiusdem requiri ad partem arſenici vnam, atque neceſſe eſſe, vt hoc acidum diuidatur et trinis vel 4 partitis vicibus addatur, quauis vice aquam fortem ſub coctura ad ſiccum euaporando: Inde obtineri ſolutionem cryſtalliſatam, cryſtallis figura quadrilatera, reſiduum coagulari in claram tenacem materiem, gummati ſimilem, et appellari gummi arſenici. Minera arſenici alba amorpha, et cryſtalliſata, vt varietates, in vnam ſpeciem coadunandae nobis videntur: ab his diſtinguit Mineram arſenici *cineream*, ſulphure et ferro mineraliſatam, et *flaueſcentem* pyrite ſulphureo mixtam: ſed et hae varietates ſunt; iisdem enim conſtant partibus conſtitutiuis, neque, niſi proportione earundem, parum a ſe recedunt. Ex obſeruationibus colligit, Arſenicum eſſe ſal metallicum, volatile, corroſiuum, ex parte cum Mercurio conueniens: differt tamen vel in mutata proportione partium conſtitutiuarum, vel in principii terreſtris diuerſa natura vel in vtrisque momentis.

p. 158.
p. 165.
p. 172.

Hoc excipit *Cobaltum:* etſi conſentimus cum definitione generis a Cl. Auctore data, tamen ſpecies quaedam, ab eo aſſumtae, ad varietates tantum ſunt relegandae. Sic minera cobalti ſulphurea et

p. 173.

cryſtalliſata vna eſt eademque cum priore Cl. Auctoris minera Cobalti teſſulari: atque minera Cobalti cinerea conuenit cum minera cobalti ſcoriaeformi.
p. 183. Colores in ochra Cobalti lutea, alba, coerulea, et viridi non a Cobalto, ſed a calce ferri et cupri vel coeruleo vel viridi, quibus parumper cobalti immixtum eſt, pendent.

p. 194. Expoſitis proprietatibus *Niccoli*, de Antimonio agit, vbi id notamus, contra veram differentiam, ex diuerſa cohaeſione iterum eſſe ſpecies conſtitutas: eiusdem enim naturae ſunt tres Cl. Auctoris ſpecies, minera antimonii ſtriata, ſolida, et cryſtalliſata, nec niſi varietates vnius eiusdemque ſpeciei. De
p. 201. regulo Antimonii putat Cl. Auctor eundem vt *peculiare ſemimetallum* eſſe conſiderandum, quod compoſitum videtur ex inflammabili principio, et terra quadam metallica ſpecificata, cuius indoles ignota ſit.

p. 203. In *Wiſmuthi* ſpeciebus dubiae nobis videntur Minera Wiſmuthi cinerea, et verſicolor, quas varietates Wiſmuthi natiui eſſe putamus. Cl. Auctor demonſtrat Wiſmuthum maximam habere cum Plumbo conuenientiam, eſſeque compoſitum materia inflammabili et terra metallica, eiusdem fere indolis, vt in plumbo.

p. 212. Poſtremo loco Zincum conſiderat, quod inter ſic dicta ſemimetalla eſt tenaciſſimum, adeo vt contuſione in puluerem redigi nequeat, nec tamen malleabile. Sulphure nulla adhuc nota arte com-
p. 215. binari poteſt. *Mineram Zinci vitream* dicit, quae CRONSTEDTII eſt M. Z. calciformis pura indurata, eamque ſulphure mineraliſatam, putat: eſt colore griſeo parum coeruleſcente, aliquando et virideſcente aut flaueſcente, fractura inſtar quarzi apparet, ſed abſque nitore et duritie; quoad ſtructuram eſt vel nodoſa, vel ſtratoſa et cauernoſa, interdum

dum cellularis: calcinatione flaueſcit et odorem ſulphureum emittit, quam et dum malleo fortiter percutitur, eructat, vnde ſulphuris praeſentia in hac minera patet: cum acido vitrioli, aqua diluto, efferueſcit et integre ſoluitur, quae ſolutio a lixivio alcalino coagulatur, euaporata vero et cryſtalliſata, praebet cryſtallos albas priſmaticas. Reperitur *Flintſhire in Anglia.* Alias ſpecies Pſeudogalenae varietates vnius ſpeciei putamus. Combinationem cum aliis metallis et affinitatem cum Stanno eiusque diuerſitatem Cl. Auctor vberius docet.

Metalla Ordinem quartum conſtituunt, atque hic *ferro* primus locus eſt adſcriptus. Secunda ſpecies *minera ferri cryſtalliſata* comprehendit cryſtallos *cubicas* et *octoëdricas*, quarum priores tritura et raſura puluerem dant fuſcum neque a magnete attrahuntur, cum poſteriores puluerem nigrum dent, et magnete ſint attractiles: Quapropter nos eas mixtione, atque igitur etiam ſpecie differre putamus. Molybdaenam inter mineras ferri ponit: etenim mixta cum ſale ammoniaco dat flores martiales, perfecte calcinata a magnete trahitur, calcinata, vel per ſe, vel cum nitro mixta, in crucibulum ignitum ſucceſſiue iniecta et fortiter fuſa, deinde refrigerata et bene edulcorata, ſi poſtmodum forti cum fluore funditur, dat ferrum ad 18 libras et vltra pro centenario, vt docuit Cl. QVIST *). Poſtea ferrum fuſum vel regulus martialis in aqua ſalina vel aqua forti per temporis ſpatium relictus faciem et indolem molybdaenae ſuſcipit: ferrumque, ſulphure ſolutum, ſtructuram aequalem poſt fatiſcentiam in aëre recipit. A ſulphure ideo et corroſione ſtructuram molybdaenae

p. 229.
p. 249.

*) vid. Act. Holm. Vol. X. p. 129.

ſquamoſam et indolem pictoriam pendere Cl. Au-ctor arbitratur. An quidpiam ſtanni vbiuis molybdaenae admixtum ſit incertum eſt: id certum eſt, quod hoc metallum, magna copia ſulphuris ſuper id ipſum fuſum ſucceſſiue iniecta, cum eodem non ſolum combinetur, ſed et in albos flores, more Zinci, in igne volatile fiat, vt experientia Cl. Auctorem docuit: ac praeterea molybdaena vix alibi, quam in fodinis ferri, vel ſtanni reperiatur.

p. 265. Ipſum ferrum, quod ex plurimis corporibus obtinetur, in plurimis terris et lapidibus, imo, in vegetabilibus et animalibus nonnullis accidentaliter quidem admixtum eſſe; illud autem, quod ex iisdem poſt incinerationem et calcinationem obtinetur, non vt eductum, ſed vt a terra in illis praeſente et cum inflammabili materie combinata, produ-
p. 269. ctum conſiderandum eſſe. Ferrum naturaliter compoſitum eſſe exiſtimat materia inflammabili, terra argillacea et aliqua aciditate ſeu electrica materie, in argillacea terra fixata, qua eadem in terram mar-
p. 270. tis mutatur. Haec electrica materies Cl. Auctori probatur a ſcintillis electricis, quas ferrum in igne emittit; a maxima attractione, quae reperitur inter ferrum et materiam electricam, ab harmonia, quae inter electricam materiem et magnetem eſt obſervata, et ab attractione et ſolubilitate maxima ferri in acido Vitriolico, quod eiusdem fere eſt indolis cum materia electrica, accedente inflammabili ſubtiliſſimo. Hinc patere ait, cur magnes vix niſi ad ſuperficiem reperiatur; neque vnquam in venis profunde adſit: cur argilla ſubdialis magis martialis reperiatur, quam profundius ſita, et cur terra vegetabilis et animalis martialis fieri poſſit. Electricam enim materiam plus minus figi poſſe.

p. 276. *Cuprum natiuum*, quod nonnulli in dubium vocant omneque eſſe per naturalem praecipitatio-

nem

nem productum exiſtimant, recte Cl. Auctor diſtinguit: neque enim coaleſcentia particularum cupri praecipitati teſtimoniis ſat firmis confirmari, neque cuprum natiuum dendroides, vel granulatim lapidibus immixtum aut in ſtratis obuium, vel cryſtalliſatum, vt praecipitatum conſiderari, vel cum praecipitatione quadam conciliari poteſt. Etenim et figura et locus huic repugnant. Placent Cl. Auctoris ſpecies minerarum Cupri, praeter mineras cupri flauam et virideſcentem, et ſubflauam, quas vnam tantum ſpeciem conſtituere putamus. Cuprum generatum eſſe opinatur terra ſimplici vitri- p. 297.
ficabili, ſed, quae a principio ſulphureo ſubtili ſit mutata ac penetrata, atque principio inflammabili.

Plumbum natiuum Cl. Auctor aſſumit: ſed p. 301.
loca, quae commemorat omnino dubia ſunt: e. g. muſeum Richterianum, ſed nos ipſi, ſaepe muſeo Richteriano perluſtrato, nihil niſi fruſtulum plumbi fuſi, pro natiuo, illic ſeruari et haberi animaduertimus: idem haud dubie valet de muſeo Speneriano: Reliqua loca ex relatione aliorum tantum nominat, vt inde probabile nobis ſit, Cl. Auctorem, fide aliorum, plumbum natiuum aſſumſiſſe, nec vidiſſe: Ideoque donec ipſum plumbum natiuum ab Auctore autopta, fide digno, deſcribatur, illud omnino reperiri negamus. Inter ſpecies minerarum Plumbi, Galena cryſtalliſata et ſpec. II. Galena mineraliſata, quae nihil eſt, niſi Galena lapidi inſenſibiliter immixta, ad varietates tantum Galenae ſ. ſpec. 2. ex noſtra ſententia ſunt referendae. Cl. Au- p. 314.
ctori probabile videtur Plumbum eſſe compoſitum ex alcalino quodam principio, ſalino vel terreſtri, a materia inflammabili penetrato atque ad partem volatili reddito, deinde vero cum alia inflammabili materia combinato. Hoc alcalinum ſal terram viteſcibilem appellari poſſe putat. Plumbum pro p. 315.

diuerſa tranſpoſitione et combinatione partium vel in mercurium, vel in argentum deprehenditur mutabile. Si immutetur proportio partium conſtituentium plumbi, adeo, vt magis proportionata fiat quantitas principii terreſtris ſ. ſalini ad principium inflammabile, et arctior vtriuſque nexus, h. e. diminuetur quantitas principii mercurialis, tum mutatur plumbum in argentum.

p. 318. Stannum natiuum auctoritate Cl. QVIST *) ſtatuit: mineras ſtanni 6 aſſumit, nempe *cryſtallos minerales ſtanni*, mineram cryſtallorum ſtanni, et ſolidam, quae tamen cum *Arena ſtannea* omnino varietates vnius ſpeciei videntur. *Mineram ſtanni ſpatoſam* veram non vidimus, neque mineram ſtanni ſtriatam, amiantiformem, quam omnium grauiſſimam albam, et facie in fracturis

p. 324. vitrea dicit, in *Siberia* inueniendam. Terra calcarea ſtannum ingredi Noſtro videtur, ex colore calcis ſtanneae albo, ex eiusdem difficili in igne vitrificatione, faciliori in acidis ſolutione, a ſapore amaro, a gelatinoſa coagulatione in plurimis acidis et ex vitrificationibus calcis ſtanneae, terris calcareis ſimilibus. Inflammabile principium alteram eſſentialem ſtanni partem exiſtimat, arſenicum autem per accidens ſtanno tantum admixtum ſaepe eſſe.

p. 326. Inter mineras argenti optandum eſſet, vt eae, quibus accidentaliter argentum immixtum eſt, ſeparatae eſſent a veris mineris argentiferis, e. g. *hepatica*, *zincoſa* et *pyriticoſa*. Deinde minerae argenti *lapidea* et *mollior* Cl. Auctori dictae, non ſunt, niſi variae minerae argenteae, lapidi vel terrae immix-

p. 330. tae. Inter minerae argenti vitreae varietates, fuſca, flaueſcens, et virideſcens nobis vel ſuperficialiter

p. 334. hoc colore aliunde infectae, vel ad mineram argenti corneam pertinere videntur: atque ipſa minerae argenti

*) vid. Act. Holm. 1766. p. 231.

argenti albae deſcriptio potius m. a. arſenicalem, quam eam indicat, quam Noſtrates *Weisgüldenerz* dicunt, cui quidem varietatis prioris color plumbeus conuenit; var. b. c. vero videntur ad mineram argenti griſeam pertinere. Mallemus etiam m. a. plumoſam ſub antimonii mineris commemorari, cuius maxima ex parte particeps eſt. Caeterum argentum maximam habere affinitatem cum plumbo et mercurio colligit Cl. Auctor partim ex colore fere eodem in his metallis, partim a grauitate ſpecifica non multum haec inter metalla diſcrepante, partim ab aequali fere indole in et cum acidis mineralibus et fortiori attractione ad acidum ſalis, ab imperfecta calcinatione in igne et acidis, et a vitrificatione, in qua vitra tingant flauo colore. Igitur haec metalla eadem agnoſcere principia conſtitutiua, et differre tantum in proportione et nexu earundem partium putat. p. 350.

Aurum mineraliſatum dari concedit; minerae tamen auriferae Nagyagenſis nondum fecit mentionem. Maximam videtur Cl. Auctori aurum habere conuenientiam cum mercurio, grauitate ſpecifica, difficili vtriusque ſolutione in acido vitriolico, forti attractione ad acidum ſalis et imperfecta calcinatione vtriusque. Praeterea mercurium et aurum maxima ad ſe inuicem gaudere attractione, atque a mercurio fixato tam argentum, quam aurum obtineri poſſe. Hinc colligit, aurum eadem compoſitione cum argento et mercurio inſtrui ſ. id ipſum, vt mercurium ſumme attenuatum et fixatum, atque cum inflammabili materia eadem, quae in cupro vel ſtanno reperitur, arctiſſime combinatum conſiderari poſſe. p. 358.

Vltimum in metallis locum *Platinae* tribuit Cl. Auctor, quod fuſione purificata auri grauitatem ſpecificam ſuperet, ſitque ad aquam, vt 22000: 1000. p. 365.

In

p. 373. In claſſe quarta *Concretorum* nomine contemplatur 1) *Poros*, ſ. eiusmodi foſſilia, quae a prius deſcriptis foſſilibus, quocunque modo deſtructis, ſunt generata atque producta, adeoque denuo concreta: huc refert producta Vulcanica, ſ. *poros igneos*, et ſtalactites et tophos ſ. *poros aqueos*. 2) *Petrificata vegetabilia* et *animalia*. 3) *figuratos* lapides, qui quacunque cauſſa ſingularem figuram obtinuerunt, qui ab aliis luſus naturae dici ſolent, et vel in lapidibus ſiliceis e. g. Achatis, vel in calcareis vt dendritae obueniunt. 4) *Calculos* ſ. corpora, quae tam origine, quam indole a reliquis mineralibus differunt, et aliqua ſolum ex parte iis ſimilia ſunt. At enim vero priores ſ. Poros lapidibus forte melius adnumerari cenſemus: plurimae enim terrae ex diſſolutis lapidibus ortae ſunt, et plures hinc iterum lapides, priori Claſſi a Cl. Auctore inſerti. *Calculi* autem omnino ex regno mineralogico ſunt relegandi. Atque etſi Petrificata melius in phyſica telluris conſideratione, et figurati lapides in tractatu de origine foſſilium aptius indicarentur, tamen horum enumeratio *appendicis* loco hic non ſolum excuſanda, ſed et laudanda videtur. Petrificata quoad diuerſitatem vegetabilium et animalium Cl. Auctor enumerat, atque plura commemorat rariora, multaque de eorum ſitu et mutationibus telluris notatu digniora refert, quae tamen omnia nos Lectoribus ipſa legenda et iudicanda relinquimus.

IX.

Beytrag zur Mineralgeſchichte von Siebenbürgen. Erſter Theil. Welcher die Nachricht von den Verſteinerungen des Grosfürſtenthums Siebenbürgen, mit einem Anhange und beygefügter Tabelle, über die ſämmtlichen Mineralien und Foſſilien dieſes Landes, enthält. Zweyter Theil, welcher die Geſchichte des Steinſalzes und der Steinſalzgruben, mit einer, das Streichen des unterirdiſchen Salzſtocks, durch mehrere Länder andeutenden Karte, und andern Kupfern, verfaſſet von IOHANN EHRENREICH VON FICHTEL, *Kaiſerl. Königl. würklichen Kammerrath im Grosfürſtenth. Siebenbürgen, und Ehrenmitglied der Berliniſch. Geſellſchaft naturforſchender Freunde; und herausgegeben von der Geſellſchaft naturforſchender Freunde zu Berlin, mit einer Landkarte und* 6 *andern Kupfern. Nürnberg, im Verlag der Raſpiſchen Buchhandlung,* 1780. 4. 1 *Alph.* 14 *Bog.* 11 *Kupfert.*

i. e.

Specimen hiſtoriae mineralogicae magni ducatus Transſiluaniae. Pars I. Relatio de Petrificatis. Pars II. Hiſtoria Salis communis natiui et ſalinarum. Auctore IOANNE EHRENREICH VON FICHTEL.

Nulli dubitamus, quin omnibus hiſtoriae naturalis cultoribus relationes, hoc libro contentae, acceptae et vtiles ſint futurae, quum corpora naturalia regionis, quae hoc reſpectu plane fere eſt incognita, in eo deſcribantur. Cl. Auctor in deſcriben-

ſcribendis petrefactis omnem adhibuit diligentiam, notatuque digniora ſpecimina aeri incidenda curavit: eo ordine eadem deſcripſit, quo loca natalia eadem offerunt, atque ſitus rationem montiumque naturam, vbi eadem reperiuntur, diligenter notat: quae quidem methodus nobis inprimis arridet, cum exinde ad mutationes globi terraquei optime colligere liceat. Accepta etiam omnibus erit addita mappa geographica Transſiluaniae correcta. Omni fere genere Conchyliorum petrefactorum, Lignorum et Coralliorum Transſiluania abundat, ex quibus nobis, per inſtituti rationem, pauciſſima tantum nominare licet.

p. 19. In comitatu *Szolnok* prope a vicu *Sibo* colles argillaceo arenacei petrefactis repleti ſunt, inter quae *Gryphitae* eximiae magnitudinis notari merentur, qui ſeptem pollices magnitudine, 5 latitudine, duos craſſitie, et 2 vel 3 libras pondere aequant: vtraque valuula inſtructi raro occurrunt; attamen talem et alium integrum Cl. Auctor, Tab. II. f. 1. 2. depingi curauit.

p. 29. In comitatu *Koloſs* prope a pago *Korod*, duo milliaria a *Klauſenburgo* diſſito, collis mediae magnitudinis ſenſim adſcendens offert terrae lapſum, in quo ſtrata, collem componentia, plane conſpiciuntur: humus ſtratum primum pedale efficit, tum ſequitur arena flaueſcens marina, 3 pedes craſſitie aequans, deinde ſtratum calcinatorum et partim petrefactorum conchyliorum, duos aut tres pedes altum, atque denique ſtratum arenaceum. Ex his ſtratis, ſecundum et quartum petrefactis omnino carent. Veſtigia hic olim factae inundationis recte, vt nobis videtur, inueniri ait. Infimum ſtratum arenaceum tamquam ex aqua praecipitatum aſſumit, noua inundatione facta teſtacea aduehebantur, et compingebantur, atque ex illic commorante aqua

alterum

alterum ſtratum arenaceum deponebatur, quod denique humus, aquis diffluxis, tegebat. Non quidem defendit Noſter hanc inundationem fuiſſe diluuium Noachale, attamen cum oceano cohaeſiſſe, ab illoque ortam eſſe atque tempus, quo hoc factum ſit, incertum eſſe. Refutat deinde Cl. Auctor opinionem, qua lacus Transſiluaniam inundans, cauſſa petrefactorum habetur: concedit tamen Poloniam quondam lacum magnum fuiſſe, atque Tyram ſibi vadum ſuum effodiſſe, diffluxo per Transſiluaniam lacu: quod quidem obſeruationibus confirmat. Hic p. 34.
inſerit ſimul breuem, at genuinam et concinnam montium Transſiluanicorum deſcriptionem: quos in altiſſimos, medios et promontoria diuidit. Priores ex Granite, Saxo fornacum LINN. et Quarzo, quod hic ſaepe magnas rupes conſtituit, componuntur. Medii ex Gneuſſo, Schiſto micaceo, argillaceo et corneo, vt et ex calcareo *granulari*, nunquam petrefactis praedito, et ſaxo metallifero BORNII conſtant. Ac promontoria vel ſtratoſa, vel ex fruſtis conglutinatis variorum lapidum aliunde huc translatorum exaggerata ſunt: in his omnia petrefacta occurrunt. Pergit Noſter originem montium altiſſimorum et mediorum explicare, quae tamen nobis non omnino probatur. Eosdem enim igne generatos dicit; Quarzum eſſe *naturale* vitrum, quod ab intima ignis vi eleuatum, et illi montes vtrique ſimul eleuati ſint. Hinc neceſſe ſequi, vt quarzum, quod imum locum occuparet, iam nunc ſumma cacumina occupet; etenim in centro poſitum ſumma vi eleuatum alios lapides perrupiſſe, ac deuoluiſſe: atque hinc etiam patere, cur in montibus mediis calcareus mox a ſchiſto tegatur, mox illum tegat, cur eius ſtrata mox horizontalia ſint, mox obliqua.

Prope

p. 46. Prope a *Gyaulu* in comitatu *Koloſs* copioſe inueniuntur *Helicitae* ſ. *lapides nummales*, et quidem iam humo mixtae, ſequitur ſtratum Helicitarum, pauca argilla mixtorum, tum ſequitur argilla flaveſcens, deinde ſimili modo ſtrata plura dictorum petrefactorum cum argillaceis alternant: quae quidem obſeruata inundationibus ſucceſſiuis haec petrefacta huc lata eſſe confirmant. Atque ſtrata his helicitis compoſita, 4 orgyarum craſſitiem ſuperant. Helicitae ſemper ſunt calcarei.

p. 52. Singulare petrificatum in comitatus *Hunyad* collibus calcareo arenaceis repertum, Tab. IV. f. 6. delineatur: pertinet illud ad biualuia, et tamen coni formam habet, valuae ſunt vndatim lamellatae:
p. 63. baſis operculo lamellato praedita eſt. *Al-Peſtis* eodem in comitatu petrefacta offert in collibus calcareo arenaceis maxime varia, et omnium in Transſiluania pulcherrima, quae quidem egregie a Noſtro deſcribuntur; ex omnibus vnius, Milleporites ſtellatus dicti, et Tab. IV. A. B. C. depicti, mentionem faciamus.

p. 50. In agris pagorum *Banty Hunyad* et *Zentelke*, in comitatu *Koloſs* ſitorum, reperiuntur magna fruſta, pondus nonnullorum centenariorum ſaepe aequantia, lapidis arenacei, calcarea terra conglutinati, quae in ipſa humo diſperſa ſunt, atque ſaepe Cochlitas, Buccinitas et Echinitas continent. Regio fere eſt plana, vicina tamen montibus ſummis. Si-
p. 96. mili ratione prope a pago *Talmatſch*, quod vno milliari ab vrbe *Herrmanſtadt* diſtat, duo iuxta radicem iugi montium, quod Transſiluaniam a Wallachia ſeparat, montes ſunt, qui partim ex ſtratis arenacei particulis maioribus compoſiti, maximam partem autem ex congerie ſilicum, iaſpidis, granitae, calcarei et arenacei conſtant: qui congeſti terra calcarea arcte iterum ſunt conglutinati. His ipſis con-

geſtis

geſtis lapidibus inſerti ſunt calcarei, helicitis lenticularibus repleti, quorum nonnulli pondus ſex centenariorum aequant. Haec fruſta calcarea helicitis repleta, vt et ſupra dictos arenaceos lapides inundatione antiqua, quae probabile diluuium Noachale ſit, eo in ſtatu, quo nunc ſunt, huc delata eſſe; multo antiquiore tempore vero in aliis locis et montibus ipſos lapides et petrefacta in illis formata eſſe, quod tempore praeadamitico factum eſſe ſuſpicatur.

In monte, prope a Klauſenburgo ſito, *Feleker* p. 117. dicto, quo altius venias, eo maiora, oualia, vel globoſa fruſta lapidis arenacei, calcarea terra conglutinati, vbiuis reperiuntur: eademque etiam in aliis vſque ad Thordam extenſis montibus, vt et prope ab Hermanſtadt in collibus arenaceis Noſter inuenit. Quorum quidem originem a conglutinata arena cum calcarea terra, atque volutatione in aqua deriuat. Praeterire cogimur plura lectu digniſſima.

In appendice indicat Cl. Auctor breuiter foſſi- p. 121. lia Transſiluaniae ea, quae nondum ſunt deſcripta. Simul montis *Büdos*, qui vulcanus etiamnum intus vrens eſt, deſcriptionem ſuccinctam addit. Tabula ſynoptica indicat loca, in quibus hoc vel illud minerale inueniantur, et minerales aquae ſcaturiant.

Accedimus ad partem alteram, quae, vt titulo P. II. indicatur, hiſtoriam Salis foſſilis continet. Docet p. 15. igitur Cl. Auctor Sal in Transſiluania cohaerentem atque praegrandem maſſam ſolidam efficere, quae ſub terra, inſtar iugi montium extendatur, mox cadat, mox eleuetur, et cuius altitudo nondum ſit explorata. Nonnullibi e. g. *Szovatae*, et *Parayd* nuda haec maſſa ſalinos montes conſtituit; alibi e. g. ad *Olah Pintek*, *Billak*, *Szek* et *Homorod* iidem montes ſalini, humo tecti ſunt. Huic ingenti Salis foſ- p. 20. ſilis maſſae montes ſummos impoſitos eſſe exiſtimat,

quod probat obſeruationibus in montibus *Lipſcheenſibus* factis: ibi enim iuxta radicem montis ſtatim ſub humo ſal reperitur, atque ſub fluuio *Lipſche* etiam conſpicitur. In aliis eiusdem iugi montibus eadem obſeruauit: exinde colligit, ſalis foſſilis maſſam a fluuio *Zabola Putna* vſque ad montes *Ketſchkeſch Havaſch*, quod eſt ſpatium trium dierum tempore peragrandum, ſub ſummis alpibus extendi.
p. 26. Extenſio huius ſalinae maſſae, quae mappa ſubiuncta egregie illuſtratur, incipit ex mente Cl. Auctoris, circa meridiem in Wallachia prope a *Rimnik Oknauiae*, atque finitur verſus ſeptentrionem in Vngaria, iuxta *Sowar*; in Polonia autem Wieliczkae iuxta Kracauiam. Omne igitur montium Carpaticorum iugum ſali foſſili incumbere ſuſpicatur.
p. 29. Comparat deinde hanc ſalis extenſam maſſam cum fundo maris, atque vtraque ſibi admodum ſimilia dicit. Montes vicini ſunt gypſei, atque ſal etiam argilla tegitur: interdum etiam ſchiſtus argillaceus et margaceus occurrit. Petroleum ſcaturit ea in regione, vbi ſub ſummis montibus ſal repoſitum eſt. Petrefacta prope a ſale non reperit Cl. Auctor. Fontes ſalſi, quos tanquam ſigna ſalis foſſilis aſſumit, copioſe illic dantur. Praeterea Cl. Auctor demonſtrare annititur marinae aquae ſalſedinem, ſi non productam eſſe, tamen conſeruari a ſale foſſili vbiuis fere terrarum reperiundo; amaritiem autem eiusdem a petroleo, copioſe ſuper ſale ſcaturiente dependere. Atque de his omnibus Cl. Auctor primo capite diſſerit.

p. 44. Altero capite ſalis foſſilis varietates et proprietates exponit. Purum ſal ſemper album eſt: occurrit vero etiam griſeo et nigro, raro etiam rubro et flaueſcente colore inſigne. Eſt deinde vel pellucidum, quod in fragmenta cubica diſſilit, vel

fibroſum

fibroſum et ſtalactiticum, vel cryſtalliſatum cubicum reperitur.

Capite tertio corpora peregrina ſali foſſili inclusa recenſet, quorum alia ſuperficialia, caſu tum, cum iam ſalis maſſa formata eſſet, ex ſuperficie telluris illuc delata, alia profundius poſita ſunt; haec igitur iam ſolida fuiſſe arbitratur, cum ſalis maſſa formaretur. Huc refert argillam, quae venarum ad inſtar ſalem peruagatur, gypſum et cryſtallos ſeleniticas, aquam, quae interdum magna in copia interdum guttatim in ſale inuenitur, et denique carbones ligneos. p. 58.

Iam capite quarto de origine huius ſalinae maſſae agit. Atque negat eandem talem, qualis nunc eſt, in principio telluris creatam, concedens principium ſalinum primigenium eſſe; neque ductibus ſubterraneis ex mari ortam, neque a mari praecipitatam, neque a diluuio productam, neque nouiter generatam vel adhuc formari poſſe concedit. Sed potius originem huius magnae ſalis foſſilis maſſae ex theoria LEIBNIZII *) explicat. Igitur aſſumit tellurem arſiſſe, igne extincto collectam aquam ſalinas et oleoſas partes cinerum ſoluiſſe, eamque ita ſalinis oleoſisque impraegnatam particulis loca profundiora exuſta occupaſſe, atque ſic ſalinam magnam hanc maſſam conſtituiſſe. Oleum in ſuperficie aquae manſiſſe, atque inundationibus ſubſequentibus cineres vulcanicos, arenam et lapides ſal iam induratum obtegiſſe, atque cum oleo mixta, argillae cinereae bituminoſae ortum dediſſe. Deinde, cruſta ſuperiore telluris iam indurata, imas p. 68.

 abyſſos

*) vid. EIVSD. Protogaea §. 3. et 4. edit. Genev. operr. Leibnizian. Tom. II. p. 202. 203.

abyſſos etiam flagraſſe, atque igne vulcanico terrarum lapidumque ſtrata eleuata, montes produxiſſe, ſal detexiſſe, et vulcanos effeciſſe, quales etiam in Carpathicis montibus fuiſſe teſtatur ſupra dictus BÜDOSCH. Hoc tempore etiam ductus ſubterraneos, cum mari communicantes, apertos eſſe, atque ſic marinae aquae ſalſedinem ſemper eſſe conſeruatam. Recenſet praeterea ſequentibus capitibus Cl. Auctor loca, in quibus ſalis fodinae ſint, rationes quibus fodinae aperiantur atque exſtruantur, modos quibus ſal ex fodinis nanciſci ſoleant ſalis foſſores, ac denique, qua ratione diuendatur ac in alias regiones tranſportetur. Quae quidem ſingula, cum magis oeconomiam, quam phyſicam ſpectent, nos Lectoribus legenda commendamus.

X.

Mineralogiſche Geographie der Churſächſiſchen Lande von I. F. W. CHARPENTIER, *Churfürſtlich Sächſiſchen Bergcommiſſionsrath und Oberbergamtsaſſeſſor, Profeſſor der Bergakademie zu Freiberg. Leipzig, bey S. L. Cruſius,* 1778. *Seitt.* 492. *mit* 7 *Kupfert. in* 4.

i. e.

Geographia Mineralogica Saxoniae Electoralis. Auctore I. F. W. CHARPENTIER.

Originem huic libro, variae et ſummae cum doctrinae, tum vtilitatis, dedere varia itinera, quae Cl. Auctor inde ab anno 1771, mappae Saxoniae petrographicae conficiendae cauſa, ſuſceperat. Agitur vero in ea de eleuatione varia aut depreſſione varia, h. e. montibus et vallibus harum terrarum, et ſaxis aut foſſilibus, quibus hae vel illi conſtant.

p. 1. Initio docetur in mineralogica regionis cuiusque deſcriptione montium eius directionem, variamque

que altitudinem, etiam fluminum, quibus diriman-tur, curſum eſſe indicandum: illam *barometro* defi-niri. Tum exhibetur Saxoniae hunc in modum deſcriptio, *mappa petrographica* eiusdem, in qua ſaxa et foſſilia regionis cuiusque coloribus aut litte-ris, altitudo relata ad eleuationem Vitebergae ſupra maris ſuperficiem numeris definitur. Diuiditur Saxonia in orientalem et occidentalem ex Albi fluuio partem. Haec e campis Luſatiae inferioris, eue-hitur verſus meridiem in Luſatia ſuperiori ad eum montium tractum, qui monti giganteo Sileſiae ad-nexus hinc eo monte, qui *Tafelſichte* dicitur, termi-natur, per varios deinde flexus Pirnam deductus paulatim deſinit.

Altera pars, quae circulos Electoralem Mi-ſenenſem, Lipſicum, Montanum, Voigtlandicum, Thuringicum comprehendit, quorum priores tres plani fere ſunt, Montanus ad ſummam paulatim al-titudinem euehitur, quam monte ab Abietibus *Fich-telberg* dicto attingit, inde Bohemiam verſus prae-ceps delabitur etiam verſus *circ. Voigtlandicum*, inde leniſſimo deſcenſu, ad Orlam vſque defertur. Reli-qua pars *circ. Neoſtadienſis* paulo elatioribus mon-tium dorſis aſſurgit. *Thuringicus* tandem, *Lipſico* vicinus, maximam partem planus eſt.

In Barometrica emenſione altitudinis mon-tium MAYERI *formulam* eſt ſecutus (vid. KAEST-NERS *Abhandl. von Hochenmeſſungen durchs Baro-meter* §. 214).

In vlteriori diuiſione fluminum maxime ſequi- p. 1.
tur montiumque ductus, ex *Luſatiae inferioris ſupe-rioriſque parte ſeptentrionali* exordiens. Arena maxime conteguntur, vt *circ. Electoralis*, praeter-quam quod in *hac* prope *Wehrauiam* primo *calcarei* p. 6.
lapidis ſtrata, tum *montes arenacei*, aliquot *Lithan-thracum venis* diſſecti, occurrunt, etiam *argillae* et

 minerae

minerae ferri alternantia ſtrata. Eiusdem *pars me-*
p. 11. *ridionalis*, *Niſſa* terminata, *ſaxis graniteis* conſtat,
qui hinc nudi extant; hinc *Schiſto micaceo* etiam
Baſaltae rupibus conteguntur. Exeunt in montem,
p. 13. *die Tafelfichte* dictum, per quem montibus gigan-
p. 15. teis adhaerent. *Pars reliqua* vltra *Niſſam Granite*
p. 18. conſtat, locis multis in baſaltae columnas exeunti-
p. 19. bus. Inde ad *Zittauiam* oppidum planior pergit,
a quo verſus meridiem altiora aſcendunt montium
iuga e *Granite*, *Lapide Arenaceo* et *Corneo Fiſſili*
WALLER. cuius deſcriptio datur, compoſita. Inde ab
p. 22. *Olbersdorf* iugum Lapidis Arenacei, ſuper Graniten,
vt videtur, impoſiti in Bohemiam tranſit inde egreſ-
p. 24. ſum Albim ſequitur et Pirnae confinia occupat. *Wal-
thersdorfi*, qua mons iterum deſcendit, Granites ite-
p. 28. rum et Corneus fiſſilis comparent. Inde quae ſe-
ptentrionem ſpectat regio planior eſſe incipit, prae-
ter nonnullos montes e Corneo fiſſili, Granitae, vt vi-
p. 30. detur, impoſitos. Hic nudus iterum prope *Herrn-
huth* apparet, et in eo mons, ex *Baſalte*, cuius *vitrum*
p. 32. Achati Islandico ſimile eſt. Pergit *Granites*, *Budiſ-
ſam*, *Camentium* et Regiopontium (*Königsbrück*)
vſque, prope quod oppidum olim ſalinae fuere, inde-
que in *circulum Miſenenſem*, in quo *Stolpae* in baſalteas
exit rupes, qua occaſione data plura de hoc lapidum
genere differuntur, etiam *vineae* huius circuli *Granite*
p. 40. conſtant. Tum immergit ſe infra *arenaceos lapides*,
qui a Stolpa Dohnam vſque extenduntur, atque *Ma-
xae marmore* obteguntur. Hoc mox in *Porphyri-
ten* deſinit. *Granites* iterum conſpicitur in valle
Plauenſi (*Plauiſcher Grund*,) ad *Potſchappel* vſque,
quo loco vallis incipit *lithanthracis ſtratis* nobilis.
Tum *Porphyrites* Miſenam vſque pertinet, prope
quam illa *Opali* ſpecies, quae *Pechſtein* dicitur (vid.
Clariſſ. WERNERVS in noua CRONSTEDTII Mine-
ral. edit. Tom. I. P. I. p. 124.) inter Porphyriten re-
poſita

poſita integros montes, Porphyriticis ſimiles, conſtituit. Reliqua pars Miſenenſis, et Lipſienſis circuli Porphyrite ſaxo conſtat, intra quod Frohburgi elegans genus Iaſpidis, (Iaſpis variegata faſciata WALLERII) reperitur.

Pars ſecunda circulum *Montanum* et *Voigtlandicum* complectitur, et *prima* quidem eius *ſectio* confinia *Fribergae.* Huius regionis montes Gneuſo p. 74.
maxime continentur, de quo hic pluribus agitur. p. 83.
Intra hos ad *Siebenlehn Spatum ſcintillans*, *Braeuns-* p. 86.
dorfi marmoris ſtrata reperiuntur. Digreſſione hinc p. 87.
facta explicat Cl. Auctor naturam et rationem variasque virtutes *venarum metallicarum*, enumerat huius regionis *metalla*, *fodinarum aetatem* et *reditus*, earundemque per *cuniculos* coniunctionem oſtendit. Tum regreditur ad eam huius regionis partem, quae ex litore Muldae orientali, verſus ſeptentrionem et orientem pergit. In hac prope Munzig Gneuſum intra
Porphyrites immergitur, inde prope Scharfenberg p. 121.
Granites montes componit, variis *venis metalli* ſectus, p. 122.
in quibus etiam *Zincum* calciforme cum ferro ſulphuratum CRONST. min. §. 230. reperitur.

Sectio II. Regionem deſcribit, quae Mulda, p. 136.
Bohemia, et circulo Miſenenſi limitatur. Tractus montium, quibus efficitur, leni aſcenſu, vſque ad Altenberg aſſurgunt, Granite, Gneuſo, Porphyrite conſtant. Maxime memorabilia hoc in tractu ſunt,
vena metallica Achate conſtans (*der Corallenachat-* p. 139.
bruch) *rupes* quaedam *quarzeae* e Gneuſo eminentes p. 140.
prope *Frauenſtein*, ibidem *Granites* in Porphyritem
degenerans, *mons Baſalteus* ad Luchauiam e Gneuſo p. 142.
eminens, *Achates* Schlottwitzenſis, *Schiſti* mons cum p. 143.
Lapide Arenaceo, impoſitus, *Gieshuebeliae*, ibidem- p. 146.
que *acidulae*, *metalla ſtanni coaceruata Altenbergae*, p. 149.
(*Stockwerke*), quae non orta eſſe, vt putant, e con-

p. 163. curſu variarum venarum, contenditur, etiam *me-*
talla Zinnwaldenſia.

p. 169. Regio intra *Floeham*, *Tſchopauiam*, *Poehlam*
fluuios et *Bohemiae fines*, de qua *Sectio III.* exponit,
verſus Bohemiam magis magisque attollitur, intra
p. 172. quam decliui lapſu deſcendit. *Gneuſo* conſtat,
praeterquam quod, qua Floeha in Tſchopauiam in-
fluit, ex oppoſito latere, Porphyrites tranſit. Inſignia
p. 173. ſunt: Venae *calcarei* lapidis intra Gneuſum prope
p. 175. *Längefeld*, et *Schmalzgrube*, montes *Zoeblizenſes*, e la-
pidibus, *Serpentino*, Ollari, Asbeſto, Amiantho, qui-
p. 180. bus granata inſunt, compoſiti; *metalla* argenti et ſtan-
ni *Marienbergae*, intra quae ſaxi genus a foſſoribus *die*
p. 186. *Kalkgänge* dictum, Auctori illud videtur, quod Sue-
cis *Trapp* dicitur (CRONSTEDT. Mineralog. §. 267.)
p. 189. *aquae* medicatae calidae *Wolkenſteinii*, ſaxi ſpecies in
p. 192. monte a ſuibus dicto (*der Sauberg*) ad Ehrenfrie-
dersdorf, *ſchwarze Wacke* dictum, Baſalti ſimile, ibi-
p. 169. demque inſueta cryſtallorum genera, a quorum al-
p. 199. terum priſmaticum dodecaëdrum Fluor mineralis
p. 203. eſſe videtur; alterum priſmaticum tetraëdrum, py-
p. 210. ramide hexaëdra truncata finitum, ad Beryllos, Cl.
WERNERO Auctore, pertinet. In eo tractu mon-
tium, qui a ſiluis *Waldgebirge* audit, *Granites Gneuſo*
impoſitus, *metalla ſtanni coaceruata* Geyeri, et prope
abhinc ſimilia *Pyritae Cupri* inueniuntur.

p. 212. *Sectione IV.* ad eam partem progreditur Cl.
Auctor, quae Poehla Caſſa et Tannebergenſi fluuiis
atque Bohemia circumſcribitur, et magis magisque
p. 214. ad eam altitudinem, in qua mons abietum (*der Fich-*
p. 216. *telberg*) dicitur, euehitur. Efficitur maxime *Gneuſo*,
p. 219. intra quod locis multis *Lapidis Calcarei* ſtrata ſunt,
p. 230. etiam columnae *Baſaltae*, quarum tres non procul
p. 233. ab Annaberg eminent. Deinde metalla huius regio-
nis, praeſertim *Annabergica*, e quibus Cobaltum
maxime redit, deſcribuntur, etiam *Raſchauienſia*, in
quibus *ſtrata* et *venae* metalli vna reperiuntur.

Sectio

Sectio V. peragratur ea circuli *Montani* pars p. 236.
quam Bohemia, Mulda Zwickauienſis, et Caſſa flu-
vius, quem tamen etiam transgreditur, terminant.
Etiam haec *Gneuſo* maxime conſtat, qui tamen
magis cum Granite variat. In Gneuſo lapidis *cal-* p. 240.
carei ſtrata ſunt paſſim eaque prope Bermsgrün
metallifera. Hic reperitur etiam *Achates Praſius* p. 244.
WALLERII, deſcriptus ab Auctore, quae eſt Quarzi
ſpecies (vid. Cl. WERNERVS ad CRONSTEDT. *Mi-*
neral. T. I. P. I. p. 116.) In Granite prope Aue p. 245.
terra porcellanea eſt, eruiturque e fodina *der weiſſe*
Andreas Neufang dicta; in alia, non longe a Cran- p. 247.
dorf, *interſtitium* inter Graniten et Gneuſum *mine-*
ra ferri repletum eſt: *diſtrictus* metallicus *Iohann-* p. 249.
Georgenſtadtenſis, inſignis eſt minerarum lapidumque
varietate, in his *Luna cornea*, aliaeque Argenti mi- p. 261.
nerae variis *Viſmuti* generibus, *Arſenico*, maxime
natiuo, et *Cobalto*, *Corio* et *Subere montano*, *Mica*
druſica *viridi*, (vid. WERNERVS ad CRONSTEDT. p. 267.
p. 217.) concomitatae: diſtrictus *Eibenſtockenſis*
cuius montes *Granite* maxime conſtant, intra quem p. 268.
Opalus repertus eſt, altiſſimus eorum *der Auersberg*
dicitur, eſtque ſecundus altitudine poſt eum, quem
ab Abietibus nominari vidimus. Eſt etiam in eo p. 270.
montium colluuies (*ein Seifengebürge*) in qua non-
nunquam Aurum, ſaepius *Stannum*, *Opalus* et *Beryl-* p. 278.
lus reperiuntur. Diſtrictus *Schneebergenſis*, Mulda p. 280.
a ſuperiori ſeparatus, *Granite* et *Schiſto argillaceo* mul-
tas Quarzi particulas amplexo conſtat, memorabi-
lem in modum, in ſe inuicem tranſeuntibus. Red- p. 286.
eunt ex hoc tractu maxime *Cobaltum* et *Viſmutum*.
Memoranda in eo ſunt, marmoris fodinae ad *Kalck-*
grün, et *Cinnabaris*, olim in *Schiſto argillaceo* ſpar-
ſim *Hartenſteinii* reperta.

Sectione VI. agitur de regione inde a Chem- p. 293.
nitz ad Circulum Lipſicum, Ducatum Altenburgi-

p. 294. cum, circulum Neoſtadtienſem, ea *Porphyrite* con-
ſtat, qui huc tranſit e circulo Lipſienſi, praeter quod
p. 298. qua cum ſuperiori cohaeret *Schiſtum argillaceum* in-
que eo paſſim *Serpentinum* lapidem habet. Illius ge-
nera varia ad aedificandum adhibentur v. c. *Zeiſig-
waldae* in quibus etiam Lithomarga, Iaſpides, Car-
p. 299. neoli, Chalcedonii, Amethyſti, etiam Lithoxylum re-
periuntur, nec non Zwickauiae Lithanthraces, qua-
rum fodinarum varia ſtrata pluribus enumerantur.

p. 305. *Sectione VII.* circ. *Voigtlandicus* conſideratur,
Montano, *Bohemia*, principatu *Culmbaco Baruthenſi*,
p. 308. et Comitatu *Reuſico* limitatus. Eodem *Schiſto ar-
gillaceo* occupatur, *orientali* latere excepto, quod
granites tenet. In eo commemoranda praecipue
p. 309. eſt *rupes* illa *der Schneckenſtein* dicta, quae *Topazios*
Tabula praebet, cuiusque facies, e quatuor mundi partibus
IV. V. conſiderata, quatuor *tabulis aeneis* exhibetur, pluri-
VI. VII. busque deſcribitur, etiam *arena metallica auri*, quae
p. 327. in *Goeltſcha* coniunctim cum *Arena ferri* reperitur.

p. 331. Pars III. *de Neoſtadtienſi* et *Thuringico* circulo
exponit, et de illo ſeparatim ſectio I. Tres in eo
p. 332. montium tractus eminent. Vnus e *Schiſto* latus
obſidet, quod meridiem et occidentem ſpectat, alter,
qui ex Septentrionibus verſus occidentem ducitur
p. 332. e *Saxis arenaceis*, tertius (*das Flötzgebirge*) e diuer-
p. 333. ſis *ſtratis lapidis calcarei, arenacei, Schiſtorum* argillae
p. 338. varii generis, nonnunquam etiam *minerae ferri* com-
poſitum, quorum prius metallicis etiam venis ſeca-
tur, verſus meridiem et orientem vergit. Hic pro-
p. 343. pe *Groscamsdorf* ferrum natiuum in lapidum ſug-
geſtu (*Halde*) repertum eſt, ſed quod arte potius
olim eductum videtur.

Sectio

Sectio II. eiusdem partis Thuringicum circulum, Comitatum Stollbergicum et partem Mannsfeldici amplectitur. Haec regio duabus praecipue vallibus dirimitur, per quas *Sala* et *Vnſtrutha* fluunt. Tegitur maximam partem arena, argilla, luto, humo. Infra priorem ſaxa arenacea ſunt prope *Leucopetram.* Non longe a *Numburgo calcarei lapidis*, infra quem *Wethauiae Gypſum* conſpicitur. Hi *arenacei* et *calcarei* montes per breue ſpatium occultati exeunt iterum *Eckardsbergae*, ibique initium conſtituunt montium, qui *die Finnberge* dicuntur, et adnectuntur alteri iugo, *die Haynleite* dicto. Ad hoc oppidum reperta eſt Calx martialis phlogiſto iuncta et alcali praecipitata (CRONSTEDT. Mineral. §. 206. BRVNNICH.) etiam Schiſtus aluminoſus. Reliqua eorum pars Gypſo conſtat, paſſim *calcareis* obtecto *lapidibus. Longiſaliſſae Stalactitae calcarei* ſtrata ſunt, et infra ea Turfae. Aliud montium iugum, parallelum alteri, *Haynleite* dicto incipit tribus horis ab *Artern*, et *Nordhuſam* vſque, verſus ſeptentrionem et occidentem pergit, et partim *Granite* conſtat. Eius dorſum ſeptentrionale aſſurgit paulo altius, et *mons Kiffhuſicus* dicitur, inſignis *ligno petrefacto in Lapidem Corneum*, cuius magna fruſta *lapidi arenaceo* inſunt. Montes, qui *Schiſtum aeriferum* continent, (*die Kupferflötzgebirge*), exaggerantur ſtratis diuerſis luti, argillae, gypſi, margae, lapidis calcarei, ſuilli, tandem *ſchiſti margacei bituminoſi* (vid. WERNER. ad CRONSTEDT. p. 73. P. I. T. I.) qui aes continet et argenti paulum. Occupant tractum per 5 – 6 miliaria porrectum, et fere tria extenſum. Sequitur ſalinarum huius circuli deſcriptio, quae omnes quum e Gypſo praecipue emaneant, quaeritur: Num forte aqua fontana per gypſeos canales deducta naturam ſalſae induere poſſit, quod argumentis quibusdam veriſimile redditur.

p. 348. p. 349. p. 350. p. 351. p. 354. p. 357. p. 358. p. 365. p. 377.

Denique

p. 385. Denique ſectio IV. ſiſtit generaliores montium
p. 386. Saxoniae contemplationes, quae breuiter luſtran-
p. 387. tur, Gneuſo maxime et Granitae inniti demonſtran-
p. 388. tur, quae ſaxa primarios montes (*die Grundgebirge*)
noſtrae terrae efficiant. Id etiam de *Gneuſo* recte
dici, neque eum *Granite* iuniorem aut in hoc depo-
ſitum eſſe, probatur 1) e conuenienti vtriusque
ſitu, 2) ex interiori ſtructura montium Gneuſi, 3) ex
eo, quod confuſi ſaepe inuicem iacent, nam et ve-
nae metalli e Granite in Gneuſum tranſeunt, et ve-
nae Granitae Gneuſum ſecant, 4) ex affinitate eorum
coloris et partium, quibus conſtant, 5) e ſtructura
Gneuſi nec regulari ſatis, nec partes ante diſcretas
p. 397. oſtendentibus. Idem confirmatur §. II. quod Gneu-
ſum per quosdam quaſi gradus in Graniten tranſit.
p. 398. §. III. agitur de diuerſis alienorum lapidum in gneu-
ſo ſtratis maxime calcareorum, quae e teſtis con-
chyliorum non orta eſſe, contra LINNAEVM et BVF-
p. 407. FONIVM demonſtratur; §. IV. de Baſaltae in Saxonia
rupibus, qui vulcanicae originis eſſe non videntur.
p. 412. §. V. exponit primo, quae *montium* genera *metalli*
venas contineant, quae non: tum *de venarum* origi-
ne diſputatur: refellitur opinio eorum, qui eas mon-
tium fiſſuras poſtea repletas eſſe arbitrantur; tum
p. 427. argumenta proponuntur, quae veriſimile reddunt
eas in ipſis montibus lapidum quadam commutatio-
ne eſſe effectas, et quae id dubitationi obnoxium
reddunt, eleuantur.

Abſoluta libri plane egregii contemplatione liceat nobis indicare quaedam, quae dubia nobis videbantur; ſunt autem haec: p. 122. omiſit Cl. Auctor *Corneum ſpathoſum* (*die Hornblende*), qui Scharfenbergae intra Graniten reperitur. Contra *Zincum* calciforme, ſulphure mineraliſatum, *nigrum* nec vidimus illinc vnquam, nec commemoratum reperimus

perimus in Cl. WERNERI Epiſtola de ſingulari generatione cryſtallorum gypſi p. 272. *in Sammlungen zur Phyſic und Naturgeſchichte, Tom. II. Faſc.* 3. *Lipſ.* 1780. Pag. 97. maſſa venarum in diſtrictu metallico Brandenſi dicitur maxime *Spatho ponderoſo* conſtare, quod tamen nos nunquam vidimus, niſi in iis eius regionis mineris, quae ex fodina (*der Himmelsfürſt*) eſſent apportata. Ibid. linea 16 Lapis calcareus pro Spatho Calcareo videtur dictum. P. 119. *Druſae Fluoris* mineralis Gersdorfi dicuntur conglomeratis ſpathi calcarei globulis eſſe inductae, ſed nos in aliquo, quae inde habemus, exemplis Spathum eſſe reperimus ponderoſum. Pag. 178. L. Serpentino Zoeblitienſi Nephriticus lapis dicitur inſperſus, videndum ne ſit alius. Pag. 410. originem *Baſaltae* Saxonici vulcanicam negat, quam tamen confirmare videntur ea, quae de Poehlbergenſi dicuntur.

XI.

FRIEDRICH HEINRICH WILHELM MARTINI *allgemeine Geſchichte der Natur in alphabetiſcher Ordnung, mit vielen Kupfern, nach Bomariſcher Einrichtung. Erſter Theil. Von* Aa — Alaat. *Berlin und Stettin, bey Joachim Pauli,* 1774. 8. 2 *Alph.* 5 *Bog.* 20 *Kupfert. Zweyter Theil, Von* Alaun *bis* Aonar. 1775. 2 *Alph.* 3 *Bog.* 50 *Kupfert. Dritter Theil. Von* Apa — Aufſteigung. 1777. 2 *Alph.* 2 *Bog.* 46 *Kupfert. Vierter Theil. Von* Au *bis* Bachſteinbrech. 1778. 2 *Alph.* 2 *Bog.* 42 *Kupfertaf.*

i. e.

FRIDERICI HENRICI MARTINI, M. D. vniuerſalis hiſtoria naturalis, ordine alphabetico. Pars III. — IV.

Dolen-

Dolendum omnino eſt morte praematura meritiſſimi MARTINI vtilis huius libri continuationem aliquamdiu eſſe interruptam: at nulli dubitamus fore, vt promiſſis ſuis faciat ſatis bibliopola, qui a doctorum virorum coniuncta opera eundem perfectum iri publice ſcripſit. Noſtrum autem eſſe duximus grauem aliquem b. MARTINI laborem hic merito laudare atque de inſtituti ratione ad Lectores referre.

Igitur diſpoſitionem quidem Bomariani lexici ſibi exemplar propoſuit, ſed praeter hanc nihil ex illo ſumſit: at potius nouum, Germanis potiſſimum dicatum, librum ipſe ſcripſit, additis non ſolum, quae a BOMARIO plerumque neglecta erant, nominibus ſyſtematicis, copioſiſſimisque ſynonymis, ſed etiam collatis numeroſiſſimis et commemoratis recentiorum phyſicorum Anglorum, Suecorum, Germanorum, aliorumque obſeruationibus. Atque praeterea corporum naturalium rariorum, vel notatu digniſſimorum effigies, quae, ſi placet, et viuis coloribus bene vtplurimum pictae proſtant, aeri incidi curauit, non tamen neglecta iconum aliarum fidarum commemoratione. Fontes, vnde hauſerit, diligenter ſunt adducti: vſus vero eſt optimis in ſcientia naturali Auctoribus prudenter ita, vt praeſertim eorum, qui raros et pretioſiores libros ſcripſerint, ſententias et obſeruationes plenius afferret, ad alios, magis communes paſſim Lectores remitteret.

In ipſa tractatione res, quae ſpeculatiuam Phyſicae partem ſpectant, meteororum doctrinam, anatomica, phyſiologica et diaetetica capita vel plane omiſit, vel breuiſſimis tantum attigit, atque ipſius hiſtoriae naturalis obiecta potiſſimum reſpexit. Sic quoque in botanicis breuior fuit, eaque,

quae

quae ad oeconomiam, horticulturam, venationem aliasque his ſimiles diſciplinas et artes pertinent, cum in alio libro a Cl. KRÜNITZ ſcripto, de quo poſtea ſeparatim, expoſita ſint, conſulto prorſus fere omiſit. Praeterea quodlibet volumen in duas eſt diuiſum partes, in quarum altera, quae deeſſe viderentur, ſupplementorum forma addi poſſint. Sub voce ſingula Germanica omnia ea recenſita ſunt corpora naturalia, quae Germanico idiomate ad illam referri ſolent, atque ex lege ſyſtematica illuc pertinent, ad quae igitur ſequentibus in voluminibus referri poteſt. *Lexico Hiſtoriae naturalis polyglotto*, quod hic Cl. Auctor promittit, vtiliſſimo ſane libro, diu forte adhuc carebimus. Sed in his ſubſiſtamus neceſſe eſt. Optamus, vt vtilis huius libri, qui ſane omnibus naturae ſtudioſis acceptiſſimus eſſe debet, continuationem proxime videamus.

XII.

Oekonomiſche Encyclopaedie oder allgemeines Syſtem der Land- Haus- und Staats- Wirthſchaft, in alphabetiſcher Ordnung; von D. IOHANN GEORGE KRÜNITZ. *Erſter Theil, von* Aa *bis* Am. *Mit Königl. Preuſiſchen und Churfürſtl. Sächſiſchen Privilegien. Berlin* 1773. *bey Joachim Pauli.* 2 *Alph.* 2 *Bog.* 8 *Kupfertaf.* 1773. *Zweyter Theil, von* An. *bis* Auf. 2 *Alph.* 2 *Bog.* 2 *Kupfert.* 1773. *Dritter Theil, von* Aug. *bis* Bauer, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 17 *Kupfert.* 1774. *Vierter Theil, von* Baum *bis* Biene, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 20 *Kupfert.* 1774. *Fünfter Theil, von* Bier *bis* Blume, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 15 *Kupf.* 1775. *Sechſter Theil, von* Blut *bis* Broz, 2 *Alph.*

Alph. 3 *Bog.* 19 *Kupfert.* 1775. *Siebenter Theil, von* Bru *bis* Ce, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 8 *Kupf.* 1776. *Achter Theil, von* Ch *bis* Da, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 9 *Kupf.* 1776. *Neunter Theil, von* De *bis* Dy, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 25 *Kupf.* 1776. *Zehnter Theil, von* Ea *bis* Em, 2 *Alph.* 3 *Bog.* 7 *Kupfert.* 1777. *Eilfter Theil, von* En *bis* Ez 2 *Alph.* 3 *Bog.* 6 *Kupfert.* 1777. *Zwölfter Theil, von* Fo *bis* Fett, 1 *Alph* 21 *Bog.* 13 *Kupfert.* 1777. *Dreyzehnter Theil, von* Feu *bis* Fi, 2 *Alph* 3 *Bog.* 21 *Kupfert.* 1778. *Vierzehnter Theil, von* Flo *bis* Fra, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 8 *Kupfert.* 1778. *Funfzehnter Theil, von* Fre *bis* Gam, 2 *Alph.* 7 *Bog.* 14 *Kupfert.* 1778. *Sechzehnter Theil, von* Gan *bis* Gelb, 2 *Alph.* 6 *Bog.* 15 *Kupfert.* 1779. *Siebenzehnter Theil, von* Geld *bis* Geſundheit, 2 *Alph.* 6 *Bog.* 2 *Kupfert.* 1779. *Achtzehnter Theil, von* Get *bis* Glaſur, 2 *Alph.* 4 *Bog.* 31 *Kupf.* 1779. *Neunzehnter Theil, von* Glau *bis* Gra, 2 *Alph.* 5 *Bog.* 13 *Kupfert.* 1780. *Zwanzigſter Theil, von* Gre *bis* Hä, 2 *Alph.* 6 *Bog.* 17 *Kupfert.* 1780.

i. e.

Encyclopaedia oeconomica ſ. ſyſtema vniuerſale Oeconomiae ruralis, domeſticae et publicae, ordine alphabetico, Auctore IOANNE GEORGE KRÜNITZ, M. D. Pars I. — XX.

Non potuimus non propter huius libri vniuerſalem vtilitatem eiusdem ſummariam facere mentionem, vt et merita Cl. Auctoris in vniuerſam rem

rem litterariam laudaremus et Lectores de inſtituti ratione certiores redderemus. Etſi quidem in primis tomis Gallico Libro *) vſus eſt, quem in Teutonicam linguam verteret, et additamentis corrigeret et augeret; tamen iam tertio volumine hoc conſilium mutauit. Erant enim illi nimis anguſti limites praeſcripti, multaque neceſſaria praeteruiſa, atque deinde Germani idiomatis ratio alium ordinem omnino poſtulabat. Igitur Cl. Auctor, cuius cognitio litteraria permagna eſt, ex omnibus praeſtantiſſimis Auctoribus collegit, quae huc pertinent, eadem ingenioſe atque iudicioſe propoſuit, ita, vt non ſolum rerum longe plurimarum, vel remotius tantum oeconomiam ſpectantium, ſed etiam plurimarum vel ſaltem notatu digniſſimarum hypotheſium et cogitationum, a Viris doctiſſimis omnium gentium paſſim propoſitarum, vniuerſale quaedam repertorium conſcriberet et perficeret. Atque igitur rerum omnium, animalium, vegetabilium, mineralium, atque arte paratarum vſum et oeconomicum, et medicum quoque commemorauit. Rerum naturalium phyſicam ſollicitam magis dilucidationem quidem Lexico hiſtorico naturali Martiniano, cuius editos tomos ſupra indicauimus, reliquit: interim tamen et rerum, oeconomicum et medicum vſum habentium, nomina ſyſtematica et characteres ad cognitionem neceſſarios; ſaepius etiam hiſtoriae naturalis epitomen praemiſit iis, quae de vſu dicenda eſſent: recte quidem ratus, cognitione corporis neglecta, Lectores et tirones praeſertim deſcripta corpora ipſos in vſum adhibere non poſſe.

*) Ei eſt titulus hic: Encyclopedie oeconomique ou, ſyſteme general de l' Oeconomie ruſtique domeſtique et politique cet. Yverdon.

poſſe. Inſtrumenta deinde etiam, et machinas, quae in artibus, opificiis et oeconomia vſui ſunt neceſſaria, diligenter deſcripſit, deſcriptionesque iconibus ſatis bonis illuſtrauit. Praecipuam quoque ſolertiam adhibuit in eruendis originibus vocum Germanicarum, conferendis ſynonymiis et homonymiis, etiam ex Latina et Gallica lingua, et in colligendis, quae ad diſciplinas ſtatiſticas et camerales pertinerent. Vbique denique Auctores librorum, veris et integris titulis transſcriptis, laudauit, qui de quauis propoſita re ſcripſerunt. Atque ſic quidem fieri potuit, vt quosdam articulos, e quibus illum de apium cultura ſolum hic nominemus, in eorum vſum, qui totum hunc librum ſibi comparare nollent, ſigillatim venderet bibliopola. Ceterum non reticenda quoque ſunt data et conceſſio et conſilium, vt in ſingulis vicis et vrbibus Boruſſicis ex publico vel eccleſiaſtico aerario hic perutilis liber emeretur, vt et presbyteri, et ipſi ruſtici ex eodem erudiantur et inſtruantur, in vniuerſum totius regni Boruſſici emolumentum, optandumque, vt idem conſilium imitari velint, in quorum eſt poteſtate.

XIII.

Kongl. Svenska Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1774. Vol. XXXV. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm, Vplasde på Salviſk a Sterbhuſets Koſtnad MDCCLXXIV. 8. pagg. 360. tab. aen. 8.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scient. Suecicae anni 1774. Vol. XXXV.

Trime-

Trimeſtre primum.

1. SVEN RINMAN *de acidorum actione in ferrum et chalybem.* Acidis variis ferri, chalybisque ſpecies alias, aliaſque immerſit, item, quae ex ferro chalybi iuncto naſcuntur opera, ab vrbe Damaſco nominata; inde generalia haec colligit: Aquam fortem plerumque vehementius agere in chalybem, quam in ferrum, quo quidem confirmetur attractio inter eam et phlogiſton in chalybe maiore copia reperiundum. Prius autem imminui aquae fortis actionem in chalybem, et in eam ſedimentum deponi, quod partim phlogiſto conſtet, partim calce ferri, quo tegatur chalybs, et acidi vis impediatur, chalybi vero inducatur ſuperficies plus minusue nigra, prouti plus minusue phlogiſti contineat, aut plus minusue dura ſit. Hoc ſedimentum non deponi in ferrum, igitur liberius durare actionem acidi in illud, et ipſum rubigini magis expoſitum eſſe chalybe. Horum vſus eſt etiam in diiudicandis illis Damaſcenis operibus, ex actione acidi, alia in ferrum, alia in chalybem. p. 3. p. 11.

2. *Machinam delineationibus ad regulas perſpectiuae faciendis deſcribit* ERICVS GEISLER. *Geom. Subterran.* p. 15.

3. *Floram Apum* edit CLAS BIERKANDER, Comminiſter Par. Göthen *prope* Skaran. Pan Apum HAGSTRÖMII, plantas, quibus apes vtuntur, recenſet, quas obſeruationes BIERKANDER confirmat, et aucto numero, plantas 407 nominat, ordine Linneano. Cum initio veris floret Ribes ramis aculeatis, Veſpae et Bombyli inuolant flores, quae inſecta Noſter forfice longiore diſſecauit, ſuadetque hac occaſione vti ad deſtruendos hoſtes apum, et qui plantas, quibus apes veſcantur, exſugant. Cum defloruit p. 20. p. 38.

ruit Ribes, difficilius occiduntur haec animalia, vt quae tum victum ex arboribus altioribus colligant.

p. 41. 4. *Structuram in fluminibus, piſcibus capiendis, inprimis Salmoni*, deſcribit CAR. IAC. HEVBLEIN.

p. 47. 5. Varia *de Salmonis piſcatura in Hallandia* annotat GE. MARIN, *Geometra.* In primis queritur, quod Salmones capiantur, cum propagationi operam dant, item deſtruatur ſoboles vix nata.

p. 52. 6. *De maculis gangraenoſis et vlceribus, ab eſu hyoſcyami nigri natis*, refert CAR. M. BLOM, Med.
p. 54. Prou. Seruus ruſtici, aliquot ſupra 20 annos natus, in campo fodiens, radices Hyoſcyami reperit, et comedit. Secuta ſunt nota phaenomena, laſſitudo, ſitis, inſania cet. Domum meridie rediit, hora 3 pomeridiana obdormiuit, ſomno ad 7 matutinam diei ſequentis durante. Expergefactus, cum adhuc deliraret, vocatus medicus, cum nihil experiri poſſet, niſi hominem morbo correptum e campo rediiſſe, vbi
p. 56. ſolus fuerat, ſuſpicabatur, veneni quidpiam ab eo ingeſtum; itaque ſingulis horae quadrantibus cochleare aceti vini plenum praeberi iuſſit. Hora 6 veſpertina ſatis compotem mentis eum reperit medicus, et de ardore et dolore pungente querentem; Pes, qui dolebat, plenus erat macularum nigrarum magnitudine globulorum minorum plumbeorum, quibus venatores vtuntur, item puſtulis, aliis materiae fuſco luteae plenis, aliis ruptis, gangraena praeterea affectis. Puſtulae cum vlcere erant vnguis magnitudine. Occupabant pedes, brachia et dorſum. Noſter iudicauit, haberi eos poſſe pro exanthemate critico, quod aceti ſumti effectus eſſet, itaque porro vti iuſſit ſolo hoc medicamento, et meridie diei ſequen-

quentis omnino ſanum mente et corpore reperit. Nocte ante hanc meridiem ſuperuenit diarrhoea. Comitatus ruſticum in campum didicit ab illo, quas radices comederit; aliquot enim adhuc effodiebat, tres dixit ſe deglutiuiſſe; medicus igitur trium, quae aderant, pondus inueſtigauit vnciar. 2 ½, ſcrupulor. 2.

7. *Obſeruationes ad fabam Americanam* Libidibi *pertinentes* edit P. ION. BERGIVS. Attulerat eandem nauta Suecus. Siliquas et fabas deſcriptas et pictas inuenit Noſter apud IACQVIN, (hiſt. ſtirp. amer. p. 123, 124,) nomine: *Poincianae coriariae*; quod nomen in titulo diſſertationis adhibetur, Americanorum eſt et Hiſpanorum. Habet etiam BREYNIVS, (Plant. exot. cent. 1. tab. 56. f. 5.) Siliqua arbor. Guatapanae ex Coracao inſula; tandem CASSINI (*Voy. en Californie par Mr.* CHAPPE D' AVTEROCHE) narrat, quae ea de re cum Acad. Pariſ. communicauerit DON IOS. ANT. DE ALZATE Y RAMYREZ. BERGIVS Holmiam allatas ſiliquas et fabas, ſingulas, examinavit, ſapore, decoctis, infuſis, vitriolo martis, ſtypticas inuenit magis ſiliquas, quam fabas; vtuntur ſiliquis ad coria ſubigenda; atramentum a ſiliquis natum minus nigricans, quam a gallis, vt gallae magis ſtypticae videantur. p. 57. p. 59.

8. *Structura aedium quantum ad morbos faciat in vrbe Torne et vicinia* docet ANDR. HELLAND, Oecon. Dir. in Lapponia. Graſſantur inprimis febris putrida, item pleuritis, praecipue apud pauperiores, quorum habitacula, ex tignis ruditer coniuncta, immediate ſolo imponuntur, nullo lapide ſubſtructo, igitur perpetuo madent; humor autem intra aedes colligitur, feneſtris vitreis carentes, aperturas habentes, quae valuis ligneis claudantur, p. 61.

dantur; ipſi vero habitatores in ſolo dormiunt, pauxillo ſtramine ſubiecto, parum tecti, cet. Ad aëris humorem agnoſcendum hygrometris vti-
p. 63. tur ſimplicioribus, ex ligno pinus macro, cuius fruſta tranſuerſim glutine iunguntur, ita verſus vnum latus ab humore curuantur, verſus alterum, a ſiccitate. Quod paruo pretio parabilia ſint, et iiſdem vſibus inſeruiant, ac quae maiori pretio ab exteris emuntur, plurimum illa commendat, ſed vberius non deſcribit. Humidas habitationes, et adeo, quae immediate ad ſolum collocantur, valetu-
p. 67. dini magis nocere, quam frigidas. Sed tamen aërem nimium ſiccum etiam non conuenire, qualis ibi vix reperitur, niſi hyeme, in habitaculis multo igne, parum tamen calefactis, vix 12 vel 15 gradus thermometri Suecici. Ex eiusmodi aëre nimium ſicco exiit ad humidiorem captandum.

p. 68. 9. *Obſeruationes quaſdam de acaris farinae et farina rancida* edit ADOLPH MODEER. Animalculum eſt *Acarus* (*Siro* LINN.) S. N. ed. XII. 266, 15. Citat Noſter, qui de illo egerint, ipſe inprimis de mediis farinam ab eo tuendi ſollicitus; non vero reperit melius, quam farinam ſaepius transmittendam
p. 73. per cribrum, cuius foramina anguſtiora difficilius tranſeant animalcula, crinibus rigidis, quibus obſita ſunt impedita. Narrat etiam, quomodo compererit in ſemuncia farinae eſſe 6784 acaros, imo multo
p. 74. plures, vt numerus ingens, quem LEEVWENHOEKIVS tradidit, facile credi poſſit. Cum LEEVWENHOEKIVS obſeruauerit, femellam biduo ſex oua parere, perſpicuum eſt, quantum haec animalia, vbi nihil ipſa turbat, augeantur. Ab ipſis integumentis, quae depoſuerunt cadaueribus mortuorum, naſci exiſtimat, quam putridam, aut rancidam farinam appellant. Ad ſententiam, ſcabiem ab ipſis aut

conge-

congeneribus oriri, pertinet, quod, quae forte, tractata ab obſeruatore, in manus eius inciderant, ſtatim cutim intrare nitebantur. Id forte ipſis non ſuccedit in cute craſſiore, ſed certe in tenuiore, qualis eſt infantum.

10. *Numerum incolarum, natorum, mortuorum,* p. 76. cet. paſtoratus HASSLÖF in Hallandia auſtrali edit PETR. OSBECK inde a 1749 ad 1773.

11. *De aquae marinae colore diuerſo in aliis,* p. 82. *aliiſque Oceani locis.* PETR. IO. BLADH, Aſſiſtens Soc. Indiae Orient. narrat, quae ipſe in itinere in Ind. Or. viderit. Vulgaris color eſt caeruleus, hoc magis ſaturatus, quo profundius eſt mare. Eum credit ab aqua profundiore eandem ob cauſſam exhiberi, ob quam aër illum nobis oſtendit. Ad littora aqua interdum viridis apparet. Plerumque ve- p. 84. ro iiſdem littoribus incumbunt nebulae denſiores. Pinguedo, phlogiſton, oleum ſubtilius, aut quocun- p. 87. que nomine id appellare libeat, quod mari ineſt, copioſius ad littora reperitur; Poſſe vero ab hac pinguedine naſci colorem viridem colligit ex viridi colore, quo nauis, quae aliquamdiu in mari fuit, eo loco tingitur, qui ipſi cum maris ſuperficie communis eſt.

Trimeſtre Secundum.

1. *De Magneſia nigra* agit CAR. WILH. p. 89. SCHEELE. Ex plurimis experimentis chemicis, magna cura inſtitutis, haec inprimis colligit: Ma- p. 96. gneſiam vehementer attrahere eam rem, quam Phlogiſton vniuerſale appellant. Augeri hanc attractionem, ſi menſtruum adſit, quod vniri poſſit magneſiae phlogiſticatae. Magneſiam, phlogiſto ſaturatam, ex nigra albam fieri, perire vero albe-

 dinem,

dinem, cum phlogiſton rurſus ſeparatur. Solutionem Magneſiae pellucidam, nullo colore tinctam, non obtineri, niſi cum phlogiſton magneſiae iunctum eſt; Cum deeſt phlogiſton, ſolutionem caeruleam eſſe, vel rubram.

p. 117. 2. *Antliae pneumaticae ſtructuram emendatiorem* edit NIC. LANDERBECK, Mag. Doc. Vpſaliae. *Nolleti* forma vtitur, ſed quaedam exactiora et parabiliora efficere ſtudet. In primis valuulae loco conum adhibet, qui aërem ex recipiente emittat, rediturum ſatis arceat.

p. 121. 3. *Aquae ex nubibus Londini Scaeniae* (Lund) annis 1753 – 1773. *delapſae quantitatem* ſummatim exhibet OL. NENZELIVS, Obſ. Aſtron.

p. 124. 4. *De Ceruo Tarando* varia refert IONAS HOLLSTEN, quae, diu inter Lappones commoratus, ab iis pleraque accepit.

p. 147. 5. *Pupillae figuram et poſitum*, *ſingulares* deſcribit et depingit ANDR. IO. HAGSTRÖM, Med. Stud. et Chir. militar. Oblonga erat vtriuſque oculi pupilla, maiori diametro verticali. Iridis nihil conſpicuum intra pupillam et albugineam, inter ſuperiorem iridis marginem et pupillam, diſtantia duplo maior conſueta, verſus inferiora interuallum id in angulum acutum deſinebat. Connatum viro vitium refert Noſter, et velut haereditate ab vno maiorum, qui eodem laboraſſet, acceptum. Viſui nihil officiebat, niſi quod, cum ſubito res intueretur, non ſtatim primo momento perfecte illas perciperet, forte, quae eſt Noſtri ſuſpicio, quod iris ad radiorum illabentium rationem, non ita promte ſe componeret, vt feciſſet circularis.

6. Quae-

6. *Quaedam huic obſeruationi* addit OL. ACREL. Vueae varias configurationes a conſueta recedentes nec ignotas eſſe, nec viſui multum officere. Noſſe ſe virum, cui inferius dimidium vueae fluctuet in humore aqueo, apertura ſatis magna interiecta, inter inferiorem marginem vueae et ſuperiorem ſcleroticae, per quam ſpectet obiecta, dum pupillam palpebra ſuperiore tegit. p. 149.

7. *Ad machinarum quae incendiis exſtinguendis adhibentur*, ſtructuram parabiliorem, et commodiorem facientia quaedam obſeruat GERH. MEYER. p. 150.

8. *De doliorum, item cauorum ſphaericorum, menſura* agit ZACH. PLANTIN. p. 156

9. In calculis *longitudinum geographicarum* ſuperiori anno traditis quaedam emendat A. LEXELL. p. 170.

10. *Aquas diuerſarum grauitatum ſpecificarum iuxta ſe poſitas* obſeruauit PETR. IO. BLADH. Anno 1772, Iun. 27. prope inſulas Trowers et Clappers, Iauae adiacentes, aquae marinae colorem ex griſeo in viridem mutatum vidit, limite diſtinctiſſimo, et quantum viſus extendebatur, conſpicuo. Vtriusque coloris aquam, aeque calentem hydroſtatico examini cum ſubiecilſet, grauitates ſpecificas griſeae et viridis, reperit in ratione 16093 : 16086, interuallo inter aquas ad ſummum quartam partem milliaris Suecici exiſtente. Die 28 aquam ad Sumatrae littus pallide rubeſcentem vidit, remotiorem a littore, caerulei coloris in albidum vergentis (*licht-blau*). Prior leuior erat altera, in ratione 16061 : 16071. Ad littus Sinenſe 20 Iul. 1772, longam faſciam aquae rubrae vidit, cui vicina erat caerulea p. 172. p. 174.

in albidum vergens, illius grauitas ad huius = 16075 : 16095. Haec grauitatum diſcrimina inter aquas ſibi proximas, ipſa ſatis magna, eo magis attentionem merentur, cum alias in oceano illo parum variet pondus aquae. Inde Capite Bonae Spei ad inſulas occidentaliores, quae ab Amſtelodamo et St. Paulo vocantur, tractus eſt 50 Graduum longitudinis, qui illa in latitudine circiter 400 milliaribus Suecicis aequipollent, aquae vero grauitatem ſpecificam in illo tractu non niſi intra 16151 et 16155 variari comperit.

Trimeſtre tertium.

p. 177. 1. *Magneſiae diſquiſitionem* perſequitur C. W. SCHEELE, quomodo ſe habeat cum variis ma-
p. 189. teriis. Eamdem detexit in cineribus vegetabilium, copioſius in cineribus lignorum, minori quantitate in cinere ſerpilli. Partes conſtitutiuas
p. 191. magneſiae tuto ſe indicare poſſe dubitat, quoniam arte componere magneſiam nondum ipſi ſucceſſerit. Calcinauit magneſiam, ſoluit, filtrauit, quos labores 11 vicibus repetiit, donec illorum taederet. Manſit ſemper in filtro aliquid ſelenitici, tantundem poſt vltimam calcinationem et ſolutionem, quantum poſt primam, vt ſuſpicetur, repetitis laboribus, magneſiam omnem abituram in terram calcaream. Multae aliae egregiae obſeruationes chemicae his duabus diſſertationibus Cl. SCHEELII continentur, ſed quae breuiter hic exponi non poſſunt.

p. 194. 2. Additamentum *de Magneſia* edit TORBERN BERGMAN. In primis quod ad metallicam eius naturam pertinet, quam ex eo, quod vitra tingat, colligit; id enim nullam terram puram praeſtare, ſed calces metallicas. Attamen cum nulla terrarum metallicarum cognitarum in omnibus conuenire Magne-

Magneſiam. Itaque de Platiña del Pinto, quam vocant, cogitat, cuius terra nondum cognita eſt, aut de alio metallo adhuc incognito, ad id nouum ſaltem ea re accedente, quod difficillime fluat.

3. Etiam *experimenta cum Magneſia* inſtituit p. 296.
GVSTAV. AB ENGESTRÖM vſus tubulo, quo flamma lampadis in obiectum carboni impoſitum dirigitur. Ita globulo, qui naſcitur magneſia cum borace fuſa, colorem alternatim ademit et reddidit. Quoties haec mutatio repeti poſſit, non expertus eſt.

4. *Magneſiae varietatem* ex fodina Dallandiae p. 201.
examinat SVEN RINMAN. Ferrifodina eſt, nomine *Klapperud*, in parochia *Freſko*. Magneſia formam ſpathi refert; ante tubulum, quo lampadis flamma in illam agitur, fere Zeolithi ad modum ſe habet, trita cum mixtura ex puluere ſilicum et lithargyrio, ita argillae ſuperinducta, vehementi igne, colorem egregium exhibet, quem *Gredelin* appellat.

5. *Situs geographicos plurium locorum in* p. 205.
Sconia, *Hallandia*, et Prouincia *Bohus*, exhibet NIC. SCHENMARK, Math. Prof. Londini Sconiae.

6. *De Cicuta* agit PETR. ADR. GADD. Cicu- p. 231.
tam viroſam LINN. intelligit, frequentem in pratis humidis, aquis ſtagnantibus et riuis Sueciae. Ex
radice recente, retorto vaſi indita, in recipiente va- p. 232.
pores albicantes collegit, qui, aperto vaſe, laboratorium odore ingrato narcotico repleuerunt, a quo male habuit et ipſe, et famulus laboratorii. Radice conciſa, aquae indita, innatat aquae olei ad modum
ſuccus flauus radicis. Vidit Noſter, boues periiſſe, p. 234.
quod aquam bibiſſent, tali ſucco infectam, qui ex radice putreſcente plantae marceſcentis exierat.

Quatuor

p. 235. Quatuor inſecta in planta habitant. Curculionis
paraplectici larua in caule nutritur, et adoleſcit,
p. 237. item Chryſomela nigro aenea; Lepturae aquaticae
et Chryſomelae fuſcae laruas non reperit intra cau-
lem, ſed ad infima folia radicalia. Canes, qui 8 aut
10 laruas curculionum deuorarant, mortui ſunt in-
ter conuulſiones, quales a Cicuta naſcuntur. Maxi-
p. 241. me nocet recens radix et ſucci plena, minus ſicca.
p. 244. Deſtruendae plantae inſtrumentum commendat,
quo vna cum radicibus euellatur. Id ineunte vere
faciendum.

p. 245. 7. *De mali citrini ſucco, frigoris ope con-
centrando*, agit IO. CHRISTIAN. GEORGI, Pharma-
copaeus Regius. Quod difficilius per aliquod tem-
pus ſeruetur ſuccus in cauſſa ſunt mucilaginoſae
p. 246. partes, item phlegma. Illas quidem vt deponeret
ſuccus, effecit, ſeruando eum in lagenis vitreis
plenis, ſubere bene obturatis, nullo oleo ſuperin-
fuſo, in cella repoſitis. Ita ſuccus per quatuor
annos ſeruatus purior ſemper euaſit, aquae pellu-
ciditatem conſequutus, ſedimento floccoſo ad fun-
dum depoſito, ſuperiore ſuperficie infra ſuber, cu-
ticula obſcuri coloris, tenaci, obducta, qua caute
remota, et ſucco, ne turbaretur, decantato, multo
clarior et purior repertus eſt, ſaporis etiam melio-
ris, quam cum infunderetur. Magis tamen ſuc-
cum a phlegmate depurandum cenſuit Noſter. Ita-
que, cum pomi citrei integri, frigore valido congla-
ciati, ſuccus, reſoluta glacie, inutilis reperiatur, quod
a ſubſtantia mucilaginoſa et ſeminibus ſolidis de-
ducit, quae, calore reſoluta, amarum ſaporem cum
p. 247. ſucco communicant: dimidiatum pomum, frigore
debiliore congelatum, cum cortex congelatus acu
pungeretur, ſuccum emiſit, non congelatam, cla-
rum, concentratum. Hanc ergo methodum com-
mendat,

mendat: ſcilicet ſuccum exponendum frigori debiliori, quo phlegma in glaciem abeat, nondum ſuccus acidus, id vſui maxime conueniens intra tres et quinque gradus inter punctum glaciale reperit. (Thermometri Suecici, qui cadunt inter 26, 6 et 23 Fahrenheitianos). Sed huic operationi perpetuo adeſſe oportet, qui eam ſuſcipit, et lamellas glaciales eo ordine, quo coeunt, auferre, donec ſentiatur, aliquid acidi in glaciem abire. Glacies initio ablata ſaporis omnino expers eſt, vt aqua, quo propius ad finem operationis vergit, eo magis aceſcit. Quantitatis, quod perdi hac operatione videtur, bonitate compenſatur. Succi ita concentrati duae drachmae ſaturandae drachmae ſalis tartari ſufficiunt, cui ſcopo vulgaris ſucci non concentrati duae vnciae requiruntur. Pluribus annis ſeruari poteſt in vaſis vitreis, non ſumma cura ſubere obturatis, nec in cella repoſitis. Vſus eſt ſucco Malagae ex pomis, quae ibi maturuerant, expreſſo. Nos poma accipimus immatura decerpta, quae in itinere matureſcunt. Ex illis expreſſum ſuccum fibrillae ſequuntur, difficulter ſeparandae, vnde ſucco ſapor conciliatur mucidus.

p. 248. p. 249.

8. *Plantarum quarundam Sueciae indigenarum vſus oeconomicos* memorat PET. HOLMBERGER, Phil. Stud. Lini ad modum filis parandis inſeruiunt *Aſclepias vincetoxicum*, *Turritis glabra*, *Vrtica dioica*, *Humulus lupulus*, *Malua rotunda*. Modum ſingulas tractandi deſcribit, et fila educta Acad. Reg. exhibuit. Pani conficiendo inſeruit *Conuallaria polygonatum*, vaccis etiam grata, quarum lac vt cremore abundet, efficit. Ex Iunco *conglomerato* et *bulboſo* mattae menſis tegendis texantur, *Triglochim paluſtre* et *maritimum* pecori gratum eſt, ex vltimo ſal coquitur. *Epilobii anguſtifolii* pappi, calcitris farcien-

p. 250. p. 255. p. 256.

farciendis inſeruiunt. *Vaccinium myrtillus* colore caeruleo tingit. *Arbutus vua vrſi* tabaco miſcetur, lanae colore nigro tingendae inſeruit; baccae ſyrupum praebent. Nuclei *pruni padi*, *ceraſorum*, *pruni*, *acaciae*, oleum cibis vtile praebent, *crataegus oxyacantha* ſyrupum.

p. 258. 9. *De augmento incolarum dioeceſeos Carlſtadenſis* inde ab anno 1771 refert PETR. WARGENTIN.

p. 266. 10. *Ad Lepram* pertinet obſeruatio IO. L. ODHELII M. D. Coll. Med. Aſſeſſ. Morbum, iam notis remediis incurabilem, ſaepius tractauit duodecim annis, quibus noſocomio Regio ſeruit. Nihil profuerunt mercurialia, Fumaria, decoctum ligni iuniperi ſolum, quod medicus prouincialis LYMAN
p. 267. expertus ipſi commendarat. Sed cum idem reminiſceretur, id decoctum alias res admixtas habuiſſe, inter quas Ledum paluſtre, ſ. Roſmarin. Sylueſtr. nominabat, Noſter id tentandum decreuit, in aegra 30 annor. tum noſocomium ingreſſa. Cum antea variis morbis laboraſſet, a quibus tamen videbat, ſatis conualuiſſe, exeunte Iunio pruritum perpe-
p. 268. tuum in facie ſenſit, quem concitatae paruulae eruptiones, mox ſequuta tubera exigua dura calloſa, brachia etiam et pedes occupantia. Maxillae tumentes, tuberibus obſitae. Tuberum quidam ſponte aperti materiem tenuem ſanguineam emiſerunt, aeque ac Rhagades intra tubera reperiundae. Facies tumens, fuſca, rubens, coloris plumbei, vox rauca, reſpiratio difficilis, renes velut ad dimidium contractae. Aluo prius purgata, primo datum illi d. 9. Ianuar. infuſum Ledi, duabus vnciis immiſſis quatuor libris aquae feruentis, color infuſi erat fuſco rubens, ſapor paululum ingratus. Eius infuſi ſum-

ſit

ſit quotidie libras a dimidia ad duas. Primus effe-ctus, dolor capitis, vertigo, calor totum corpus oc-cupans, cum nimium ſumeret vomitus, alias hi mo-tus febriles ſudore terminabantur. Tubera d. 12 Ian. videbantur molleſcere, tumor minui. Itaque laeta ſpe ſanitatis recuperandae tantum infuſi ſumſit, vt nimio calore agitatus ſanguis, vena ſecta, emitti de-buerit. Hoc modo continuauit remedii vſum ſem-per cum effectu, qui ſperare iuberet, niſi quod, im-minutis viribus, ſeponendum id eſſet, roborantia ve-ro adhibenda. Sed vires non ſatis redierunt, con- p. 270.
tra paulatim magis, magisque deficere videbantur, diarrhoea etiam accedente. Lepra minui videba-tur, neque tamen ſpes affulſit ſanitati recuperandae, ſed placide d. 31 Iulii obdormiuit. Retulit, quae aegrotae miniſtrauerat, medicamenta praeſcripta eam non adhibuiſſe, lactem et iuſcula, quibus veſci debebat, cum halece et nutrimentis ſalſis commu-taſſe, plurimum aquae frigidae bibiſſe. His diae-tae peccatis, forte etiam corpori praecedentibus morbis debilitato aliquid cauſſae adſcribi poſſe vi-detur, cur optatum effectum non omnem praeſti-terit remedium, forte, ſi magis faciunt circumſtan-tiae, maiori cum fructu tentandum.

Trimeſtre quartum.

1. GVSTAVVS AB ENGESTRÖM expe- p. 273.
rimenta ad *alumen* pertinentia recenſet. Cryſtalli-ſationem aluminis, ſtatuitur, impediri tum ab acido in minera ſuperfluo, tum a pinguedine comite, qui-bus principiis plures theoriae alumini purificando ſuperſtruantur. Illa vt examinaret, experimenta plurima, ſumma cum cura inſtituit, quorum ſpeci-minis loco primum deſcribimus. Lapidem ſciſſilem alumine fetum ex fodina Garphytta ita tractauit, vt in opere ipſo fieri ſolet, torrendo, lixiuium ex

toſto obtinendum calore inſpiſſando, deinde cryſtalliſationi exponendo, nulla re addita, quae ad cryſtalliſationem aliquid faceret; cryſtalli natae ſal Epſamenſe prodierant; lixiuio denuo inſpiſſato, cryſtalliſatione Gypſum obtinuit, multo acido vitrioli admixto. Tertia vice inſpiſſato lixiuio, cryſtalli prodierunt, inter rhomboidicos et octoaedros medii, aluminis faciem referentes, ſed tubulus, quo flamma lampadis in obiecta dirigitur, fudit illos, fuſi carbonem intrarunt, alcali mineralis et ſalis mirabilis ad modum, quorum ſalium quod continerent, ob paucitatem examinari non potuit. Quibus tentaminibus cum alumen verum obtinere non poſſet, coctum ad eamdem fodinam alumen in aqua ſoluit,
p. 276. lixiuium cum caleſceret adhuc in tres ſcyphos vitreos aequaliter diuiſit, vni circiter ſemunciam aquae calidae infudit, alteri tantundem olei vitrioli, tertium ſibi ipſi reliquit. Id ſtatim cryſtallos exiguas in fundo oſtendit, in altero oleum vitrioli pondere ſuo deſcendit, itaque bacillo commouit, tunc ſtatim copioſae cryſtalli natae ſunt, et fundum multae petierunt. Tardior cryſtalliſatio in reliquis duobus, tardiſſima in illa, cui aqua erat infuſa. Cum omnia per noctem ſtetiſſent, decantato lixivio, cryſtalli in ſcypho, cui oleum vitrioli additum erat, minimae repertae, maximae in illo, cui aqua infuſa. Sed pondus earum, quae cum oleo vitrioli natae erant, maius. Ex his colligit, certe non impediri cryſtalliſationem, ab abundantia acidi, oleum vero vitrioli, aquam attrahendo, denſiores cryſtallos feciſſe, et adeo minores, cum reliquae, maiorem plus aquae continerent. Eadem, ex tentamini-
p. 296. bus variis aliis modis inſtitutis infert. Pinguedinis vero ſpecimen nullum reperit.

2. *Eri-*

2. *Ericam retortam* Cap. B. Sp. deſcribit LAVR. p. 297.
MONTIN M. D. Med. Prou. Halland., SPARRMANN miſit. Ab aliis ſpeciebus praeter reliqua, germine oblongo differt. Nomen illi datur: *Erica retorta*, antheris muticis incluſis, floribus vmbellatis, corollis conicis, foliis quaternis ciliatis, ſeta terminatis. Corolla extus reſinoſo glutinoſa eſt, vbi haerent et moriuntur muſcae et alia inſecta. Dulcis nihil in illa reſina ſenſit Noſter. Figura ramum naturali magnitudine exhibet, qui forte maximam plantae partem conſtituit. p. 300.

3. *Pinnarum lignearum*, quibus mallei ferrum formantes eleuantur, loco, *ferreas* ope annuli ferrei, cui adhaerent, axi iungendas ſuadet SVEN RINMAN. p. 300.

4. *Formularum*, *parallaxi ſolis ex tranſitu planetae per illum computandae cauſſas* reddit ANDR. PLANMAN. p. 306.

5. *Corbium pro apum habitatione prae alueis ligneis praeſtantiam nouis experimentis confirmat* P. E. PRINZENSTIERNA. p. 319.

6. *De farina ex Solano tuberoſo* obtinenda agit C. B. SKYTTE. Gelari radices fecit, et paulatim regelari. Expreſſo humido, farinam albam, boni ſaporis, obtinuit. p. 323.

7. *Eodem de negotio* agit BERNH. BERNDTSON, rei metall. in argentifod. Salana praefectus. Prolixe enarrat plurima experimenta, magna cum cura inſtituta, cum radicibus, gelatis, non gelatis, varie tractatis, ita pluribus modis farinae ſpecies p. 326.

 obtinuit,

obtinuit, quas mire laudat, et hunc radicum vſum, agricolis enixe commendat.

p. 359. 8. *Sacchari cryſtallos a natura productas* IO. L. ODHELIVS M. D. reperit in nectariis *Impatientis Balſaminae*, granulorum magnitudine. Creſcente pericarpio durum erat id ſaccharum, ante aderat ſpecie ſyrupi ſpiſſi albi, quae ex glandulis exibat, ad petiolorum latera ſedentibus, in margines manans. Reperit in floribus balſaminae ſimplicibus et duplicibus, variorum colorum. In vrceis, ſub tecto habuit, ſoli inter meridiem et occidentem expoſitos. Sub dio forte ſaccharum hoc pluuia abluit.

XIV.

ALBERTI HALLERI de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus. Opus quinquaginta annorum. Tom. II. Bernae et Lauſannae, ex prelis Societatum Typographicarum, CIƆIƆCCLXXVIII. 8. Alph. I. plagg. 7½. Tabul. aen. 2.

Hoc volumine quartus Hallerianae phyſiologiae liber continetur, in quo, vt notum eſt, de cordis ſtructura et motu b. Auctor diſputauit. Inſeruit autem vir ſummus huic libro non minus, atque illis, de quibus nuper retulimus *), varias nuperorum ſcriptorum obſeruationes, quae quo ſunt praeſtantiores, et ad illuſtrandas varias viui hominis actiones aptiores, hoc magis ſtudebimus, vt breuem earundem exhibeamus recenſum.

Cordis

*) vid. ſupra, p. 29. Ibidem p. 158. Auctarium ad ALBERTI HALLERI elementa phyſiologiae corporis humani excerptum ex noua editione et adaptatum veteri. Lipſiae et Francofurti, 1780. 4. laudauimus.

Cordis ipſius fabricae deſcriptionem praecedit de pleurae, pericardii, auricularum, cet. natura diſputatio. Pleura, quae ex celluloſa tela ſtipata conſtat, et peritonaeo robuſtior eſt, vel ſenſu omnino deſtituitur, vel adeo obtuſo gaudet, vt cum cute nullo modo comparari poſſit; nam permultis nuperorum tentaminibus conſtitit, et ſanam cum pleuritide pleuram repertam eſſe et abſque dolore inflammatam. Neque vero caret haec ipſa de pleurae natura opinio aliis, iiſque ad perſuadendum aptiſſimis argumentis; etenim, vt alia omittamus, a CALDANO haec membrana inſenſilis fuit deprehenſa, et in alio experimento, cuius DOWIVS *) meminit, ea ipſo in homine denudata nullum doloris ſignum dedit, cum cutis irritatione vehementer doleret. Illi, qui eam aut ſanam, aut certe inflammatam dolere aſſeuerant, non adeo experimenta producunt, quam magnos neruos per ſuperficiem diſperſos; neque tamen conuenit, vt nerui per ſuperficiem euntes pleurae tribuantur, cui quippe ii ſoli adſcribi debeant, qui in eius naturam diuiduntur. p. 3. p. 4.

Inter robuſtiſſimas membranas ea, quae pericardium conſtituit, pertinet, quippe quae ea vi, qua ruptioni ſuae reſiſtit, quando ab impulſo aëre diſtenditur, omnes humani corporis membranas ſuperet. Reperit autem HALLERVS, hunc ſaccum, ſi mediaſtinum fuerit remotum, perinde vt alia magnarum cauearum velamenta, vnica membrana fieri, cuius externa ſuperficies celluloſa aliqua tela conſpicua ſit, interna vero, quae cor reſpicit, leuiſſima appareat, illaque denſior deprehendatur. Etſi autem inter nuperos Scriptores fuerunt, qui hac in re a noſtro Auctore diſcederent, in nominibus tamen ſolis omnis eorundem diſputatio cerni videtur. p. 36

*) De pleuritide. Edimburg. 1771.

p. 38. tur. Et LIEVTAVD quidem tendineam membra-
nam, tenerumque interius velamentum et cellulo-
ſum textum, qui vtramque membranam vniat, diſtin-
guit, et in maioribus, ſenilibusque corporibus ten-
dineas fibras admittit, quas cum diaphragmatis ten-
dineis fibris continuari dicit, ſed nihil, quod huic
opinioni robur adderet, Noſter in funeribus repe-
rit; hinc, qui LIEVTAVDII obſeruationibus vſi
inter compoſitas membranas pericardium referunt,
p. 40. a vero omnino aberrant. SABBATIER nuper ſpas-
modicam huius ſacci conſtrictionem admiſit, verun-
tamen neque tendo conuellitur, neque quicquam
tendinei in humano pericardio eſt.

Aqua huius ſacci male a permultis vel negata
prorſus eſt, vel praeternaturalis habita; namque
rari non ſunt Auctores, qui eam aut in funeribus,
aut in viuis, ſanisque hominibus deprehenderint.
p. 48. Sic GREDINGIVS, qui multa cadauera diſſecuit, eam
nunquam non reperit, et ſimiles ſunt BASSANI de
homine ſubito mortuo, et P. C. FABRICII de apo-
plectico obſeruationes. In hominibus vltimo ſup-
plicio affectis HALLERVS ipſe de huius humoris
praeſentia fuit conuictus, atque adeo vera eſſe
deprehendit SCHNEIDERI, VINKII, STOERKII,
cet. placita, qui in hominibus ſemper eam adeſſe
p. 51. ſtatuerunt. Indoles huius aquae eadem fere eſt,
quae pleurae et peritonaei lymphae, quippe quae
ab affuſo meraciori vini ſpiritu in flocculas, fibras-
que abeat, et demum ſponte in gelatinam mutetur.
p. 54. Ceterum in viuo homine nonnunquam hic liquor
craſſeſcit, atque cor velut gelatina quadam obdu-
p. 58. cit, et in tabe, pectoris hydrope, aſthmate, prout
etiam poſt cordis palpitationes, animi deliquia,
aliaque mala hoc ipſum viſcus cum ſacco ſuo fibris
quibusdam ex pericardii aqua natis coniunctum,
hacque ratione cum cordis motum, tum reſpiratio-

nem fuiſſe impeditam relatum eſt. Ipſum etiam pericardium morbis variis, iisque cordis motum prohibentibus afficitur. Sic mox craſſum, carnoſumque, mox cartilagineum, aut oſſeum illud redditum fuiſſe VIEVSSENII, aliorumque experientia conſtitit.

Corde omnia ea animalia, quae aut arteriis et p. 77.
venis, aut alterutro horum vaſorum genere gaudent, dotata ſunt; hinc latius aliquanto huius organi imperium patet, quam ARISTOTELI notum fuit. Etenim non ſolum in iis animantibus, in quibus ſanguis ineſt, hoc viſcus deprehenditur, verum etiam erucis et longe minoribus vermibus idem contigiſſe, multis nuperorum obſeruationibus euictum eſt. Non ideo tamen omnia omnino animalia corde vtuntur; namque a numeroſa polyporum gente, quae in dulcibus aquis, aut in tubulis varii generis, aut in plantarum coralloidum caulibus habitat, quemadmodum etiam ab aquatico gordio, ab holothuria, echino, taenia (quantum Noſter reperit), omnino abeſt. Vorticellae pariter nonnulli cor denegandum cenſent, ſed vero eſt ſimilior ſententia eorum, qui hoc viſcere non deſtitutum eſſe hoc animal aſſerunt. In cochlea veri nominis, p. 79.
certe in cochlea, quae vitales humores per ſua vaſa in corpore diſtribuit, cor nequaquam deſideratur, in terreſtribus autem et aquaticis vermibus, in ſcolopendra, marina hyſtrice, multisque inſectis illud alternis nodis interſtinctum animaduertitur. In vermibus hoc organon intra canalem alimentarium contineri, et ex duobus, tribusue truncis fieri videtur; etenim, quamquam LYONNETVS hanc partem, licet ſaliat, motuque periſtaltico agitari videatur, propterea, quod humorem ſuum in vaſa haud emittit, verum cor, certe in eruca, eſſe negat; analogiam tamen non minus, quam motum

et proportionem ad corpus cylindricum animalis huic parti cordis nomen vindicare Noſter arbitratur. Ceterum in omni animali vnum cor eſt; neque enim a monſtroſis fetibus, in quibus nonnunquam cum duobus capitibus totidem corda fuerunt reperta, neque a VIEVSSENII experientia, qui vere duo corda in eodem homine, et in quadrupede ſe obſeruaſſe retulit, obiectio repetenda eſt; nam in VIEVSSENII exemplis aut monſtroſa fabrica locum habuit, aut, prout SABBATIER arbitratus eſt, alterum horum cordum dilatata fuit caua vena.

p. 80. Cor longum erucarum et vermium, cuius quiuis nodus ſeorſim ſalire dictus eſt, videtur HALLERO potius eſſe canalis alterne dilatatus, quam cordum ſeries. In nereide cuilibet articulo ſuam arteriam eſſe MÜLLERVS perhibuit, verum haud dubium eſt, cenſet Noſter, quin vna continua ſerie ſanguis a cauda ad caput promoueatur.

p. 126. Humani cordis proprie dicti, ſiue ventriculorum exterior ſuperficies membrana tegitur, quae cum extimo aortae, venarum cauarum, pulmonalium, cet. velamento continuationem habet, telaeque celluloſae ſuperimpoſita eſt, in qua paſſim verus, neque ab aliarum humani corporis partium

p. 128. pinguedine diuerſus adeps reponitur. Nonnunquam haec ipſa pinguis materies nimia copia in hac parte perpetuo motu exercita fuit collecta, quae etiam cor comprimeret et in minorem partem redigeret, nonnunquam autem inflammatione, aut ſuppuratione prorſus conſumta; neque enim rarum eſt, cor etiam in epidemicis malis inflammari et abſceſſibus, quorum pus in pericardium effluat, extus erodi. Aliis morbis vix effici poteſt, vt haec pinguedo euaneſcat, quippe in phthiſicis

corpori-

corporibus, ſi nullibi haec materies ſupereſt, in corde tamen reperitur.

Ventriculus cordis dexter, quem recte anteriorem WINSLOWVS dixit, in adulto homine poſteriori amplior eſt, ſic vt aliquando viginti quatuor drachmas reciperet, cum alter parum ſuper octo continebat. In ſenibus magnum diſcrimen locum habere, dextrumque ventriculum ſeptem, ſiniſtrum vero quinque vncias liquoris recipere PORTALIVS nuper docuit. Ceterum dexter ventriculus ſerioris temporis pars videtur, vt aliquamdiu vnico ventriculo, eo nempe, ex quo aorta prodit, embryonis cor conſtet; deinde ad tuberculi ſimilitudinem de ſiniſtro dexter emergere incipit, et aliquamdiu, (ad quintum menſem vſque,) ſiniſtro minor eſt. In maturo autem infante eadem cernitur vtriusque ventriculi capacitas, tandem dexter alterum, et eo maiori fere ratione, quo eſt aetas prouectior, vincit. Caſu hanc rationem turbari poſſe, certum omnino, repetitaque experientia confirmatum eſt; ſic MECKELIVS animaduertit, cum aorta oſſea eſſet, et ſiniſter ventriculus ſe malignius inaniret, dextro hunc fuiſſe ampliorem. Ceterum ſiniſter ſiue poſterior ventriculus, qui pleraque cum dextro communia habet, carneo ſepto ab hoc diſcernitur. p. 132. p. 135. p. 161.

Fibrarum cordis verae ſeries quae ſint, dictu eſt profecto difficillimum; neque enim potuit VESALIVS, neque ALBINVS hoc aenigma enodare, neque HALLERVS ipſe, quamuis cor macerauerit, et in aceto coxerit, ad definiendam veram fibrarum eius directionem propius acceſſit. Nihilo tamen minus fuerunt, qui in deſcribenda hac re ſummo ſtudio verſarentur, inter quos LOWERVS, LANCISIVS, WINSLOWVS, SENACVS, cet. eminent, quorum proinde placita HALLERVS recenſet, ſimulque addit, LIEVTAVDIVM ad eorundem numerum p. 175.

nuper acceſſiſſe, eum tamen ipſum ſummam operis difficultatem ſenſiſſe.

p. 202. Ad neruorum cordis hiſtoriam quod attinet, eam Noſter variis, iisque ex PORTALII et NEVBAVERI ſcriptis deſumtis ſupplementis auxit, ſimulque addidit, PORTALII obſeruata ab iis, quae ipſe animaduerterit, non raro recedere, NEVBAVERI vero

p. 208. pleraque cum ſuis conuenire. De ortu coronariarum arteriarum, temporeque, quo implentur, quae olim docuerat HALLERVS, ea fere retinuit, nonnullorumque nuperorum ſcriptorum, velut SPALLANZANI et SABBATIERI, tentaminibus confirmauit. Lymphatica vaſa, quae deneganda cordi omnino non ſunt, hactenus tamen neque HALLERI, neque SENACI, neque HEWSONI opera detegi potuerunt.

p. 246. Cor in contractione ſua breuius reddi, apicemque ad baſin accedere, cum Hallerianis, tum aliorum doctorum virorum tentaminibus in animalibus inſtitutis euictum eſt. Etſi autem vix vllis dubiis hoc ipſum placitum obnoxium eſſe videtur, de iis tamen animantibus, qui frigido ſanguine vtuntur, lis nondum eſt confecta putanda; etenim, quanquam SPALLANZANVS in Lacerta Salamandra, menſuris etiam captis, apicem ad baſin accedere vidit, FONTANA tamen in rana, anguilla atque teſtudine cor in actione longius eſſe confirmauit, eamque anomaliam peculiari cordis fabricae tribuit; ſcilicet molle illud eſſe, et in diaſtole ſanguinem in cor receptum a mucrone, qui ſuperior ſit, ad baſin deſcendere, ipſumque cor, accedente ſic ad baſin mucrone, breuius fieri, in ſyſtole vero hoc viſcus ſanguinem ſuum expellere, ita diſtendente humore ſe liberare, naturalemque longitudinem recuperare dixit. Iam vero perſaepe HALLERVS oppoſitum acus mucronem in ſyſtole a corde animalculi non

attingi,

attingi, in diaſtole contra omnino feriri, obſeruavit, hinc FONTANAM experimenta ſua non caute ſatis inſtituiſſe patet.

Cum cordis et auricularum caueae arctantur, p. 258.
ſanguinem, aut quemcunque continent liquorem, eas expellere oportet; vtrum autem cor penitus euacuetur, multi, neque ſine ratione, dubitarunt. Etenim in animalibus inter experimenta pereuntibus ſanguinis quicquam plerumque in corde manet, et in omnibus fere humanis funeribus ſanguinei quidam grumi, aut polypoſa coagula in caueis cordis, auriumque reperiuntur. Hinc BARTHOLINVS, SENACVS, aliique negarunt, hoc viſcus in ſyſtole ſua penitus vacuum reddi, et FONTANA in ipſo pullo, et in frigidis animalibus ruborem aliquem in contracto corde ſupereſſe, in calidis vero animalibus enectis ipſius ſanguinis aliquam copiam in eo deprehendi ſtatuit. At enim vero in nuperis p. 262.
experimentis, quae in pullo incubato fecit, ſaepe certiſſime ſe vidiſſe, refert HALLERVS, omnem ruberrimum animalculi ſanginem de albo et pellucente corde hactenus exprimi, vt omnino, absque vlla ſuperſtite purpura, ſolus albor teneri cordis ſupereſſet. Atqui haec ipſa phaenomena pariter in ſalamandra, ranaque SPALLANZANVS, et in pullo, qui ouo continetur, HARVEIVS et CALDANVS viderunt. Interim tamen facile largitur Auctor, debile cor nonnunquam minus bene euacuari, huiusque euentus teſtimonium ex infantis monſtroſi Dinkleriani, cuius cor nudum non euacuabatur, hiſtoria refert. Quodſi autem cor non prorſus vacuum redditur, ad eam tamen anguſtiam illud reduci neceſſe omnino eſt, vt in quouis pulſu nihil ſanguinis, niſi eandem ſemper copiam, quae in primo pulſu ſuperfuerat, retinere poſſit; etenim, ſi vel vnica gutta in quouis pulſu in ventriculis relin-

queretur, et in decem pulſibus totidem guttae remanerent, intra vnicum diem, in 100000 fere pulſationibus, enormem ſanguinis copiam, qualem cor continere omnino non poſſet, in eo manere neceſſe foret. Hinc etiam, quoties propter quasdam praeter naturam euenientes cauſas hoc viſcus maligne euacuatur, toties permultis in exemplis mirum in modum dilatari, immo diſſiluiſſe illud viſum eſt. Ceterum corollarium eſt huius theorematis, cor tanto eſſe minus, quanto robuſtius et perfectius ſe deplet; qua de re cum cor, tum auriculae in leone paruae ſunt, in debilibus contra, e. g. in hydropicis amplum hoc organon deprehenditur.

p. 264. Cordis conſtrictionem diaſtole ſequitur, quamprimum aut omni ſanguine, aut certe parte eius plurima ſe hoc viſcus liberauit. Perpetuo itaque hoc motu minor vitalis humoris circulus abſoluitur, in quo deſcribendo Auctor eodem tramite, quem olim laudauimus *), progreſſus eſt, praeterquam quod inſtituta a nuperis quibusdam naturae ſcrutatoribus tentamina insereret, ſua illis placita ſtabiliret, et ad motas nuper obiectiones reſponderet.

p. 381. Ad cordis motum quod attinet, etſi proxima eius cauſa in carneis fibris quaerenda eſt, ab aliis tamen muſculis hoc organon hactenus differt, quod neruorum vis in motu eius producendo ea non ſit, quae experimentis demonſtrari queat; quippe permultis a SPALLANZANO, MONROO, CALDANO, FONTANA, SWIETENIO, cet. inſtitutis periculis fuit euictum, neque immotum cor neruorum irritatione ad motum fuiſſe reuocatum, neque animal, ſi reſecti ligatiue intercoſtales et vagi nerui fuiſſent, periiſſe.

*) vid. comm. noſtr. Vol. VII. P. IV. p. 657.

periiſſe. Hinc in corde motrix quaedam cauſa, ſcilicet irritabilis virtus, eſt, quae huius muſculi motum, etiam quando neruorum praeſidium amiſit, aliquamdiu ſuſtentet, atque ſuſtineat. Quanquam p. 391.
autem haec ipſa irritabilis facultas in omni muſculo deprehenditur, in corde tamen ſuper reliquas carnes potentiſſima eſt, prout vel ii ſcriptores, qui ab aliis HALLERI placitis alieniſſimi ſunt, lubenter fatentur; et ſi in quibusdam experimentis hanc virtutem cor prius amiſiſſe viſum eſt, quam muſculi, oeſophagus, ventriculus, cet. ea priuarentur, pectus ante abdomen fuiſſe apertum, aërique expoſitum eius adipem coiuiſſe, HALLERVS opinatur; nam FONTANA ſuis tentaminibus fuit edoctus, cor quo eſt pinguius, hoc citius moueri deſinere; motum vero eius hoc diutius ſupereſſe, quo magis calidum ſeruatur; hinc frigida et coacto adipe tecta haec pars ad motum inepta redditur, dum interim reliquae muſculoſae partes ſuis velamentis tectae calorem, mollitiemque neceſſariam conſeruarunt.

A quouis ſtimulo, velut ab aquae gutta, a ca- p. 398.
pilli tactu, cet. irritatum cor motum concipit. Nimium autem videtur eſſe, ſi a ſolius pericardii contactu huius organi motum fuiſſe acceleratum ſtatuatur; namque HALLERVS ſemper expertus eſt, illud, vt irritetur, debere contingi. Sufficit ad hunc ſcopum in ſimpliciſſimis animalibus, quorum ſumma eſt irritabilitas, ſola aqua; vorticella enim, quae in aridum pollinem abierat, ad motum, vitamque redit, ſi fuerit humectata. Longe potentior vero p. 399.
cum ad reuocandum, tum ad accelerandum cordis motum calor eſt, quippe ſolo calido digito, aut calido humore adſperſo quietum hoc organon facile ad motum redit, et languidi cuniculi a foci calore refocillari viſi ſunt, tametſi in muſculis paralyſis

lyſis ſupererat. Ceterum mechanicae irritationis, ſalium acrium, aëris, cet. iidem ſunt effectus.

Quemadmodum autem variis mediis reuocari ſufflaminatus cordis motus poteſt, ita pariter non
p. 406. poſſe non eum deſtrui conſtat. Et in vniuerſum, quae necant, velut ſulphuris vapor, vomica nux, viperae morſus, frigus, nimius feruor, electrica vis auctior, qualis in fulgure eſt, et quae facit, vt cor irritatum non niſi tremores aliquos cieat, cet. ea aut ipſam huius viſceris irritabilitatem deſtruere, aut certe ſtatum eius ita vitiare putanda ſunt, vt ad motum producendum omnino ineptum euadat.
p. 407. Potiſſimum autem huc ipſa contractio ſpectat, quae irritabilem vim exhaurit, cordisque vigorem languidum ſenſim atque imbecillem facit, quemadmodum FONTANA, CALDANVS, aliique experientia
p. 447. edocti ſunt. Ceterum, vt ad vegetum cordis motum redeamus, quanquam irritabilis virtus perennitatis eiusdem cauſa recte habetur, vero tamen omnino ſimile eſt, cordi per neruos aliquam vim accedere, quae motum a natura irritabili pendentem vel fortiorem, celerioremque reddat, vel certe ad animi motus contemperet; nam, cum haec neruea virtus in aliis muſculis ad conſtantiam, magnitudinemque motus plurimum conferat, dubium nullum eſt, quin eandem facultatem in cor exſerere poſſit. Aliorum phyſiologorum de motu cordis, eiusque cauſis cogitata, quemadmodum etiam Noſtri de iis iudicia ſilentio praeterimus, et hoc vnum addimus,
p. 436. argumentum a carnium, diaphragmatis et inteſtinorum motu petitum, quo nuper FONTANA aduerſus cordis praerogatiuam vſus eſt, vix quicquam valere; nam reliquorum muſculorum irritabili vi cordis facultas maior, conſtantior atque praecocior eſt, eaque in calido pullo effectibus ſuis prius conſpicua ſit, quam carnium motus deprehenduntur.

Diaphra-

Diaphragmatis priuilegium ad cordis praerogatiuam proxime quidem accedit, multo tamen lentius, et quadruplo longioribus interuallis agit, nonnulliſque in occaſionibus, velut in grauido feminarum ſtatu, prorſus quietum animaduertitur, et inteſtinorum motus perpetuus non eſt, ſed interuallis quibusdam interruptus; hinc comparari harum partium motus cum corde nequit, nullaque proinde eſt in FONTANAE obiectione vis.

XV.

EIVSDEM Bibliotheca medicinae practicae T. II. ab anno 1534 ad annum 1647. Bern. et Baſil. ap. Eman. Haller et Ioh. Schweighaeuſer, CIƆIƆCCLXXVII. III. Alph. 21 plagg. 4.

Tomus iſte ſecundus ab Auctore Cl. RASTIO dicatus eſt, cuius libros rariſſimos ſibi communicantis beneuolentia haud parum ſe adiutum fuiſſe in praefatione teſtatur. Complectitur autem haec operis egregii pars medicos ſcriptores a PARACELSO inde vſque ad DIEMERBROEKIVM. Cum inſtituti huius vtiliſſimi rationem iam prima eius parte *) commemorata; cum Lectoribus communicauimus, quaedam, ex hac ſecunda parte, indicabimus.

Liber quintus *chemicorum* nomen inſcriptum p. 1. habet. Quamuis enim hactenus non omnino nullus, ſed parcus tantum fuiſſet medicamentorum chemicorum in re medica vſus, quorum origo ad Arabes fere referenda eſt; hac tamen aetate potiſſimum Chemia caput extollere et principatum in re medica

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. Part. IV. p. 662.

medica affectare coepit; diu fruſtra renitentibus Italorum Gallorumque ſcholis, quarum pleraeque in HIPPOCRATIS, ARISTOTELIS et GALENI praeceptis ſibi placebant. PARACELSVM, chemicae haereſeos in Germania auctorem, medici filium, (patrium nomen ei erat HOECHENERO), non vt vulgo putatur in vico *Einſiedlen* pagi Suitienſis (*Canton Schweiz*), ſed potius in Vico *Gaiſs*, pagi Abbatis Cellenſis, natum eſſe, Noſter ex LAVRENTIO ZELWEGERO, eiusdem pagi rectore, didicit. Plura de homine, ſuperſtitione et vanitate ſua omnibus notiſſimo, monere ſuperuacaneum eſſe ducimus.

p. 16. VALERIVS CORDVS, Haſſus, tum aliis in rem medicam meritis, tum maxime *Diſpenſatorio pharmacorum omnium*, Norimb. 1535 primum edito inclaruit. Hunc librum a collegio medicorum Norimbergenſi poſtea recenſitum et auctum, perennem pharmacopoeorum normam, legemque eſſe Senatus huius ciuitatis voluit, ſuaque auctoritate ſanxit. ANDR. MATTHIOLVS, ALEXANDER TRAIANVS PETRONIVS in L. *de morbo Gallico* petechias anno 1530 primum innotuiſſe narrat. Chinae et ſarſaparillae, in ſananda lue venerea, efficaciam laudat, mentionem etiam iniicit candelarum medicatarum, quas tamen haud probat. HIERONYMVS CARDANVS, polygraphus, polyhiſtor, in L. *de malo recentiorum medicorum medendi vſu*, (Venet. 1536. 8) petechias a morbillis diſtinguere docet. Eiusd. opera omnia Rothom. 1663. C. CAR. SPON. X. Voll. f. AMATO LVSITANO verum nomen fuiſſe auctor monet, I. RODERICO de CASTELLO ALBO. Idem poſtea, cum Ferrariae et alibi medicinam feciſſet, Theſſalonicam ſe contulit, et Iudaeum ſe palam profeſſus eſt. ANDR. VESALIVS, IOH. FERNELIVS, IAC. SYLVIVS, VICTOR TRINCAVELLVS et alii.

CONRA-

CONRADI GESNERI, viri omnino eximii, ſcripta et in rem medicam merita fuſe ab Auctore exponuntur. Praetermiſſis aliis plurimis egregie dictis, factisque, monemus GESNERVM, vt in *Epiſtolis*, quarum tres libros H. WOLFIVS Tig. 1577. forma 4. edidit, legitur, Vitrioli oleum in febribus dediſſe, Herbam Paridem in mania et dolentibus haemorrhoidibus, Belladonnae ſuccum vero ad compeſcendos dyſenteriae dolores laudaſſe. Quartus epiſtolarum liber prodiit Witteb. 1584. 4. IO. GORRAEVS, definitionum medicarum auctor, et alii.

Liber ſextus *Hippocraticos* medicos complectitur, eos puta, qui circa haec tempora ſolis HIPPOCRATIS GALENIque ſcriptis et auctoritati omnem morbos cognoſcendi, ſanandique artem accommodabant, vix quicquam ab hac norma deflectere auſi. In Gallia praeſertim haec ſchola duce IAC. HOLLERIO inclaruit; Germanis interea chemicas artes, Italis vero Galenicos, Arabes et ſcholaſticos ſectantibus HOLLERIVS ipſe variis in Hippocraticos libros ſcriptis commentariis et *materia chirurgica*, TAGAVLTII *chirurgicis inſtitutionibus* adiecta, inclaruit, quod poſtremum opus Pariſ. 1543. f. Francf. 1603. 12. typis expreſſum fuit, I. PHIL. INGRASSIAS, I. BAPT. MONTANVS, alii. p. 68.

HIERON. GABVCCINI, Faneſtris, L. *de lumbricis aluum occupantibus, et de ratione curandi eos, qui ab illis infeſtantur*, Venet. 1547. 8. Idem in L. *de morbo comitiali*, Venet. 1561. 4. 1568. 4. morbum eſſe ouium narrat, quo in gyrum perpetim agitantur; reperiri in mortuarum ſincipite veſicas aquae plenas IOH. LANGIVS, IVL. ARGENTERIVS, CHRISTOPH. a VEGA, et alii. p. 81.

ALOYSIVS LVISINVS collectionem ſcriptorum omnium de morbo Gallico, Venet. 1566. f. inſtituit; p. 100.

tuit; qua quidem 59 diuerſorum auctorum Libri continentur. Eadem cura BOERHAAVII recuſa fuit, L. B. 1738. cum titulo: *Aphrodiſiaci*, ſ. de lue venerea ſcriptores 2. Voll. f.

LISETTVS BENANCIVS; FRANC. VALERIOLA. (Hic inter primos epidemicae tuſſis anni 1557, Gallis *coqueluche* dictae, mentionem iniecit, in *appendice* ad *Locos communes medicinae*, Venet. 1553. 8. Genev. 1604. 8.) IO. CRATO, GVIL. RONDELET, et alii.

p. 144. GABR. FALOPPIVS in Libro *de morbo Gallico*, Patavii primum anno 1564 edito, gonorrhoeam ab annis 25, pilorum profluuium a 30 retro annis ingruiſſe contendit. Vitrum antimonii et, quae ex eo praeparantur, medicamenta laudauit fere primus MARTIN. RVLANDVS pater, in Theſauro medico cet. Francf. 1691. 4. c. C. RAYGERI edito. Ad Hiſtoriae medicae illius temporis notitiam Noſter laudat LAVRENTII GRYLLI, Prof. Ingolſtad. *orationem de peregrinatione ſtudii medicinalis ergo ſuſcepta.* Prag. 1566. 4. Hoc tempore I. WYER vel WEYER ſcarabaeos maiales et vnguentum de cicuta aquatica aduerſus vagos Weſtphalorum dolores (*laufende Varen*) laudauit in peculiari *de Varenis* libro editioni *operum* illius *omnium* Amſtel. 1661. inſerto MARCELLVS DONATVS, WILH. TVRNER, et alii.

p. 169. HIERON. MERCVRIALIS, THOMAS ERASTVS (LIEBER); ANDREAS CAESALPINVS. LVDOVICVS MERCATVS fere primus ex inſtituto, plenoque opere, de petechiali febre expoſuit hoc titulo: *de eſſentia, cauſis, ſignis et curatione febris malignae, in qua maculae rubentes ſimiles morſibus pulicum erumpunt per cutem*, Valladolid. 1574. 8. Eius opera omnia cura I. H. BEYER, Francof. 1608. 1614. IV. T. f.

Tomus

Tomus V. Francof. 1614. VOLCHERVS COITER, I. RIOLANVS pater, alii.

Prima editio egregiorum *operum* AMBROSII PARE' eſt Pariſina de anno 1575, fol. IOSEPHVS QVERCETANVS. Is in Tractatu bipartito *de priſcorum philoſophorum verae medicinae praeparationis modo, atque in curandis morbis praeſtantia*, cui accedunt *de dogmaticorum medicorum legitima praeparatione medicamentorum* L. II. et *Conſiliorum* L. IV. Genev, 1603. 8. tincturae auri cum ſpiritu nitri dulci paratae meminit. Ex vrina ſpiculas albida ſurgere, quae in glaciei ſpeciem coagulentur, aſſerit, obſcuro forte phosphori indicio. Mercurium medicinae adhibendum ex cinnabari reſtitui iubet, ne plumbo temeratus ſit. Mercurium dulcem quoque laudat, circa haec ipſa tempora inuentum. IOH. COYTTARVS, IOH. COSTAEVS, REMBERTVS DODONAEVS, MARSILIVS, CAGNATVS, P. FORESTVS, et alii, obſervationum vtilitate et elegantia hodienum celebres. p. 196.

FELIX PLATER, medicus Baſileenſis ſua aetate feliciſſimus, celeberrimusque non exiguam quoque famam apud poſteros meruit, tum aliis libris, tum maxime *Obſeruationum in hominis affectibus plerisque* L. III. Baſil. 1614. 1641. 8. In febribus malignis et ardentibus acidis crebro vſus eſt. Ventriculis ſubmerſorum nullam, aut certe pauciſſimam aquam ineſſe obſeruauit. PETRVS SALIVS DIVERSVS, I. HEVRNIVS alii. FR. DIAZ M. D. Prof. Alcaloni *Tratado de todas las enfermidades de los Rinnones vexiga y carnoſidades, de la verga y vrina.* Madrit. 1588. 4. Candelarum medicatarum verum Auctorem narrat eſſe M. FELIPO, Chirurgum CAROLI V. Ipſe DIAZ mercurio ſublimato ad deſtruendas carunculas vſus fuiſſe videtur. ANDREAS LIBA- p. 252.

VIVS, PROSPER ALPINVS, HERCVLES SAXONIA et alii.

p. 305. GVIL. FABRICIVS, vulgo a patria HILDANVS dictus; Poliater Bernenſis. Poſthumos Viri doctiſſimi codices in Bibliotheca Bernenſi ſeruari narratur, de quibus Ill. Auctor in *Relationibus Gottingenſibus* T. XII. retulit. Inter hos Exemplum Mſ. eſt nouae editionis, quam FABRICIVS parabat, libri, *von dem Nutzen der Anatomey*, in cuius prooemio torturae crudelitatem deteſtatur, magiſtratuum humanitatem pro ſontibus implorat, quibus quippe ſaepe inter tormina ſcapulae laceratae fuerint. BARTHOL. CASTELLI, VLYSS. ALDROVANDVS. IO. ALFONS. DE FONSECA, *Dicionario medico* cet. Complut. 1606. 4. FORTVNATI FIDELIS *de relationibus medicorum* L. IV. Panorm. 1602. 4. Lipſ. 1674. 8. c. P. AMMAN. et ib. 1679. 8. cum ſpurio titulo TH. REINESII *ſcholae iuriſconſultorum medicae* prodiit. Ceterum hic primus liber eſt ex inſtituto de medicina forenſi ſcriptus.

p. 344. In librum ſeptimum Cl. Auctor XVII ſeculi ſcriptores congeſſit, qui ad HELMONTIVM vſque rem medicam libris ſuis illuſtrarunt. Magna medicae artis conuerſio in hoc ſeculum incidit, cum non modo CARTESII, HELMONTII, SYLVIIque placita viciſſim reciperentur, artique vniuerſae accommodarentur; verum etiam ab HARVEIO ſanguinis circuitus detegeretur, et cortex Peruuianus, poſt magnas lites, in materiam medicam vbiuis introduceretur.

p. 350. FRANC. CITESIVS (*Citois*) in L. *de nouo apud Pictones dolore colico bilioſo*, Poitiers 1616, 8. Pariſ. 1639, 4. morbum iſtum, de quo PAVLVS AEGINETA etiam refert, nuper a. 1572 vel denuo ortum, vel exacerbatum eſſe, in Germania autem ante

70 annos primum ſaeuiiſſe, teſte LANGIO, aſſeuerat; Plicam polonicam ante a. 1560 vel 1570 ignotam fuiſſe; in lue venerea nouum ſymptoma, puſtulam cryſtallinam, apparuiſſe.

SANCTORIVS SANCTORIVS, celebris ille medicus ſtaticus, thermometrorum etiam tunc recens inuentorum et hygrometrorum vſum primus in medicinam tranſtulit; Pulſilogium inuenit, quo 133 motuum differentiae diſtinguerentur, et multa alia, quorum magna pars deſcribitur in *Commentario ad Fen I. l. I. Canonis* AVICENNAE, Venet. 1626. THEOD. TVRGVET DE MAYERNE *in Syntagmate praxeos medicae*, Lond. 1690, 1695, 8. 2 Voll. multa noua medicamenta propoſuit: v. c. ſemen Hyoſcyami in epilepſia, calamum aromaticum in vertigine, Helleborum album in mania, Mercurium ſublimatum ad gr. j. in ſcrophulis apertis; fumum calcis viuae ad compeſcendam haemoptoën, fumum Guaiaci ad ſiccanda vlcera pulmonum, cet. acida item laudat ante SYDENHAMVM, cf. *Opera* TVRGVETI *medica* a IOH. BROWNE edita Lond. 1703, f. IOH. RIOLANVS Iunior, GREGOR. HORST, et alii. p. 352.

Magnam famam eo tempore conſecutus eſt DAN. SENNERT, Prof. Wittebergenſis, eo, quod Chemicorum cum Galenicis lites perpetuas componere conaretur, quod quidem fecit potiſſimum promulgato opuſculo *de chemicorum cum Ariſtotelicis et Galenicis conſenſu et diſſenſu, c. appendice de conſtitutione chemiae*, Witteb. 1719, 8, Pariſ. 1632, 8. cet. *Operum omnium* editiones quam plurimas Noſter enumerat, Venetam, etiam Lugdunenſes et Pariſinas. Nouiſſima eſt Lugd. 1676, 6 Voll. f. p. 393.

LOVISE BOVRGEOIS *dite* BOVRTIER, obſtetrix Regia, artem ſuam prima recentiorum, in compendium quoddam redegit; *Obſervations diverſes* p. 403.

ſur la ſterilité, perte de fruit, maladies des femmes et enfans nouveaux nés, Paris. 1608, 8. IOH. CHIFLET, *Puluis febrifugus Orbis Americani*, 1653. 4. Primam formulam Cardinalis de LVGO continet. MELCHIOR SEBITZ, OLAVS WORM, CASPAR BARTHOLINVS, I. RVD. CAMERARIVS, et alii.

p. 439. GVIL. BALLONIVS DE BAILLON memorabilium obſeruationum copia, artisque felicitate clarus. Prae reliquis a Noſtro laudantur Epidemiorum et ephemeridum L. II. Pariſ. 1640. 4. Opera omnia cum praef. edidit THEOD. TRONCHIN. Genev. 1762. 4. LAZARVS RIVERIVS primus ſcholae Monſpelienſis chemicus. In libro, qui inſcribitur; *praxis medica cum theoria*, Pariſ. 1640, 1647, 8. cet. mixturam ſuam contra vomitum promulgauit. *Opera omnia* prodierunt Lugd. 1663. f. cet. Venet. 1733. 8. CAROLVS PISO, ADRIANVS SPIGELIVS, alii.

p. 484. PETRI CASTELLI *Emetica*, Rom. 1634. f. *In libro de efferueſcentia et mutatione colorum in mixtura liquorum chemicorum*, Meſſan. 1654. 4. corticem Peruuianum attingit, eumque defendit. Putat autem eſſe *Ytzic-Patli*, FRANC. HERNANDEZ. IO. HENR.

p. 488. MEIBOM, EMAN. LABADIE, PAVLVS ZACCHIAS, RENATVS MOREAV, FRANC. BACO DE VERVLAMIO, et alii.

p. 518. Libro octauo Cl. Auctor nomen IOH. BAPT. VAN HELMONT praefixit. Eum Archaeos, fermenta, morborum ortum ex acore in theoriam medicam, calida vero et heroica medicamenta in artis exercitium introduxiſſe notum eſt. Ex eius libris copioſiſſimis primus fere eſt de curatione ſympathetica, Pariſ. 1624. Operum omnium duae praeſertim laudantur editiones ſplendidae Elzeuiriorum altera anni 1648. 4. altera 1652. 4.

IOH.

IOH. RHODIVS, GVIL. HARVEY, WERNER, ROLFINK, GVIDO PATINVS, alii ann. 1625 – 1628. GABR. NAVDE', *de antiquitate et dignitate ſcholae medicae Pariſienſis, panegyris.* Pariſ. 1628, 8. ZACVTVS LVSITANVS, MARCVS AVRELIVS SEVERINVS, SIMON PAVLI, cet. p. 536.

I. ANTONIDES VAN DER LINDEN. Huius Viri aliis etiam nominibus clari, libro *de ſcriptis medicis*, Amſtel. 1637. continuato et aucto a GEO. ABRAH. MERKLIN, Norib. 1686. 4. ſe non parum in hac Bibliotheca ſcribenda adiutum fuiſſe Auctor teſtatur. IAC. PHIL. TOMASINI *illuſtrium virorum* (interque hos medicorum complurium) *elogia*, Patav. 1630. 4. c. figg. et *elogia virorum litteris et ſapientia illuſtrium*, Patav. 1644. 4. *Gymnaſium Patauinum* cet. Vtin. 1654. 4. p. 580.

IAC. PRIMEROSE, Archiater Londinenſis, ſcripſit, L. IV. *de vulgi erroribus*, Amſtel. 1630. 12. *Pharmaceuticam methodum breuiſſimam*, Amſtelod. 1651. 12. Primus fere in HARVEIVM inſurrexit. IO. LAVR. BAVSCH, Swinfurtenſis medicus, eo, quod anno 1652, medicorum ſocietatem ad communicandas ſibi memorabiles obſeruationes inuitaret, occaſionem dedit Academiae Naturae Curioſorum poſtea fundandae.

BALTHASAR TIMAEVS A GÜLDENKLEE. I. PREVOT, VOPISC. FORTVNAT. PLEMPIVS. PETRVS SERVIVS, Spoletanus, ſub nomine PERSII TREVI edidit *declamationes ad Librum de Sero Lactis* RODERICI *Caſtrenſis*, Pariſ. 1632. 12. Rom. 1634. 8. Primus aquam marinam deſtillatione potabilem reddere tentauit. ADRIANVS VAN MYNSICHT, IOH. VAN BEVERWYCK, IOH. SCHROEDER, HERMANNVS CONRING, et alii. p. 589.

p. 627. Liber nonus FRANCISCI SYLVII DE LE BOE nomen in fronte gerit. Vir iſte nobilis, Hanouiae natus, omnium fere medicinae partium peritiſſimus, per multos annos L. B. artem ſalutarem docuit et exercuit. In plerisque HELMONTIVM ſecutus eſt, repudiato tamen huius Archaeo. Fermentationibus multum tribuit in morbis, potiſſimum humorum acori; vt in indole bona vel praua bilis, ſuccique pancreatici, et ſanitatis ſumma praeſidia et morborum ſemina ineſſe exiſtimaret. Hinc alcalina remedia potiſſimum, et diaphoretica in rem medicam introduxit. Prima eius diſſertatio eſt de motu animali, eiusque laeſione, L. B. 1637. 4. Opera omnia c. IOACH. MERKLIN edita Vltrai. 1691. 4. Venet. 1736. f. Genev. 1731. f. et alii.

p. 633. PIERRE LE SVRE Cleombrotus, ſ. de iis, qui in aquis perierunt Rom. 1637. 8. CLAVD. NICOL. FABRIC. PEIRESCIVS, IOH. VESLING, ANDR. RIVINVS, ROB. LYONNET, REN. CHARTIER, alii.

p. 653. THOMAS BARTHOLINVS, vaſorum lymphaticorum primus inuentor, in peregrinationibus varia edidit, e. g. *de vnicornu obſeruationes nouas*, Patav. 1641. 8. *aneuryſmatis diſſecti Hiſtoriam anatomicam*, Panorm. 1644. Ex reliquis quicquam depromere et hic recenſere ſuperfluum foret. Celeberrimi enim viri ingenium, omnibus elegantioris medicinae amicis ſatis notum et perſpectum eſſe exiſtimamus.

p. 666. NICOLAVS TVLP, I. MORELLI, GEO. ABRAH. MERKLIN, DOMIN. PANAROLI Med. Prof. Rom. *Iatrologiſmorum pentecoſtae quinque*, Rom. 1652. 4. Hanov. 1654. 4. DILECTVS LVSITANVS, IAC. BONTIVS, HERMAN VAN DER HEYDE, et alii.

p. 691. SEBAST. BALDI vel BADI, Genuenſis, *Anaſtaſis corticis Peruuiani; ſ. chinae chinae defenſio contra ventilationes* I. I. CHIFLET, *gemitusque* V. F. PLEMPII. Genuae.

Genuae, 1663. 4. Continetur hoc libro vniuerſa corticis Peruuiani hiſtoria, eiusdemque ab Auctore in tertianis primum adhibiti exempla. ISBRAND VAN DIEMERBROEK; THOMAS BROWN et alii.

XVI.

WILLIAM CVLLEN *Anfangsgründe der praktiſchen Arzneywiſſenſchaft. Zweyter Theil, welcher die Fieber mit Ausſchlägen auf der Haut, die Blutſtürzungen, und die widernatürlichen Ausleerungen wäſſerichter Feuchtigkeiten, mit fieberhaften Bewegungen begreifet. Leipzig, bey Caſpar Fritſch,* 1780. 8. *Seitt.* 372. praeter contenta et indicem.

i. e.

Elementa praxeos medicae. Pars II. continens febres exanthematicas, haemorrhagias, profluuiaque (*fluxes with Pyrexia*). Auctore Cl. CULLEN *).

Dum de *peſte* arcenda et ſananda hic agitur, mentio fit Cl. MERTENS **), qui inter recentiores et optimos Auctores iure refertur. Bubo peſtilentialis eſt criticus, et vti abſceſſus tractandus. Carbunculi exſtirpatio nihil iuuat, eorum abſceſſus eſt naturae committendus et inciſionibus paruis, et emollientibus remediis adiuuandus. Plurimum collum, genas, pectus, dorſum et extremitates ſuperiores, et inferiores occupant carbunculi, anthraces autem dorſum. Quemadmodum bubones ſunt critici, p. 14.

*) Primam partem v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 680.

**) *Beobachtungen der faulen Fieber, der Peſt und anderer Krankheiten. Aus dem Lateiniſchen. Göttingen,* 1779. 8.

tici, ſic anthraces et carbunculi, nec non petechiae, quae quoque apparent, ſigna ſunt ſummi gradus putredinis. Acida mineralia et cortex Peruuianus interne in leui gradu peſtis a Cl. MERTENS laudantur.

p. 31. *De variolis.* Antimonialia et mercurialia medicamenta, quae inoculatis aegris exhibentur, agunt hic, vti Noſtro videtur, vt laxantia. Variolarum inſitioni Noſter multum fauet. *De variolis ſpuriis* (*Chicken-pox*, *Varicella*) affirmat Noſter, eas ſemel tantum in vno corpore apparere.

p. 68. *De morbillis.* Non temere hic Noſter attendit ad inflammationem, quam dirigere oportet venaeſectionem, quamque valde vrget in hoc morbo. Diſtinguunt morbilli ſeſe potiſſimum catarrho et indole nimis inflammatoria a reliquis febribus exanthematicis. Quapropter reliquis multo periculoſiores ſunt, inprimis accedente peripneumonia. Superatis morbillis, plurimi medici exhibent laxantia, id quod Noſter omnino quidem non reprehendit, attamen praefert interdum venaeſectionem ad inflammatorium ſtatum corporis, hoc morbo excitatum, penitus ſufflaminandum. De regimine frigido, quod nonnulli pariter ſuadent in morbillis, ac in variolis, timet Noſter.

p. 78. *De ſcarlatina.* Hanc diuidit in ſcarlatinam cum, et ſine angina. Non raro enim anginam cum hoc morbo ſeſe coniungere, per quinque ſ. ſex epidemias, a Cl. CVLLEN intra quadraginta annos obſeruatas, Noſter vidit, et Cl. SAVVAGES quoque ſiſtit ſcarlatinam anginoſam. Quapropter vtramque hic expendit et primum quidem ſcarlatinam cum angina. Quae plerumque apparet finiente aeſtate et durat per omnem hyemem. Ingrata ſenſatio collo non diu poſt ſuperuenit, et deglutitio ſaepe multo

magis

magis laeſa ſpectatur, quam in angina maligna. Ab initio epidemiae exempla Noſter animaduertit, quae cynanche maligna laborantibus ſimilia euadunt, nec haec periculo carent. Cortex Peruuianus plerumque omnino laudatur, eo autem hic non ſemper opus eſt, ſed tum, cum periculoſa et de putredine potiſſimum timendum eſt. His caſibus exceptis, multo potius nocet cortex, inprimis ſi inflammationis ſigna interueniunt. Sequitur ſaepe oedema, quod, vti Noſter intellexit, ſponte diſparet. Proficiſcitur autem plerumque a refrigerio, ſeu ab euacuantium neglectu, et efficit, ſi negligentius tractatur, mortem ſecundum Noſtri obſeruationes. Facile autem cedit leniter euacuantibus remediis, potiſſimum diureticis.

De febre miliari. Purpuram Noſter neque inter idiopathicos, neque inter epidemicos refert morbos, nec eius contagium largitur. Qui euacuationibus, inprimis ſanguineis ſunt debilitati, ii potiſſimum ſi facile ſudant, purpura laborant. Inde Noſter explicat, cur puerperis ſolennior eſt aliis. Iam enim regimine calido et omni omnino medendi methodo mutatis, apud nos Lipſiae propemodum purpura puerperis plane non amplius eſt moleſta. Rariſſime omnino etiamſi apud nos ea iam obſeruatur in vtroque ſexu, tamen vidimus eam, adhibita ea medendi ratione, quam volunt. p. 88.

De vrticaria, pemphigo et aphtha. Pertinent hic pſydracia, porcellana et eſſera *). Pemphigus eſt rarus morbus et a Noſtro non obſeruatus, nec accurate ſatis ab aliis deſcriptus. Indicantur hic a Cl. CVLLEN Acta Heluetica **). Petechiis hic p. 101.

Hh 5 Noſter

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 435.
**) Vol. II. p. 260.

Noſter nullum concedit locum, quoniam ſymptomaticum exanthema eſt.

p. 105. *De haemorrhagiis.* Hic Noſter haemorrhagias modo actiuas contemplatur cum febre quadam, ſeu, ſecundum Eius noſologiam, cum pyrexia, reliquas ſanguinis profuſiones, vti eas appellauit, hic mittit et omnino de haemorrhagiis, earum diuerſitate, plethorae varietate, periodis diuerſis haemorrhagiarum, de partialibus haemorrhagiis, earumque in vniverſum natura et origine quaedam praemittit. Haemorrhagiae ſunt interdum periodicae, et ſanguis e vena miſſus in iis cruſta inflammatoriae ſimili plerumque eſt obductus. Apoplexiam nominaſſe FRIDERICVM HOFFMANNVM haemorrhagiam cerebri probat Noſter.

p. 134. *Remotis cauſſis haemorrhagiarum* conſideratis, ad medelam venit Cl. CVLLEN. Omnes omnino haemorrhagias, exceptis ſolis catameniis, vitandas et earum reditum eſſe, quantum fieri poteſt, arcendum, contra STAHLIVM, aliosque Noſter dicit. Plethora eſt impedienda et imminuenda ad haemorrhagias fugandas, earumque regreſſum prae-
p. 146. cauendum. Si haemorrhagia a vera plethora efficitur, ſeu pendet a mutatione quadam in aequilibrio et ratione diuerſitatis in vaſis, ab initio ea non eſt extemplo ſupprimenda, quoniam ſponte ea ceſſabit, ſimulac ea quantitas ſanguinis e corpore effluxerit, quae ad leuamen corporis requiritur. Largitur autem Noſter, pluribus haemorrhagiis ſuccurri debere, nec poſſe eas naturae ſolummodo committi.

p. 153. Ligaturis extremitatum in haemorrhagiis non adeo certam atque indubitatam tribuit Noſter vim. Lipothymiae, quae hic ſuperuenire interdum ſolent, non ſemper ſunt ſedandae, cum ſaepe optime iuuent.

De

De epiſtaxi ſ. haemorrhagia narium. Si vtrinque e naribus ſanguis effluit, morbus periculoſior eſt. Plerumque ex vna parte fit, et Noſter putat, hoc ad ſtagnationem in vaſis vicinis infringendam ſufficere. p. 155.

De haemoptyſi. Haec oritur ſaepius ex laeſa ratione inter diametros vaſorum pulmonis et vaſorum totius corporis. Eſt igitur et haereditaria. Superuenit potiſſimum iis haemoptyſis, qui pectoris anguſtia laborant, eminentiam ſcapularum et paruos inde pulmones habent. Aſthmate ergo eiusmodi homines ſat moleſto turbantur. p. 167.

Oritur inde phthiſis pulmonalis, quae ab vlceratis pulmonibus pendet, et a Noſtro ita diuiditur. Effecit nempe Noſter quinque claſſes: Vlcera eiusmodi poſſunt formari, 1) praegreſſa haemoptyſi, 2) ſuppuratione pulmonum inflammationem ſubſequuta, 3) catarrho praecedente, 4) aſthmate et 5) nodis pulmonum praeſentibus. p. 181.

Catarrhus raro, vti Noſter ratur, eſt initium phthiſeos pulmonalis. Interim tamen ſi vehemens eſt, coniunctusque cum inflammatione, ſiue ſi diu durat, per vehementem percuſſionem thoracis poteſt catarrhus tuberculis et indurationibus pulmonum generandis ſeruire. Ita eſt catarrhus, qui male pro catarrho habetur, initium phthiſeos, ſeu propter continuationem morbi et nimiam percuſſionem pectoris fit catarrhus cauſſa phthiſeos pulmonalis. Quapropter Noſter catarrhos non eſſe negligendos a medicis ſuadet. Sollemniſſimam cauſam phthiſeos pulmonalis Noſter iudicat eſſe tubercula pulmonum. Quibus generandis ſeruit quoque materia calcarea, quam obſeruauit Noſter in tribus aegris et nos aliquoties obſeruauimus, praeſertim in duobus fratribus *). Refert et Noſter artifices, p. 204. p. 206

vt

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 697.

vt foſſores, capillaturae ſtructores, lapicidas, molitores cet. Si phthiſis pulmonalis ab haemoptyſi oritur, facilius eſt ſanatu, ac ſi a tuberculis pendet. Suſtulit interdum phthiſin hanc mania, reuertitur autem mania ſanata. Grauiditas progreſſum huius phthiſeos turbat, ea vero ad finem producta, ſymptomata adeo magna vehementia apparent, vt mortem breui efficiant.

p. 221. Progreditur Noſter ad medelam huius phthiſeos. Balſamica remedia, mercurium, corticem Peruuianum, acida mineralia cet. reiicit Noſter. Diarrhoeam colliquatiuam Rhabarbarum non iuuat, ſed mediocriter adſtringentia, mucilaginoſa et opiata remedia. Tuſſim temperant opiata.

p. 238. *De haemorrhoidibus.* Quemadmodum Noſter de omnibus haemorrhagiis *), ita quoque de haemorrhoidibus ſentit, easque potius imminuendas, quam augendas eſſe ſuadet. Interea non negat, poſſe fluxum haemorrhoidalem interdum toti corpori ſeruire et morbos leuare, et tum concedit eius progreſſum.

p. 261. *De menorrhagia.* Hanc diſtinguit Noſter ab haemorrhagia vteri. Sanationem dirigere oportet diuerſitatem cauſarum. Nimio ſanguinis fluxu continuante et variis remediis tentatis, interna et externa remedia adſtringentia a Noſtro ſuadentur. Num tum paruae doſes emetici remedii conducerent? Quidquid irritat, curioſe hic vitandum eſt, et caute temperandum.

p. 272. *De leucorrhoea ſ. fluore albo.* Ob eius diuerſitatem Noſter hic de eo ſolummodo differit, qui ex iisdem vaſis, vbi catamenia, profluit. Oritur a laxitate vaſorum minimorum vteri, et ſi diu durat, debilitatem corporis omnino et inprimis ventriculi efficit.

*) vid. ſupra p. 246.

efficit. Poteſt et genitalia debilitare et ſterilitati ſeruire.

De amenorrhoea. Haec eſt duplicis generis et cernitur vel in retentione, vel in ſuppreſſione catameniorum. Emmenagoga omnino non magnifacit, electricitatem autem *) ad vaſorum robur augendum, vti alias, ita et hic laudat. In fine etiam dysmenorrhoeae iniicit Noſter mentionem, quacum dolores dorſi, lumborum et abdominis ſunt coniuncti. Hanc difficultatem adſcribit Noſter vaſorum debilitati vel potius ſpaſmis. p. 277.

Venit Noſter *ad euacuationes nimias praeternaturales non ſanguineas cum febre* (profluuia, fluxes with pyrexia). Horum Noſter duas ſolummodo contemplatur, catarrhum nempe et dyſenteriam, atque ita ab aliis Auctoribus, vt MACBRIDE cet. diſcedit. p. 292.

Catarrhum Noſter ſanis, nec adeo annoſis iudicat morbum facilem, iis vero, qui pectore laborant, et ad phthiſin pulmonalem procliuibus multo periculoſior eſt, quoniam, vti non multum ante in capite de phthiſi docuit Cl. CVLLEN, tuberculis generandis in pulmonibus occaſionem dat. Senibus catarrhus peripneumoniae nothae originem praebet ſaepe letalis. Catarrhi ſpecies Noſter duas commemorat, quarum vna pendet a frigore ſ. a refrigerio, altera a contagio repetitur. p. 298. p. 302.

De dyſenteria. Specificam contagioſam materiam, quae per refrigerium excitatur, Noſter remotam p. 308.

*) Conſiderations on the efficacy of electricity in removing female obſtructions. By JOHN BIRCH. Lond. 1779. 8. cuius libri verſionem Germanicam inuenient Lectores in libro perutili continuato et ita inſcripto: *Sammlungen zum Gebrauche praktiſcher Aerzte, 4tes Stück, des 5ten Bandes. Leipzig,* 1779. 8.

tam cauſam dyſenteriae iudicat. Proxima cauſa, ſeu praecipua eius pars, vti Noſter ratur, ſpectatur in praeternaturali contractione, et excrementorum retentione coli, ſpaſmos et dolores, mucoſas euacuationes et teneſmum efficiente. In contractione itaque coli impedienda et excrementis euacuandis verſatur praecipua medela. Ad id efficiendum Noſter laudat tartarum emeticum in parca doſi, vt laxet. Rhabarbarum hic non iuuat. Ipecacuanhae radici nullam Noſter tribuit, vti ſolent, hic ſpecificam vim, nec aliter hic vtilem eſſe putat, eius vſum quam ſi purgat. Venaeſectionem dirigit febris et inflammatio. Quod ſi vero dyſenteria putridae indolis eſt, omittenda eſt venaeſectio. Adſtringentia prorſus hic nocent. Si autem ſuperuenit febris intermittens dyſenteriam, febris ratio eſt habenda.

XVII.

IOSEPHI XAVERII REHMANN aphoriſmi de cognoſcenda et curanda lue venerea. Friburg. Brisgouiae, typis Ioannis Andreae Satron, Almae Vniuerſitatis typographi, 1778. 8. pagg. 38. praeter prooemium et indicem.

Quemadmodum BOERHAAVIVS aphoriſtica ſcribendi methodo vſus eſt, ita et Noſtro hic placuit eum imitari. Ergo, prolegomenis praemiſſis, in libro primo de affectibus et morbis luem veneream praecedentibus, in ſecundo de affectibus et morbis luem veneream conſtituentibus, in tertio de hydrargyroſi, ſeu cura per mercurium varia diſ-
p. 2. ſeritur. Virus venereum ſingulare abſque omnibus aliis diſtinctum, ſubtile, fixum, acre et muco animali affine eſt, a quo facillime excipitur, irretitur, figitur, et qui in virulentam naturam ſuam paullatim totus

totus conuertitur. Cuius origo eſt incerta, primo de ea ſcripſiſſe Germanos antiquiſſimis exemplis probatur et Cl. ASTRVC ſententia reiicitur.

Indicatio curatoria expoſcit, vt mucus illico a miaſmate liberetur, aut vna cum eo abſtergatur ac deſtruatur, vel diluatur, eluaturque. Deſtruitur ille mucus per lixiuium alcalinum ex alcali cauſtico praecipue illo ſaponariorum dicto paratum *). Muco enim deſtructo, virus in eo nidulans penitus eneruabitur. Ad affectus et morbos luem veneream praecedentes refert gonorrhoeam, tumores teſticulorum, praeputii, phimoſin, et paraphimoſin, inguinum panum, bubonem, exulcerationes et vlcera, excreſcentiasque. p. 12.

In libro ſecundo agitur de ſcabie, de nodo, tumoribus oſſium, doloribus nocturnis, affectibus et morbis variis oculorum, aurium, narium, oris, primariis reuerſis ſecundariis dictis, connubio luis venereae cum cachexiis variis, deque indicatione curae. His omnibus praemiſſa hydrargyroſi (excepta cachexia ſcorbutica, quae ante hydrargyroſin curanda,) canones artis generales opponendi ſunt. p. 25.

Progredimur cum Noſtro ad mercurialium medicamentorum varium vſum. Vel deglutitur, vel ano iniicitur, vel ſuperficiei externae applicatur mercurius. Deglutitur aut ſolus, aut mixtus, aut praeparatus; iniicitur ano mixtus, vel praeparatus in clyſmate; applicatur externe, vt abſorbeatur, praeparatus, mixtus balneis, lauamentis, fumo ſuperficiem alluente, vnguento eam illiniente. Poteſt quoque hydrargyroſis in topicam et generalem diſpeſci. p. 30.

XVIII.

*) V. KERN diſſ. de infallibili remedio prophylactico ſyphileos.

XVIII.

HVNGERBYHLER, Conſtantienſis Acroniani, Medicinae Doctoris de oleo ricini, medicamento purgante et anthelmintico praeſtantiſſimo, cum icone. Friburg Briſgouiae, apud Antonium Wagner et filium 1780. 8. pagg. 45.

Praemiſſa huius olei *) ex veteribus et recentioribus hiſtoria, ſignatura botanica plantae, ex qua hoc oleum obtinetur, hic a Cl. Auctore communicatur et icone illuſtratur. Dein ad olei praeparationem et doſin progreditur, easque accurate
p. 14. deſcribit. Ordinat hoc oleum ricini ad claſſem purgantium, et aluum ſoluit ſine omni pene irritatione ſecuriſſime et promte. Mundat abſolute primas vias, dum purgantia alia, praeſertim ſalia media, producunt ſedes abundanter quidem et plurimas diarrhoeae ad inſtar, ſed ſupra faeces duras in inteſtinis diu detentas erepunt, oleum ricini autem eas continuo rapit.

p. 17. Vſus eſt Noſter hoc oleo in tenſione inflammatoria, conuulſiua, haemorrhagiis, in vomitu cruento, haemoptyſi, hernia incarcerata, qualiscunque pars ſit incluſa, in omni grauiditatis tempore, in febribus continuis puerperii, denique vbi catamenia, aut effluxus ſanguinis in principio morbi continui ſeſe declarare incipit, ſtadia critica, in quibus euacuationum mora tam ſaepe eſt funeſta. Ex analogia oleum hoc Noſtro bene conducere videtur, ſi aluus ſit ducenda, aegris ſcyrrho, cancro, exvlcerationibus internis renum, vteri cet. haemorrhoidibus, fiſtula ani, vrinariis viis, catarrho veſicae, aſthmate conuulſiuo, cet. laborantibus.

Non

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 657.

Non minus neceſſarium Noſter arbitratur, p. 18.
deſignare morbos, quibus ſanandis haec medicina impar eſt; ad horum claſſem pertinent indigeſtio, ventriculus flaccidus, anorexia cum nauſea, acidum praedominans, apoplexia, aſthma humorale, diabetes, coeliaca paſſio, herniae non incarceratae.

Venit Noſter ad vtilitatem huius olei in me- p. 18.
dicina ſpeciali affirmatam. 1) Alexipharmacum. 2) In colica pictonum. 3) In vermibus.

Non ſatis affirmatur vtilitas huius olei 1) in p. 41.
morbo venereo. 2) Nobilis alternis vicibus olei oliuarum loco condiuit oleo ricini acetaria ad alvum facilitandam, et Cl. CANVANE affirmat non ſolum hanc huius olei vtilitatem, ſed etiam ei tribuit vim refrigerantem, qui dolores violentos a podagra et calculis temperat. 3) In febre ardente et angina.

Folia ricini cum lacte cocta et externe appli- p. 43.
cata maturant. Profunt vlceribus artificialibus conſolidandis, herpeti, ſcabiei, tineaeque.

Addit Noſter modum praeſcribendi hoc p. 44.
oleum, guſtibus variis et intentionibus accommodatum et iconis explicationem. Vltimo loco et corallinae *) mentionem fecit.

*) V. CAROLI FRIDERICI HAPPII diſſ. ſiſtens vermium inteſtinorum hominis hiſtoriam. Lipſ. 1780. 4. p. 47.

XIX.

Phyſikaliſch Metallurgiſche Abhandlungen über die Gebürge und Bergwerke in Ungarn, von IOHANN IACOB FERBER, *Profeſſor in Mietau und verſchiedener gelehrten Geſellſchaften Mitglied. Nebſt einer Beſchreibung des Steyeriſchen Eiſenſchmelzens und Stahlmachens, von einem Ungenannten. Berlin und Stettin, bey Friedrich Nikolai,* 1780 8. 20 ½ *Bogen, mit* 4 *Kupfertafeln.*

i. e.

Commentationes phyſico metallurgicae de montibus et metallifodinis Vngariae, Auctore I. I. FERBERO, Profeſſore Mietauienſi. Accedit deſcriptio fuſionis ferri et praeparationis chalybis in Stiria vſitatae, Auctore anonymo.

Quanquam negari omnino non poteſt, variorum illuſtrium naturae ſcrutatorum, velut MARSIGLII, BRÜCKMANNI, DELII, BORNII, SCOPOLI, SCHLÜTERI, aliorumque ſtudio atque opera nobis cum ſoli Vngariae naturam, tum varias enchireſes, quibus regionis huius incolae in effodiendis mineralibus corporibus, metallisque ex iis excoquendis vtuntur, redditas eſſe cognitas; attamen omnes hae relationes horum Auctorum abſolutae, perfectaeque dici nondum poſſunt. Neque enim is fuit illorum ſcriptorum finis, vt naturalem montium Vngariae hiſtoriam, eamque abſolutam, et omnia, quae ſpectant ad effodiendorum mineralium, metallorumque excoquendorum rationem, libris ſuis complecterentur, quippe potius peculiaribus

ribus quibusdam laboribus metallicis illuſtrandis operam dare ſibi propoſuerant; hinc multa, quae obiter tantum attigerant, expolienda, multa, quae prorſus ſiluerant, addenda aliis reliquerunt. Iam itaque, cum ea nuper FERBERO, viro erudito et a nobis iam aliquoties laudato, data fuerit copia, vt, cum Vngariam peragraret, omne, quicquid dignum annotatu de metallorum fodiendorum, coquendorumque methodo inter Vngaros vſu recepta in metalliferis his terris occurrit, obſervare, illudque cum codicibus variis de eadem re manu ſcriptis, quos partim in Vngaria ipſa, partim in Saxonia et Suecia acceperat, comparare poſſet hac opportunitate eo vſus eſt, vt aliorum de his rebus relationes perfectiores redderet. Atque hoc tam praeclare in libro, cuius inſcriptionem dedimus, praeſtitit, vt non poſſimus non doctiſſimi viri operam laudare. Iam vero, cum ſit ex brevi ipſius libri recenſu luculentius appariturum, qua potiſſimum in re illuſtranda fuerit FERBERI induſtria verſata, et quo modo aliorum relationes vel emendauerit, vel auxerit, age, quaedam exhibeamus ſpecimina.

Egit autem Auctor in prima libri ſui ſectione de ſeptem inferioris Vngariae vrbibus, quas metallifodinae claras reddiderunt, eo ordine, vt primum ſua ſuper *Schemnitium* atque *Cremnitium* obſeruata cognita faceret; tum progreditur ad *Neoſolium*, *Buggantium* et *Regiomontum*, tandemque *Düllniae* et *Libethenae* conſideratione huic ſectioni finem imponit. De ſuperioris Vngariae vrbibus a metallifodinis cognominatis in altera ſectione loquitur, atque adeo *Schmöllnitii*, *Stoſs*, *Schwädler*, *Einſiedel*, *Göllnitii*, *Mezenſeifen* et *Ioſſauiae*, *Topſchauiae*, *Roſenauiae*, *Iglo* aut *Neudorfii*, *Ruuli Dominarum* ſiue *Nagybaniae*, *Feketebaniae*, *Mitzbaniae*, *Neoſtadii* ſiue *Felſöbaniae* et

iniicit mentionem, et, quid in quaque vrbe dignum repererit annotatu, cognitum reddit. Ceterum annexa eſt his tractationibus appendicula, in qua Auctor de Vngaricis quibusdam mineralibus, quorum in antecedentibus mentio fieri non potuit, diſputat, et tandem ſequitur minerae ferri fundendae, chalybisque praeparandi methodus in Stiria vſu recepta.

p. 4. Cremnitium inter eas Vngariae vrbes, quae a metallifodinis cognominantur, proprie princeps eſt, quod omnes metallorum fodiendorum, coquendorumque cauſa manu exaratae tabulae in hac vrbe aſſeruantur, omneque aurum et argentum in inferiori Vngaria effoſſum in ea cuditur; at Schemnitii maior eſt cum fodinarum, tum eorum, quorum ſolertia luce procul venas rimatur, numerus, ipſaque haec vrbs illa eſt antiquior; nam Schemnitium anno poſt CHRISTVM natum ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Cremnitium vero ſeptingenteſimo ſeptuageſimo conditum eſſe dicitur. Ceterum Saxones haud dubie primi fuerunt, qui in Vngaria metalla effoderent.

Prima Schemnicenſis metallifodina ea putatur, cui nomen eſt *der Glanzenberg;* nam hoc loco anno ſupra milleſimum quadringenteſimum quadrageſimo tertio venae metallicae detectae eſſe dicuntur; anno vero ſeculi decimi ſexti quadrageſimo
p. 7. nono in cuniculo a caſtore cognominato (*Bieberſtolln*) coeptum eſt laborare, haecque fodina (*Oberbieberſtollner Handlung*) ſecundo decimi ſeptimi ſeculi anno quavis hebdomade CCCXXXIII circiter centenarios metallicarum minerarum eſt largita. Maximam pecuniae, quae ex metallis redit, ſummam anno milleſimo ſexcenteſimo et nonageſimo haec fodina obtulit, quippe quo Regia camera, quae centum viginti et tres eiusdem partes (*Kuxe*) poſſidet,

det, 132425 drachmas auri, et 2851815 ſemuncias argenti, illa autem membra, quibus quinque reliquae partes erant, (*die mindere Gewerkſchaft*), 40000 drachmas auri, et 80000 ſemuncias argenti obtinuit.

Illud lapidis genus, in quo proprie Schemnicenſes venae decurrunt, Saxum metalliferum BORNII *) eſt, ſuper quod nonnullis in locis alia lapidea corpora, v. c. lapis calcareus, in quo teſtacea petrefacta inſunt, ſchiſtus argillaceus, qui vel nigri eſt coloris, vel cum mica et terra martiali rubra miſtus, et lithanthracum ſtrata poſita ſunt. A meridie verſus ſeptentrionem tres principes, eaeque ſatis latae metallicae venae decurrunt, quarum praecipua Spitalenſis eſt, quae verſus ſeptentrionem metallis deſtituitur, verſus meridiem autem auro, argento et plumbo abundat. Lapidum genera, quae huic venae adiacent, ſunt ſinopis, cryſtalli quarzi, lapidis calcarei et ſelenitis, pſeudogalena nigra et flaua, pyrites, galena, cet. Lapides, aut potius terrae friabiles et nobilibus metallis abundantiores, v. c. illae ſpecies, quas metallorum foſſores *Gilbe*, *Mulm*, *Bräune*, *Schwärze*, cet. appellant, admodum profunde non deſcendunt.

p. 10.
p. 13.
p. 14.

Secunda earum venarum, quas principes, FERBERO praeeunte, diximus, *der Bieberſtollnergang* appellatur, eiusque minerae cum ſpitalenſis venae mineris fere conueniunt; ipſi autem venae ſelenitis cryſtalli, ſpatum calcareum, illudque cum flavum, tum ad rubedinem vergens, quarzum, ſinopis, pſeudogalena, cet. adiacent. Tertia vena a THERESIA cognominata eſt, eaque plumbo potiſſimum abundat; neque tamen putandum eſt, aliis

p. 15.
p. 16.

*) *Briefe über mineralogiſche Gegenſtände, Frankfurt und Leipzig* 1774. p. 182. vid. Comm. noſtr. Vol. XX. P. III. p. 498.

eam metallis, iisque nobilibus deſtitui, etenim, praeter alias, argenteas etiam mineras olim obtulit. Ceterum ex his venis maxima minerarum pars effoditur; reliquae enim, quae cum inter has ipſas venas, tum inter eas et fluuium Granum decurrunt, quanquam argenteis mineris vtplurimum refertae deprehenduntur, arctis tamen limitibus circumſcriptae ſunt.

p. 22. Mineras ipſas, quibus hae venae abundant, etiamſi accurate ſatis BORNIVS *) definiuit, in quibusdam tamen deſcribendis Noſter fuit hoc Auctore prolixior, ſimulque de argenti ad reliquas conſtituentes partes in nonnullis ratione retulit. Et vitreae quidem argenti minerae centum et decem librae, praeter quicquam auri, centum et ſexaginta ſemilibras argenti continent. Similis galenae argenti diuitis portio chemico artificio tractata mox CC, mox CCC ſemuncias argenti et quicquam auri largitur; galena autem maioribus cubis nitens (*grobwürflicher Bleyglanz*), eadem portione diſquiſita, octoginta et tres libras plumbi et vnciam argenti, et galena admodum compacta (*ſtahldichter Bleyglanz* quadraginta et quatuor libras plumbi et dimidiam drachmam argenti praebet. Ceterum nec ſpatum Schemnicenſibus venis immixtum, nec aliae illis adiacentes lapidum ſpecies, velut quarzum, cet. argento prorſus deſtitutae deprehenduntur; etenim, vt hoc vnum addamus, ex ſpati centum et decem libris vtplurimum 3 – 5 ſemunciae huius metalli excoqui poſſunt.

p. 44. Sinopis tres ſpecies in ea fodina, quae *der Pacherſtolln* dicitur, offenduntur, earumque prima dura eſt et iaſpidi ſimilis, ſecunda vero mollis deprehenditur, et fere bolarem terram, globulari figura vtplurimum conſpicuam, refert; vtraque haec

*) l. c. p. 214.

haec ſpecies auri et argenti quicquam continet, tertia autem, quae iaſpis ruber et perdurus eſt, omni metallo deſtituta reperitur. Halotrichum, p. 45.
SCOPOLIO Auctore, mixtum ex acido vitriolico, terra aluminis, ferrique et calcareae terrae pauxillo corpus eſt, quod, ſi libero aëri, aut calori fuerit expoſitum, nitorem ſuum amittit, et in puluerem cretae ſimilem dilabitur. Pyrites mox cubica, mox globulari, mox pyramidali, cet. figura ſunt conſpicui; illi, qui globulos referunt, partim admodum ſunt exigui, cryſtallisque variis velut guttae innati, partim ad nucum iuglandium magnitudinem accedunt. Antimonium, idque ſub ſtellarum forma quarzo, aut ſpato inſtratum, Schemnitii fere nullibi, niſi ex ea fodina, quae *der Heilige drey Könige* p. 53.
Stolln appellatur, effoditur. In CHRISTINAE puteo nonnunquam cryſtalli quarzi deprehenduntur, quae mineram argenti vitream incluſam tenent; neque adeo rarum eſt, huiusmodi cryſtallos in hoc ipſo puteo reperiri, quibus intus cauum, illudque aëris, aut aquae plenum, inſit. In puteo, *Windiſch-* p. 56.
Leithen dicto variae argenti, plumbi, ferri, cupri, cet. minerae occurrunt, quae non modo ab externo habitu magnam habent commendationem, verum etiam auro et argento admodum divites ſunt; etenim, vt nihil de cupri mineris viridi et coeruleo colore conſpicuis moneamus, decagonas et granatiformes ferri cryſtallos Noſter vidit, quarum, vt ipſi referebatur, centum et decem librae quinquaginta vncias argenti continent. Albae et virides plumbi minerae pariter admodum ſunt elegantes.

Minerae ab immixtis iis foſſilibus, quibus nihil metallici, quod excoqui mereatur, ineſt, ſtudioſe ſeparatae igni in officinis metallis excoquendis deſignatis exponuntur. Magna autem obtinet

cum inter modos, quibus ad excoctionem aptae redduntur minerae, tum inter ipſas excoquendi rationes diverſitas; etenim mox lauatione, trituratione, cet. opus eſt, mox nulla indigent minerae praeparatione; mox ſalinis, aliisque corporibus fuſio earundem promouenda, mox nullum alienum corpus ipſis eſt admiſcendum, cum valde promta ad fuſionem deprehendantur. At vero in variis his enchireſibus deſcribendis etſi olim DELII *), PODAE **), SCOPOLI ***), aliorumque induſtria fuit verſata; varia tamen, eaque ſcitu digniſſima FERBERVS reperit, quae relationibus illorum adderet; cum autem haec ipſa annotata ita comparata ſint, vt in epitomen redigi omnino ne queant, nos ſilentio ea praeterire cogimur; fatemur tamen ingenue, nobis cuncta, quae de laboribus hiſce FERBERVS retulit, prout etiam ea, quae ad fodinarum praefectos, foſſorum numerum, cet. ſpectant, egregie placuiſſe.

p. 107. Cremnicenſes metallicae venae quo tempore detectae ſint, definiri accurate nequit; nam ſunt, qui iam a Romanis, ante CHRISTVM natum, ex terrae huius viſceribus metalla fuiſſe effoſſa contendant; ſunt, qui recentiorem harum fodinarum ortum putent. Id exploratum eſt, vrbis ipſius vetuſtatem, aliaque a fodinarum nonnullarum interno habitu petita argumenta vero admodum ſimilem reddere eam opinionem, qua ante mille ad minimum annos mineris effodiendis hic loci iam fuiſſe operam datam ſtatuitur.

p. 112. Montium, ex quibus minerae effodiuntur, interiora ex eadem argillaceo lapidea materie, in qua

*) *Anleitung zur Bergbaukunſt*, *Wien* 1773. 4.
**) *Beſchreibung der Maſchinen*, cet.
***) *Einleitung zur Kenntniß und zum Gebrauch der Foſſilien.*

qua Schemnicenſes venae decurrunt, conſtant, eaque inter vtramque vrbem continuo fere tractu, ita tamen, vt verſus Cremnitium ſenſim adſcendat, progreditur. Praecipua metallica vena ſub humo admodum lata eſt, quo magis vero deſcendit, hoc arctioribus limitibus circumſcripta deprehenditur. Inter foſſilia, quae metallis adiacent, quarzum admodum compactum, durum, lactisque colore conſpicuum, commemorari potiſſimum meretur.

Minerarum, earumque auro et argento admodum divitum, velut auri nativi, et minerae argenti vitreae, magnam copiam venae, quae a praecipua diſcedunt, foſſoribus quondam obtulerunt, illae vero nunc inter rariores pertinent. Rubra argenti minera praecipue in puteo, a ſancta ANNA cognominato, et in fodina vrbis, (*Stadthandlung*) offenditur. Antimonium ex regis puteo (*Königsſchacht*), eaque fodina, quae *die rothiſche Handlung* dicitur, effoditur. Ferunt etiam, rubrum antimonium ex eodem Regis puteo olim fuiſſe effoſſum, valde autem de hac re Noſter dubitat, quod nullibi huiusmodi mineram ipſi videre contigit. Ceterum in hac ſectione Auctor modum, rationemque deſcribit, qua mineras ad fuſionem aptas reddunt Cremnicenſes, ſimulque de metallorum excoquendorum methodo, cet. loquitur, ſuumque ſermonem idoneis figuris illuſtrat. p. 122.

Neoſolium, quod Germanicis et Saxonicis potiſſimum metallorum foſſoribus ortum ſuum debet, a cupri venis, quae ſexto circiter poſt milleſimum anno detectae ſunt, clarum redditum eſt. Montes, in vicinia huius vrbis et Taiouae ſiti, calcarei ſunt, iique, obſeruatione teſte, eidem argillaceo foſſili, cuius ſupra meminimus, innituntur. Ceterum hoc ipſum foſſile inter Schemnitium et Neoſolium pariter montes, inter calcareos poſitos, eosque format. p. 152.

p. 157. Inter praecipuas Neoſolienſes venas 1) *der Kugler*-vel *Guklergang*, 2) *der Herrengrundergang*, et 3) *der Pfeifenſtollnergang* referuntur, (ea vena, quae *der Ratzengrunderhauptgang* dicitur, praecipuis pariter annumerari poſſet, ſed ad Herrengrundenſes fodinas haec proprie non pertinet,) iisque ſchiſtus argillaceus griſeus, quarzum compactum et granulatum, gypſum, minera ferri ſpatiformis, halotrichum, vitriolum ferri, cupri et zinci, cet. adiacent.

p. 159. Cupri minerae, quae ex his venis effodiuntur, ab Vngaris *Gilferz*, quae eſt minera cupri flaua ſ. pyrites cupri, *ſchwarz Kupfererz*, i. e. minera cupri griſea cet. nominantur, eaeque exiguam tantum auri et argenti copiam immixtam habent. Malachites et coeruleae cupri minerae interdum etiam offenduntur.

p. 226. Magurkae in vicinia Neoſolii ſitae antimonium auriferum quarzo innatum, et nonnunquam aurum natiuum antimonio inſertum effoditur. Altſolii in foſſa quadam ſelenitis magna fruſta inueniuntur, quorum nonnulla aſbeſtum incluſum tenent, et Rhimazombati, Schemnitium inter et Neoſolium ſiti, aurum natiuum molybdaenae innatum detectum

p. 228. eſt. Ex MOLLERI, Neoſolienſis Doctoris, *de ſtatu aurifodinarum, quae ab vrbibus Botzau et Deutſchliptſch cognominantur, relationibus*, quas FERBERVS huic ſectioni adiunxit, patet, omnibus in vicinia harum urbium decurrentibus venis eadem foſſilia, ſcilicet quarzum album, cui antimonium atque pyrites inſerta ſunt, adiacere, ipſum autem aurum haud mineraliſatum, ſed natiuum occurrere, venasque eiusdem inconſtantes eſſe, cet. Excoquendi auri ratio, qua harum vrbium incolae vtuntur, ab ea, quae Cremnicenſibus ſolemnis eſt, non differt.

p. 247. Buggancenſe ſolum argillaceum eſt, eiusque venae, inter quas potiſſimum illae, quae verſus Orientem excurrunt, martis, aurique diues quarzum

zum continent, multum olim auri atque argenti foſſoribus obtulerunt, et in variis regiomontanis fodinis eorundem metallorum obtinendorum cauſa verſus finem decimi quinti, et initio decimi ſexti ſeculi laboratum eſt; at cum diluuia, tum aliae res prohibuerunt, quo minus venas foſſores perſequerentur; qua de re Regiomonti metallicos labores in quatuor tantum fodinis peragi, ex iisque potiſſimum pyriten auro refertum, immo nonnunquam natiui auri quicquam obtineri, FERBERVS animadvertit. Ex metallis, quae Düllniae et Libetenae effodiuntur, multum haud redit; etenim neque nobilibus, neque ignobilibus metallis valde minerae abundant. p. 248.

Schmöllnitii, Göllnitii, Neudorfii, cet. quae effodiuntur minerae, cupro inprimis abundant, Ioſſavia autem propter ferrum celebre eſt. Felſöbanienſes venae aurum, argentum et plumbum, et Capnicenſes, praeter eadem metalla, etiam cuprum, arſenicum et antimonium largiuntur. Ceterum in variis Vngariae regionibus petrefacta corpora, ſal alcali minerale natiuum, aſbeſtus, iaſpides coloribus variis conſpicui, agates ſic dictus Islandicus, aliaque foſſilia, inueniuntur, quae Noſter breuiter recenſet, eorumque natalia loca commemorat. p. 254. p. 269.

Deſcriptio fuſionis ferri et praeparationis chalybis, quam Cl. Auctor ſub finem libri addidit, in epitomen redigi vix poteſt, quod ipſa compendii nomen mereatur; quare hoc vnum addimus, eam nobis exactam, accuratamque viſam eſſe. p. 273.

XX.

IGNATII A BORN, Equ. Academiae Imp. Naturae Curioſorum, Petropolit. Londinenſ. Holmenſ. Göttingenſ. Vpſalienſis, Londin. Gothorum, Monacenſis, Burghauſ. Patauinae, nec non Phyſicorum Berolinenſium Sodalis, Index rerum naturalium muſei Caeſarei Vindobonenſis, Pars I, Teſtacea. Vindobonae, ex officina Krauſiana, 1778. alph. 1. plagg. 11. 8. tab. aen. 1. *Verzeichniß der natürlichen Seltenheiten des Kaiſerl. Königl. Naturalien Kabinets. Erſter Theil, Schaalthiere.*

Prodromi de maiore opere, cuius rationem infra*) dabimus, inſtar, ſeu ideo, quod illud maioris pretii eſt, quam vt a quolibet hiſtoriae naturalis ſtudioſo comparari poſſit, hunc indicem facile cuivis parabilem conſcripſit Cl. Auctor. Ex hoc enim ii, quibus muſeum Caeſareum videndi eſt facultas, intelligere poſſunt prius, quam videant, quidquid eodem contineatur, atque alii, qui alibi degunt, ex lectione eiusdem erudiri poterunt.

Recte enim Cl. Auctor affirmat, muſea rerum naturalium, quae curioſorum conſpectui patent, eatenus aliena fore a propoſito, donec res naturales iis contentae accurate deſcribantur, atque ea ratione ad notitiam manusque omnium, qui iisdem vti volunt, perveniant. Sic enim, perlecto indice, curioſi ea corpora, quae iis notatu digniſſima ſunt, deligere, et videnda cupere poſſunt: cum alias plerumque omnia, quae in muſeo continentur, velo-

*) vid. p. 510.

velocibus et quaſi fugientibus oculis ob temporis, quod ei exhibendo definitum eſt, anguſtias percurrere ſoleant.

Huic indici inſerta ſunt omnia, quae re ipſa in muſeo Caeſareo reperiuntur, atque in prima hac parte quidem *Conchylia*, quae Cl. Auctor ad LINNAEI ſyſtema ideo diſpoſuit, quod illud omnium, quae adhuc extant, ſit abſolutiſſimum; atque recte exiſtimat Noſter, fore vt idem tam diu praeſtantiam ſuam tueatur, donec naturae ſcrutatores, ADANSONII, BASTERI, O. F. MÜLLERI aliorumque exempla ſecuti, accuratam deſcriptionem formae, partium, genii, viuendique rationis, quae vnicuique teſtaceorum animalium propria ſunt, praebeant: ut tandem genuinum Conchyliorum ſyſtema naturale, aut ſaltem ad naturam proxime accedens conſtitui poſſit.

Interim tamen Cl. Auctor generum ac ſpecierum definitiones, a LINNEO propoſitas interdum diſtinctius propoſuit et emendauit, ſingulasque concharum partes decentioribus nominibus inſigniuit, figuras a LINNEO commemoratas rectius indicauit, dubias omiſit, easque ex recentioribus Conchyliologis ſuppleuit. Eas Conchyliorum ſpecies, quas LINNEI ſyſtema non complectitur, methodo Linneana deſcripſit, familiisque ſuis inſeruit, notas omnes characteresque fuſius declarauit, et ad accuratas earundem effigies, quae in maiori opere comparuerint, prouocauit. Quarum quidem ſpecierum nomina et definitiones nos in recenſione illius etiam indicabimus.

Singulorum teſtaceorum nomina triuialia, quibus Gallica, Anglica et Belgica lingua compellantur, ex optimis harum nationum ſcriptis adiecta ſunt. Ceterum ipſe liber Latina et Teutonica lingua ſcriptus, et omni diligentia et cura Cl. Auctoris, ac

typo-

typographica elegantia ornatus eſt. In tabula aenea nouum teſtaceorum genus delineatum et pictum eſt, quod *Cornu* a Cl. Auctore dictum eſt, hoc charactere: Teſta elongato conica volutata, anfractus cylindrici diſtantes, apertura elabiata, imperforata. Species cognita dicitur *Cornu Copiae*, teſta conico turrita, anfractibus duobus, apertura orbiculata. Nobis hoc teſtaceum commode ad *Serpulas* reduci poſſe videtur.

XXI.

Teſtacea muſei Caeſarei Vindobonenſis, quae iuſſu MARIAE THERESIAE Auguſtae diſpoſuit et deſcripſit IGNATIVS A BORN, Eques cet. Vindobonae, ſumtibus Ioannis Pauli Krauſe, 1780. 5 alph. fol. mai. tabb. aen. viv. coloribus pictae 18.

Splendidi et Caeſarea munificentia ſuſcepti operis, ſummaque cura diligenter, ſolide et praeciſe conſcripti a Cl. Auctore, et cui ornando neque artifices curae et diligentiae, neque ſumtibus bibliopola pepercerunt, breuem ſaltem notionem Lectoribus faciamus, cum his et ſimilibus libris recte intelligendis iconum illuſtratione omnino opus ſit. Itaque ingenue fatendum eſt, icones, quas vidimus, omnes fere conchyliorum imagines antecellere: ſunt enim ita naturae aemulae, vt careant nimio et corruſco illo ſplendore, qui in Regenfuſiano opere, ceteroquin elegantiſſimo, cernitur; maiorique cura ſint ſculptae et coloratae, quam eae, quas in Martiniano opere inuenias. In praefamine praemiſſo conchyliologiae iuſtum pretium adſignat Cl. Auctor. Neque eam ex utiliſſimis ſcientiae naturalis partibus eſſe, neque eam omni in re publica literaria commodo carere. Solam methodum,

thodum, qua hactenus pleriſque oſtracodermatum et petrificatorum deſcriptores vſi ſunt, et neglectam harum ſcientiarum ad verum emolumentum deſtinationem vituperat. Nexus arctior, qui eſt inter Conchiliologiam et Lithologiam indicandus, et vtriusque ad geographiam phyſicam applicatio quaerenda eſt. Non itaque noua temere ſunt fingenda ſyſtemata; ſed iuxta celebrius quoddam ſyſtema corpora ſunt deſcribenda: atque eadem ratione etiam in Lithologia teſtacea petrificata, mutilis reiectis, cum genuinis ſunt comparanda, atque ea, quorum prototypi nondum ſunt detecti, peculiari induſtria deſcribendi. Cui quidem ſententiae et conſilio Cl. Auctoris nos omnino adſentimur, atque ideo etiam Noſter in hac conchyliorum enarratione LINNEI ſyſtema ſecutus eſt: quod quidem vt magis illuſtraret, cuiuslibet generis et familiarum characteres aeri inſculpendos curavit; vermium deinde, teſtacea incolentium, hiſtoriam ex probatis ſcriptoribus adiunxit; ſpeciebus nomina Linneana, ac praeterea triuialia diuerſis linguis addidit; notiora de re concharia ſcripta, vbi effigies deſcripti conchylii genuinae extant, indicauit; quorum vera nullam recte deſignatam iconem reperit, eiusdem nouam effigiem, atque, vt diximus, maxime fidam curauit; notabiliores etiam partes ſingulorum, et vniuscuiusque ſpeciei dimenſionem, ex elegantioribus teſtis deſumtam, ac patriam oſtendit.

Initium ſplendidi huius muſei Caeſarei, quod ex teſtaceis, zoophytis, cruſtaceis, et petrefactis ac foſſilibus, tum lapideis, tum mineralibus, conſtat, factum eſt Florentiae a Perill. Equite IO. A BAILLOU, a quo ad FRANCISCVM Auguſtum emtione peruenit, qui illud maxime adauxit. Poſt huius obitum MARIA THERESIA theſaurum hunc publi-

cis

cis vſibus ac hiſtoriae naturalis ſtudioſis patere atque a Perill. Auctore deſcribi iuſſit.

p.XVII. Praefamini ſubmiſit Cl. Auctor *Terminologiam* conchyliographiae, e fundamentis teſtaceologiae Cl. ADOLPHI MURRAY mutuatam; mutatis concharum terminis nonnullis, tum ſequitur Auctorum catalogus, quorum ſcripta a Cl. Auctore nominantur; denique explicatio tabularum et iconum minorum.

Cuilibet deinde generi ſuccincta et diſtincta characterum genericorum deſcriptio, et eorum, quae de animale inhabitante innotuerunt, hiſtoria praemittuntur: quae quidem lectu digniſſima et ex inſtituti ratione recte omnino commemorata ſunt ab Auctore. Nos quarundam Auctoris obſerua-
p. 130. tionum mentionem iniiciamus. Sic confirmat tentaculis pinnas ſcopulis adtexi; neque conſentit cum CHEMNITIO *), qui hanc ſententiam, vt et notam *cancri pinnoteris* cohabitationem explodere annifus eſt. Nec tamen, quantum nobis videtur, id probauit Cl. Auctor, Auctores, quorum auctoritati fidem habet, litem et cuſtodiam celebratas ipſos vidiſſe, quod potiſſimum Cl. CHEMNIZIVS vrget.

p. 138. Vero haud eſſe ſimile ait, quod quidam innuant, Argonautam libere teſtae ſuae inſidere, imminente autem periculo oſſeam cutem exuere, et in abyſſum deſcendere. Praeterea enim, quod teſta, nonniſi ab animali eidem affixo, incrementum capere poſſit, expertus etiam eſt RVMPHIVS extractam e teſta hanc ſepiae ſpeciem per paucum temporis ſpatium vivere. Videtur igitur Perill. Auctori Argonauta tenui tendine, qui facillime rumpatur, domunculae ſuae adhaerere.

Ex

*) *Naturforſcher Xtes Stück 1 Seite.*

Ex O. F. MÜLLERI *) obſervatis patet, *Trochos* LIN. a molluſco Turbinum ADANSONII, et *Turbines* LIN. à molluſco Trochi EIVSD. inhabitari. Difficillimum eſt in methodo artificiali, quae teſtacea ſecundum animalium dermata diſponit, cuivis generi proprium aſſignare animal, cum ſaepiſſime natura methodo noſtrae repugnet, et genus propemodum quodvis artificiale molluſca diuerſa complectatur, quae ſyſtema naturale, quamuis teſtae ſtructura renitatur, coniungeret. p. 340.

Nouum genus, Cornu dictum, in indice iam ſtabilitum **) hic repetitur. p. 361.

Agmen conchyliorum claudit *Serpula*, ex mente Perill. Auctoris. Vermium enim tubulicolarum *Teredinis* et *Sabellae* genera, a LINNEO vniualuium ordini inſerta, inter teſtacea locum non mereri aſſerit, cum ambo teſta calcarea deſtituantur. Interim tamen Teredinis teſtam calcaream omnino ſatis duram vidimus, ipſeque Cl. O. F. MÜLLER eum ad Pholades adiunxit, vt itaque quoad Teredines cum Cl. Auctore conſentire nequeamus. p. 433

Satis magnus ceterum eſt numerus ſpecierum, in muſeo detentarum, quibus interſunt rariores plurimae. Nos adiiciamus nomina depictorum conchyliorum.

Tab. I. f. 1. 2. *Chiton ſquamoſus.*
— 3. *Chiton cinereus*, inſidens fragmento Oſtreae edulis.
— 4. *Lepas Balanus*, inſidens *Murici deſpecto.*
— 5. 6. *L. diadema*, idem, qui a WALCHIO *Balanus polythalamius* dicitur.
— 7. *Pholas dactylus.*

Tab.

*) vid. Zool. Dan. prodr. p. XXX. Comm. noſtr. Vol. XXII. p. 302.
**) vid. ſupra p. 508.

Tab. I. f. 8. *Mya Glycimeris.*
Tab. II. f. 1. 2. *Solen Legumen.*
— f. 3. 4. *Tellina rugoſa.* f. 5. *angulata.*
— 6. 7. — *Gari.* 8. *punicea.*
— 9. — *planata.* 10. *roſtrata.*
— 11. — *incarnata.* 12. *Remies* a Perill. Auctore habetur: non conuenit tamen cum deſcriptione Linneana, neque cum iconibus citatis.
— 13. — *carnaria.* 14. *balthica.*
— 15. 16. *Cardium Cardiſſa*, *α.* f. 17. 18. var. *β.*
Tab. III. f. 1. 2. *Cardium retuſum*, f. 3. 4. *imbricatum.*
— 5. — *magnum.* 6. *leucoſtomum.*
— 7. — *flauum.* 8. *latum.*
p. 49. — 9. — *pectiniforme*, teſta rodundata, complanata, coſtis triangulis, lateralibus, muricatis.
p. 51. — 10. 11. *Mactra glauca*, teſta ſubouata, vmbonata, apicibus laeuiſſimis, lateribus vndique ſtriatis.
Tab. IV. f. 1. *Donax ſcortum.*
p. 53. — 2. — *pubeſcens*, teſta cordato triangulari, decuſſatim ſtriata, area explanata, vtrinque carinata, ſpinis canaliculatis armata.
— 3. 4. — *trunculus.* f. 5. 6. *Venus marica.*
— 7. *Venus verrucoſa.* — 8. — *circinata.*
— 9. — *cancellata.* 10. *V. flexuoſa.*
— 11. — *bucardium.* 12. *V. paradoxa*, teſta triangula ſolida, vtrinque complanata labris prominentibus.
Tab. V. f. 1. *Venus callipyga*, teſta ouata latiuſcula, transverſim inaequaliter ſtriata, lineis picta angulatis, areola ouali.
— 2. 3. *V. deſlorata.* f. 4. *fimbriata.*
— 5. *V. concentrica*, teſta orbiculata laeui, ſulcis transuerſis concentricis, areola impreſſa cordata.
— 6. *V. proſtrata*, teſta orbiculata transuerſim ſtriata, antice membranaceo ſcabra, areola ouata impreſſa.

Tab.

Tab. V. f. 7. *Venus rivularis*, teſta orbiculata transverſim ſtriata, valvis complanatis rugoſis, areola plana.

— 8. *V. Penſyluanica.* f. 9. *V. exoleta.*

— f. 10. 11. *Chama calyculata.*

— f. 12. 13. 14. *Chama Lazarus.*

Tab. VI. f. 1. *Arca ſcripta*, teſta orbiculari conuexa laeui, lineis angulatis fuluis picta, apicibus incuruis, limbo crenato. p. 93.

— 2. *Oſtrea elongata*, teſta ouato elongata, longitudinaliter ſtriata, radiis octo transverſim rugoſis, auricula altera minima. p. 103.

— 3. *O. ſulcata*, teſta aequiualui rotundata, longitudinaliter ſtriata, radiis duodecim, auriculis ſubaequalibus.

— 4. *O. ſolaris*, teſta rotundata, glabra, radiis viginti conuexis, ſulcis longitudinaliter ſtriatis. p. 106.

— 5. 6. *O. pyxidata*, teſta inaequiualui, valua altera plana, radiis 32 conuexis laeuibus. p. 108.

— 7. *O. faſciata.*

— 8. *O. bullata*, teſta ouata aequiualui vmbonata, ſulcis longitudinalibus 32, cardine transverſo, auriculis aequalibus. p. 110.

— 9. 10. *O. denticulata*, teſta rotundata foliacea, valua altera plana paraſitica, cardine vtrinque denticulato. p. 113.

— 11. 12. *O. cucullata*, teſta inaequiualui, plicato rugoſa, margine dentato, intus ſtriato, valua maiore cucullata. p. 114.

— 13. *Anomia truncata.* 14. *A. caput ſerpentis.*

Tab. VII. f. 1. *Oſtrea miniata*, teſta inaequiualui multiſtriata ſcabra, auriculis ſubaequalibus. p. 104.

— 2. *O. nucleus*, teſta aequiualui, radiis 20 conuexis glabris, valua vtraque conuexa. p. 107.

— 3. *O. criſtata*, teſta rotundata, lamellis imbricatis, margine obtuſe plicato, dentato, apice altero porrecto. p. 112.

Tab. VII. f. 4. *Mytilus lithophagus.* f. 5. *M. exuſtus.*
p. 127. — 6. 7. *M. pictus*, *α*. β. teſta ouata trilatera, laeui, antice carinata, apicibus acuminatis, bidentatis dentibus extus conſpicuis.
p. 134. — 8. *Pinna vexillum*, teſta faſtigiato triangula, laeui, margine poſtico excurrente lobiformi.
p. 150. — 9. *Conus candidus*, teſta conica, glabra alba, ſpirae anfractibus coronatis, apice centrali amethyſtino.
p. 153. — 10. *C. centurio*, teſta conica, anfractibus canaliculatis, baſi attenuata, transuerſim ſulcata.
— 11. *C. ammiralis.* f. 12. *C. ſtercus muſcarum.*
p. 164. — 13. *C. planorbis*, teſta conica ventricoſa, baſi transuerſim ſtriato punctata, ſpira plana, canaliculata.
p. 167. — 14. *C. pennaceus*, teſta conica cinnamomea, lineis punctatis transuerſis et maculis pennatis diſperſis pallidis picta.
p. 175. Tab. VIII. f. 1. *Cyprea ſtercoraria.* f. 2. *C. carneola.*
— 3. *C. Zebra.* — 4. 5. *C. lota.*
— 6. *C. fragilis.* f. 7. *C. Tigris*, var. β.
— 8. 9. *C. Lynx.* — 10. *C. cylindrica* teſta obtuſa, cylindrica, vertice complanato, extremitatibus fuſco maculatis.
— 11. *C. Hirundo.* f. 12. *C. Dracaena*, teſta deroſo marginata, lateribus albis fuſco maculatis, dorſo luteo nebuloſo, macula media teſtacea.
— 13. *C. eroſa.* f. 14. *C. ſpurca.* f. 15. *C. ſtolida.*
— *C. poraria.* f. 17. *C. ſtaphylaea.* 18. *C. nucleus.*
— 19. *C. cicercula.* – 20. *C. Globulus.*
p. 204. Tab. IX. f. 1. *Bulla Ampluſtre.* f. 2. *B. Cypraea.*
p. 212. — 3. 4. *Voluta auris Sileni*, teſta ouali gibba, vmbilicata, columellae plica vnica craſſa flexuoſa.
p. 220. — 5. 6. *V. marginata*, teſta ouata, ſpira obſoleta, lateribus incraſſato marginatis, columella quadriplicata.

Tab.

Tab. IX. 7. 8. *V. cancellata.* f. 9. 10. *Voluta filoſa*, p. 225.
teſta fuſiformi, tenuiſſime reticulato ſtriata, cingulis eleuatis, transuerſis, columella quadriplicata, labro crenulato.
— 11. 12. *V. pertuſa.*
— 13. *Buccinum mutabile*, teſta ouata oblonga, p. 252.
ſpira acuminata, labio explanato.
— 14. 15. *B. undatum.* v. β. ſiniſtris anfractibus.
— 16. *B. reticulatum.* f. 17. 18. *B. clathratum.*
— 19. 20. *Murex Mancinella.*
Tab. X. f. 1. 2. *Bulla achatina*, var. β. 8.
— f. 3. 4. *Bucc. neriteum.* f. 5. 6. *Bucc. ſulcatum*, p. 258.
teſta ouata, transuerſim ſulcata, anfractibus contiguis, labro crenulato, intus ſtriato.
— 7. *B. ferrugineum*, teſta turrita, ſubulata, ferruginea, p. 263.
anfractibus laeuibus integerrimis bipartitis.
— 8. *B. candidum*, teſta turrita ſubulata laeui, anfractibus integerrimis, prope ſuturam incraſſatis.
— 9. *Bucc. ſubulatum.* f. 10. *B. ſtrigilatum.*
— 11. 12. *B. cinereum*, anfractibus indiuiſis, prope p. 267.
ſuturam longitudinaliter ſtriatis.
— 13. *B. pertuſum*, teſta ſubulata, anfractibus bipartitis, ſtriis longitudinalibus eleuatis, transverſis excauato punctatis.
— 14. 15. *Strombus accinctus.* f. 16. 17. *St. tuberculatus.* p. 283.
— 18. 19. *Murex tripterus*, teſta elongata trian- p. 291.
gulari, angulis alato membranaceis.
Tab. XI. f. 1. 2. *Murex triqueter*, teſta elongata, triquetra ſubulata, reticulatim coſtata, roſtro recto clauſo.
— 3. 4. *M. erinaceus.* f. 5. *M. reticularis.*
— 6. 7. *M. rugoſus*, teſta ouata, longitudinaliter p. 315.
rugoſa, ſtriis carinisque transuerſis nodoſis, roſtro breui vmbilicato.

p. 317. Tab. XI. f. 8. 9. *M. perverſus.* f. 10. 11. *M. vulpinus*, teſta oblonga, ventricoſa, glabra, baſi anfractuumque marginibus ſtriatis, roſtro brevi torto.
— 12. 13. *M. gibboſus*, teſta turrita, anfractibus marginatis, ventre gibbo, labro fiſſo denticulato, roſtro brevi.
— 14. 15. *M. litteratus*, teſta turrita ventricoſa, nigro maculata, columella vniplicata, roſtro breui.
— 16. *M. Radula.* f. 17. 18. *M. atratus*, teſta turrita, atra, anfractibus transuerſim ſtriatis tuberculatis, columella vniplicata, roſtro recto.
— 19. 20. *M. cinerarius.*

p. 331. Tab. XII. f. 1. 2. *Trochus vmbilicaris.*
— 3. 4. *Tr. faſciatus*, teſta conica, laeui, anfractibus rotundatis, ſupra compreſſis, vmbilico profundo, labro crenulato.
— 5. 6. *Tr. teſſellatus*, teſta conica, laeui, anfractibus rotundatis, transuerſim ſtriatis, columella obſolete perforata.

p. 335. — 7. 8. *Tr. Labio.* f. 9. 10. *Tr. granulatus*, teſta imperforata, conica, ſtriis tenuiſſimis et granulatis, alternatim maioribus ſuturis marginatis.
— 11. 12. *Tr. crocatus*, teſta imperforata conica, laeui, ſutura ſulcata, anfractibus conuexis, ſupra ſpinoſis.

p. 341. — 13. 14. *Turbo littoreus.* f. 15. 16. *Turbo muricatus.*
— 17. 18. *Turbo pullus.* f. 19. 20. Cl. Auctori *Turbo tectum perſicum* LINN. videtur: at deſcriptio et forma plane repugnant; ſiſtiturque hac icone potius Trochus pyramidalis albus ſtriatus, muricatus LISTERI hiſt. conchyl. t. 628. f. 14. vid. CHEMNIZII *Konchylienkabinet* Vol. V. p. 31.

p. 333. — 21. 22. *Trochus conchyliophorus*, teſta imperforata conuexo conica, anfractibus plicato rugoſis,

goſis, baſi concaua, apertura ſulcata. Eſt *Turbo trochiformis* indicis muſ.

Tab. XII. f. 23. 24. *Turbo helicinus*, teſta rotundata glabra, anfractibus conuexis, columella incraſſata, ſubimperforata. p. 348.

— 25. 26. *T. cinereus*, teſta rotundata laeui, anfractibus conuexis, columellae baſi elongata, fauce ſulcata, vmbilico lato.

Tab. XIII. f. 1. 2. *Turbo noduloſus*, teſta conico rotundata, anfractibus noduloſo ſtriatis, denticulo vmbilicali.

— f. 3. 4. *T. carinatus*, teſta rotundata, anfractibus carinatis, vmbilico ſpirali profundo.

— 5. 6. *T. Lincina.* f. 7. *T. exoletus.*

— 8. *T. torcularis*, teſta turrita, anfractibus transuerſim ſtriatis, carinis duabus obtuſis ſubmarginalibus. p. 358.

— 9. *T. quinquedentatus*, teſta turrita ſubpellucida, labio tridentato, labro biplicato.

— 10. 11. *Cornu copiae*, vid. Ind. muſ. ſupra p. 510.

— 12. 13. *Helix obuerſa*, teſta inperforata, turbinata, anfractibus ſupra planis, marginato carinatis, columella inperforata. p. 368.

— 14. 15. *H. citrina.* 16. 17. *H. paradoxa*, teſta ſubinperforata rotundata ſolida, apertura ſubrotundata, labio incraſſato.

— 18. 19. *H. ſolida*, teſta ouato oblonga, inperforata, ſolida, glabra, anfractibus conuexis, columella incraſſata.

— 20. 21. *Nerita glaucina.* var. *nigra.*

Tab. XIV. f. 1. 2. *Helix Lapicida.* f. 3. 4. *H. algira.* p. 365.

— 5. 6. *H. planorbis.* f. 7. 8. *H. marginata.*

— 9. 10. *H. tornata.* 11. 12. *H. ringens.*

— 13. 14. *H. ſinuata.* 15. 16. *H. maculoſa*, teſta perforata, ſubcarinata depreſſa, oblique ſtriata, ſubtus conuexa.

Tab. XIV. f. 17. 18. *H. punctata*, teſta ſubcarinata, rotundata ſubperforata, labio incraſſato, ſinuato, labro tridentato.

— 19. 20. *H. polygyrata*, teſta orbiculata, ſupra plana, ſubtus concaua, anfractibus teretibus decem.

— 21. 22. *H. pomaria.* f. 23. 24. *H. voluulus.*

Tab. XV. f. 1 – 10. *Helicis citrinae* varietates.

— 11. 12. *Helix vngula.* f. 13. 14. *H. mammillaris.*

p. 383. — 15. 16. *H. vitrea*, teſta ſubinperforata, ouata, ventricoſa, laeui, ſubpellucida, ſpirae anfractibus carinatis.

— 17. 18. *H. picta*, teſta inperforata, ſubgloboſa, obtuſa, laeui, columellae anfractuumque marginibus coloratis.

— 19. 20. *H. aperta*, teſta inperforata, ſubgloboſa, ſpira obtuſa, minima, columella ſpirali aperta.

— 21. 22. *H. oblonga.*

p. 384. Tab. XVI. f. 1. 2. *Helix cretacea.* f. 3 – 8. *H. nemoralis* varietates.

— 9. 10. *H. verſicolor*, teſta inperforata, ſubgloboſa, niuea, columella roſea, lineis transuerſis faſciisque intermediis diſcoloribus.

— 11. 12. *H. Pileus.* f. 13. *H. calcarea*, teſta turrita, longitudinaliter ſtriata alba, anfractibus decem, apertura ouata.

— f. 14. *H. plicaria*, teſta turrita ſubulata, anfractibus plicis longitudinalibus coronatis.

— f. 15. *H. maculata*, teſta turrita, ſubulata laeui, picta vndis longitudinalibus rufis.

— 16. *H. ſtagnalis.* f. 17. *H. fuſcata*, teſta ſubulata, laeui, anfractibus teretibus.

— 18. 19. *H. hortenſis.*

Tab. XVII. f. 1. 2. *Nerita canraena.* f. 3. 4. *Nerita rufa.*

Tab.

Tab. XVII. f. 6. *Nerita ſulcata*, teſta ſubgloboſa, ſulcis longitudinalibus obliquatis, vmbilico bifido.

— 7. 8. *Nerita Radula.* 9. 10. *Nerita pulligera.*

— 11. 12. *Nerita pennata*, teſta rotundata laeui, labio plano crenulato. p. 404.

— 13. 14. *Nerita polita*, var. f. 15. 16. *var. L.*

— 17. 18. *Nerita plicata.* f. 19. 20. *Nerita groſſa.*

Tab. XVIII. f. 1. *Patella plicata*, teſta angulata, coſtis obtuſis vnduloſis, transuerſim rugoſis. p. 417.

— f. 2. *Patella coerulea.* f. 3. *P. cochlear*, teſta pyramidata, ſubangulata, margine explanato inaequali.

— f. 4. 5. *Patella pentagona.* f. 6. *P. tricarinata.*

— f. 7. *P. pectinata.* f. 8. *P. lutea.*

— 9. 10. *Patella pellucida*, integerrima, ouato ſtriata, vertice, radiisque fuſcis.

— f. 11. *Patella ruſtica.* f. 12. *P. fiſſura.*

— f. 13. *Dentalium entalis.* f. 14. *Serpula triquetra.* p. 436.

— f. 15. 16. *Serpula muricata*, teſta angulato muricata, rima longitudinali, ſubarticulata.

XXII.

Diſſertatio de cinerea cerebri ſubſtantia, quam pro ſummis in arte medica honoribus defendit M. CHRIST. FRID. LVDWIG, Lipſiae, d. XXVII. menſ. Auguſti CIϽIϽCCLXXIX, 4. plagg. 5. cum tabula aenea.

Verſatus eſt Cl. Auctor in conſcribenda hac diſſertatione eo modo, vt, recenſitis primum cinereis cerebri locis, de colore, latitudine, copia, irritabilitate, ſenſibilitate, fabrica, cet. ipſius ſubſtantiae cinereae diſputaret, deinceps cum alio-

rum, tum ſua zootomica obſeruata enarraret, et
tandem de vſu diſputaret.

p. 3. Cinerea et velut mitralis cerebri expanſio,
quae, oſſea cranii capſa et membranarum velamentis
remotis, in conſpectum prodit, variam ſubſtantiae
ſuae habet craſſitiem, gyrosque et anfractus format,
qui mox leuiter modo medullari parti inſeruntur,
mox, et potiſſimum verſus baſin cerebri, profundio-
res ſunt, atque frequentiores. A variis animalibus
hi gyri vel prorſus abſunt, vel loca leuiter tantum
depreſſa in iis offenduntur, et in infantum, atque
recens natorum molli cerebro neque diſcrimen
inter albam et cineream partem deprehenditur, ne-
que gyri ſatis manifeſto apparent. In adulto au-
tem homine non ſolum cerebri hemiſphaeria
cinerea ſubſtantia inuolui putandum eſt, verum
etiam internae partes, velut calloſum corpus, ner-
vorum opticorum thalami, corpora mammillaria,
p. 5. cet. eiusdem participes ſunt factae. Et calloſum
quidem corpus cum cinereos quosdam tractus, qui
longitudinem eiusdem ſequuntur, conſpiciendos
praebet, tum interne ſimiles fibras oſtendit, et pel-
lucidum cinereum ſeptum ſub ſe poſitum habet.
Mammillaria corpora intus potiſſimum cinerea ſunt,
et nervorum opticorum thalami exterius alba, ea-
que tenuiſſima lamina, per quam internus cinereus
color tranſparet, tecti animaduertuntur. Diſſecti
thalami anterius et inferius plus medullaris ſubſtan-
tiae oſtendunt, et in pellucide cinerea maſſa copio-
ſiſſima alba puncta conſpicienda praebent, quae quaſi
ſtriatim collocata eſſe, neque ſolum in homine, ve-
rum etiam in aliorum animantium cerebris obueni-
re Noſter animaduertit. Ceterum inter ipſos tha-
lamos atque ſtriata corpora, quae ſuperius praeſer-
tim, ſed propemodum circum circa, rubicunda cine-
rea conſpiciuntur, ſubſtantia intercedit dilute cine-

rea,

rea, quam diſſectores geminum centrum ſemicircu-lare, vel lacunar VIEUSSENII nominarunt.

Cerebellum pariter corticali ſubſtantia, eaque dura et admodum copioſa inueſtitur, ita vt haud temere affirmari poſſit, huic encephali parti copioſiorem et duriorem corticem, quam cerebro, a natura eſſe donatum. Quanquam autem infantis nuper nati cerebellum in hoc cum cerebro conuenit, vt molliſſimum appareat, et velut pulticulae ſpeciem prae ſe ferat, tamen iam in fetus cerebello plus cinerei, quam albi coloris conſpicitur. In media Varoliani pontis parte cum in hominum funeribus, tum in animalibus dilutum cinereum colorem Noſter reperit, eum tamen ſaepe, vel quoque perpetuo, ita ſenſim in albidiorem euaſiſſe fatetur, vt difficulter ipſius coloris et ſubſtantiae termini definiri poſſent. De oblongata medulla idem valere addit, quae pariter dilutam cineream ſubſtantiam foueat atque tueatur. In oliuaribus hominis corporibus arbuſculum cinerea ſubſtantia inueſtitum, et in pyramidalibus cineream quaſi tincturam reperiri, PROCHASKA auctor eſt, cet. Ex his, aliisque a Cl. LVDWIGIO commemoratis obſeruationibus patet, vbique prope, vel ſaltem multis in receſſibus et locis ſubſtantiam a medulloſa differentem obuenire, quae modo dilutior ſit, modo profundius tincta deprehendatur. Ceterum, quod ſpectat quaeſtionem, vtrum haec ſubſtantia inter ſe cohaereat, an quilibet cinereus locus ab altero ſit ſeparatus? ad eam Noſter ita reſpondet, vt aliquam ſaltem continuationem concedendam cenſeat; etenim, quanquam cortex, ſiue externa cinerea lamina gyroſa, licet inter ſe arcte cohaereat, haud ſatis diſtincte cum internis cinereis locis coniungitur, ſubtilioribus tamen iniectionibus fortaſſis continuitatem reperiri poſſe

p. 7.
p. 9.
p. 10.

poſſe ſuſpicatur, et neruorum opticorum thalamos cum ſtriatis corporibus ope centri gemini hac ratione omnino coniungi, atque inter annularem protuberantiam, medullamque oblongatam non minus, quam inter quadrigeminas eminentias et alias cerebri partes connexionem eſſe, arctamque copulam expertus eſt.

p. 11. Externi corticis color plerumque ex cinereo, rubro et flauo compoſitus et pellucens animaduertitur, haud tamen ſemper eadem ratione comparatus eſt, quippe aetatem, morbos varios, cet. ad eum mutandum plurimum conferre poſſe conſtat. Sic infantis recens nati corticalis cerebri ſubſtantia admodum eſt diluta, et fere talis, quae a medullari diſtingui non poſſit, et, GREDINGIO teſte, ſtriatorum corporum, cerebelli et aliarum encephali partium color in maniacis a naturali omnino receſſit,

p. 12. cet. Hunc ipſum autem colorem a vaſis, telaque celluloſa, ex quibus quaeuis cinerea ſubſtantia componitur, et a ſanguine in illis moto pendere, certum eſt; namque tam arterioſa vaſa, quam venoſa pro varia aetate, variis encephali partibus, atque in variis animantibus ac morbis laxiora aut rigidiora, ampliora aut anguſtiora, modo magis, modo minus flexuoſa conſpiciuntur, neque eandem ſemper ſanguinis quantitatem tranſmittunt.

p. 13. Copia corticalis maſſae ex comparatione eius cum medullari aeſtimanda eſt, qua inſtituta apparuit, plus medullae, quam cinereae ſubſtantiae cerebro procul dubio contineri; centrum enim VIEUSSENII ouale, corpus calloſum, fornix, ventriculorum parietes, pedunculi cerebri et aliae partes vel ſola conſtant medulla, vel cum pauca cinerea ſubſtantia commiſcentur; hinc iudicari facile de medullae abundantia poteſt. Ceterum, quod attinet ad irritabilem corticis cerebri naturam, eam

pariter,

pariter, atque ſenſibilitatem eiusdem nullis hacte-nus indubitatis argumentis demonſtratam eſſe, Noſter refert, neque prius vtramque virtutem vel adſcribi, vel denegari certo cortici poſſe fatetur, quam frequentiora et accuratiſſima tentamina fue-rint inſtituta, quibus forte ſe ipſum aliquando eſſe operam daturum, ſpem nobis facit.

In declaranda cinereae ſubſtantiae fabrica Cl. Au- p. 14.
ctor hoc progreſſus eſt tramite, vt, expoſita primum Malpighiana ſententia, quae a Ruyſchiana ipſi non multum diſcrepare videtur, hanc alteram defende-ret, variisque argumentis ornaret. Cenſet autem, omnem cineream cerebri molem ex arterioſis, ve-noſis, et lymphaticis vtriusque generis vaſis, atque ex ſubtiliſſima celluloſa tela, quae vaſis interſit, eſſe compoſitam, rubrorum autem vaſorum numerum ſeroſorum copia ſuperari; quippe corticem ſem-per diluto rubore aliquo tingi, pauca vero vaſa manifeſta eſſe atque conſpicua in recenter diſſecto, ſanoque funere obſeruauit; at vero in phrenitico-rum cerebro, prout etiam in funeribus artificiali iniectione praeparatis, vaſa multo copioſiora et ma-nifeſtiora apparere vidit; hinc clarum eſt, atque perſpicuum, in cinerea ſubſtantia multa rubra vaſa ineſſe, ea autem ſeroſorum canalium quantitate valde vinci. Celluloſa tela, quae cinereae maſſae p. 18.
immixta eſt, repeti a pia matre debet, quippe quae ad omnes gyros deſcendat, ipſique cortici inſeratur.

His praemiſſis ad zootomica obſeruata nobis tranſeundum eſt. At enim vero, cum hae ipſae obſeruationes breuiter repeti haud poſſint, id ſaltem agendum cenſemus, vt corollaria, quae ipſe Cl. Auctor ex iis deduxit, transſcribamus. Et pri- p. 29.
mum quidem, omnibus ſine dubio animalibus, quibus cerebrum ſit, duplicem ſubſtantiam cine-

ream

ream alteram, alteram albam datam eſſe affirmat; deinde eas cerebri partes, quae in homine ſint cinereae, in reliquis quoque animalibus, ſi adſint, eadem natura vti, et plerorumque mammalium, gliribus exceptis, cerebrum gyroſum, extus ſemper cinereum, et partium numero, immo etiam, maxima ſaltem ex parte, figura humano ſimile eſſe, ſitu autem atque proportione partium diuerſum deprehendi, et cerebellum compoſitum animaduerti expertus eſt. Porro glirium cerebra cum auium cerebris ob gyrorum defectum conuenire, eſſeque etiam inter ſimplex quorundam glirium cerebellum et eandem auium partem aliquam
p. 30. ſimilitudinem vidit; hinc quaerit, an, continua naturalium corporum ſerie, per glires mammalia cetera cum auibus, quibus in reliqua oeconomia haud diſſimiles ſunt, coniungantur? Auium cerebrum gyris deſtitutum, maximaque ex parte cinereum eſt, et fere in omnibus auibus tribus cauitatibus coërcetur; neruorum opticorum thalami caui ſunt. Cerebellum horum animalium ſimplex animaduertitur, ab eoque variae partes abſunt; medulla vix extus ponitur, ſaltem non in omnibus auibus, quemadmodum nonnullorum opinio eſt. Amphibiorum cerebrum varium in variis huius claſſis animalibus obſeruatur, et in piſcibus idem viſcus tuberculatum ex cauis tuberculis vtriusque ſubſtantiae compoſitum, et cerebellum longitudinale deprehendi Noſter refert. Ceterum deficere in auium nonnullarum cerebro cinereas partes varias, e. g. corpora ſtriata diſtincta, glandulam pinealem, quadrigemina corpora, cet. et a piſcibus nonnunquam haec ipſa quadrigemina corpora, et pinealem glandulam, quemadmodum etiam externum corticem abeſſe dicit, de amphibiorum autem et reliqua-

quarum beſtiarum cinereis partibus deficientibus, propter obſeruationum defectum, nihil proponere audet.

De vſu cinereae ſubſtantiae mentem ſuam in sexta paragrapho Noſter cognitam reddit, eumque in eo exiſtimat cerni, vt ex ſanguine allato quaedam liquidae partes ſeparentur, quae cerebrum, eiusque appendices nutriant, iuſtumque illis elaſticitatis et ſenſibilium facultatum tenorem et vim inſtillent. Etſi autem neque ſingularum cinereae maſſae partium officia, neque praeparati fluidi naturam accuratius definire audet, hoc tamen ipſi eſt perſuaſum, in ſingulis corticis partibus ſingularum et diuerſarum ſecretionum officinam eſſe, et in ſtriatis corporibus aliud liquidum praeparari, quam in neruorum opticorum thalamis, cet. illudque potiſſimum neceſſariam ad animales actiones exercendas peragendasque elaſticitatem neruis praebere, neque propria mobilitate ſenſum et motum exercere, cet. p. 30.

Figurae tres priores cerebrum Anatis anſeris 1) dura meninge adhuc inueſtitum, 2) oblique, ac 3) perpendiculariter diſſectum ſiſtunt, et quarta, quintaque ranae temporariae cerebrum conſpiciendum praebent.

XXIII.

Diſſ. de ſenſibilitate oſſium morboſa, Praeſide ADOLPHO MURRAY, in Audit. Guſt. Maior. d. 6. Maii 1780, pro Gradu Doctoris a *Laurent. Brandelio* habita. Vpſalae apud Ioh. Edmann, Direct. et Reg. Acad. Typogr. 4. pagg. 26.

Oſten-

p. 4. Oſtendit Cl. MVRRAY initio huius tractationis diſcrimen, quod inter nomina ſenſibilitatem et irritabilitatem intercedit, quorum unum fibris muſcularibus ſolum proprium ſit, alterum neruis, vt HALLERVS primus docuerit, neque ullam has corporis facultates habere cognationem. BOERHAAVIVS quidem et BIANCHI crediderunt totum corpus ex neruis conſtare, horum autem ſententiam p. 5. pluribus refutare conatur Cl. Auctor. Etenim non raro obſeruatores duplici modo ſeſe decipi paſſi ſunt, ſiue enim partibus ſenſum tribuerunt aliquem, qui neruis circumrepentibus debebatur, ſiue loca aliqua p. 6. labe infecta diſquiſitioni ſubiecerunt. Quantam vero commutationem aliquando partes ex morbo ſubeant, optime perſpicimus in ligamentis, quibus ſi vulnus quoddam integris adhuc infligitur, aut tota capſula articulatoria ad euacuandam aquam aperitur, perforatur, amburitur, cauſticis liquoribus irritatur, ne minimo doloris ſenſu afficitur aeger. Quodſi vero pure clam collecto, decubitu humorum lento et acri, fungoue ſtructura ligamentorum ipſa patitur, inciſiones non-ſolum dolorificae eſſe ſolent, verum etiam aegri continuo dein dolore ſaepius excruciantur hoc, qui in conuulſiones et ſpaſmum cynicum interdum ſtatim tranſit. Vnde tela celluloſa ex humore ſtagnante et irritante adeo excreſcit et euoluitur, vt ipſum articuli volumen augeatur, et nerui inter extima ſtrata leuiter antea decurrentes, non ſolum fortius ad ligamenta reuinciantur, ſed ab ipſa morboſa ſubſtantia quaſi circumuelentur et inclu- p. 7. dantur. Atque ex hac cauſſa ſenſibilitatem telae celluloſae ſingularem Cl. MECKEL deriuandam eſſe arbitratur.

Pergit Noſter ſententiam ſuam de ſenſibilitate oſſium confirmare hoc, vt, quemadmodum

omnes

omnes partes neruis carentes nullo ſenſu eſſe prae- p. 8.
ditas exploratum ſit, ſic non omnia loca, quae neruos habeant, perceptibili gaudere ſenſatione contendat. Hepar ſcilicet, ſplen, renes, pulmones et vaſa arterioſa neruos accipiunt haud paucos, cum vero ſubtiles ſint, et tenuiores, viſcera haec, quamquam cauſticis laceſſantur et inciſionibus irritentur, nullum produnt doloris ſenſum. Quam in rem Cl. MURRAY quaeſtionem proponit hanc: nonne his partibus, quae, licet neruos habeant, parum tamen vel nihil ſentiunt, oſſa ſunt annumeranda? Cuius p. 9.
rei vt certiores fiamus, duas eſſe, inquit, vias, quibus praeſentia neruorum in hac, illaue parte demonſtrari poſſit, artificioſam nempe nerui diſſectionem, vel, ſi propter ſubtilitatem hoc fieri nequiret, experimenta in animalibus inſtituenda. Quae quidem viae tam lubricae atque tam multis obſtaculis impeditae reperiuntur, vt omni opera adhibita fructus percipiatur exiguus, propterea, quod nerui ad fines ſuos cylindricam amittere videntur formam, et in planam quaſi faſciam, aegre ab ipſis celluloſis filis fortioribus diſtinguendam, extenduntur, vt Cl. Auctor affirmat. At enim vero, etſi difficile eſt, neruos ad p. 11.
oſſa vſque proſequi, tamen in nonnullis locis, vti in tuberculo occipitali, alis ſphenoidalibus, cet. hos ad canaliculos oſſium deducere poſſumus, ſed longe facilius in artubus, vt in oſſis brachii apertura ſulco bicipitali vicina, in femore prope lineam aſperam, in tibiae facie poſteriore et ſuperiore, nec non in calcanei latere interno labor procedit. Ex quo bene intelligitur, neruos interiorem oſſium ſubſtantiam penetrare.

Sectione decima quaerit Noſter, quo modo ner- p. 12.
vuli hi oſſium diſpergantur, vtrum omnes ad medullam oſſis tendant, an nonnulli in fibris ipſis oſſeis ſubſiſtant, et vnice ad experimenta in viuis inſtituen-

da prouocat. Quam quidem quaeſtionem quum multis exemplis, iisque grauiſſimis, a viris in rebus medicis peritiſſimis inſtitutis confirmauerit, medullam ſcilicet ſentire, ita, vt iam HIPPOCRATES vulnera oſſium ad medullam penetrantia deliria, ob dolorem, excitare aſſeruerit, alia excipit, eaque multo difficilior, quae ita comparata eſt: num oſſea ſubſtantia ipſa ſenſum habeat vllum? Varias itaque CHESELDENII, HALLERI, CALDANI, VERNAE, aliorumque rationes commemorat, quorum auctoritate omnem oſſibus ſenſationem abrogare non dubitarunt, praeſertim quum ſub ignis, aliorumque externorum remediorum corrodentium applicatione, nec non ab ictu, roſione atque ipſa oſſium perterebratione indolentiam quandam obſeruarint. At vero quanquam haec experimenta primo intuitu totam diſquiſitionis grauitatem ſuſtuliſſe videntur, tamen, Noſtro auctore, iis nihil aliud efficitur hoc, vt oſſa ſana vel leuiter corrupta omni ſenſu ſint deſtituta, neruique latentes, ſi qui adſint, naturalem ſuam ex ſententia CALDANI non exſerant facultatem. Vnde his ſubtilioribus ſurculis, quippe cum firma ſubſtantia neruos interpoſitos ita perſtringat et comprimat, vt obiectorum impreſſionibus animum mouere nequeant, idem accidere veroſimile eſt. Quemadmodum enim manus, pedumque plantae callis obductae ſubiectorum neruorum ſenſum non percipiunt, artusque compreſſione neruorum protractiore ſtupent, acriorem ſenſum et denique omnem amittunt; ſic etiam ii, qui in ipſam oſſium ſubſtantiam diuiduntur, materia adeo compacta et dura quaſi ſtrangulentur et virtutes ſuas exuant, neceſſe eſt; accedit, quod exteriora harum partium ſtrata propter firmitatem, interiora vero propter mollitiem, haec multo maiora, illa longe minora edunt ſenſibilitatis ſigna.

(margin: p. 15. beside "lior, quae ita comparata"; p. 16. beside "Noſtro auctore")

His

His omnibus breuiter enarratis, hiſtoria aegrae cuiusdam ipſa ſequitur, quae anno 1774 Lugduni Gallorum in noſodochio magno commorabatur, quacum ipſe experimenta, auctore Cl. CARET, noſocomii tum chirurgo primario, inſtituit varia. Scilicet ancilla annos circiter triginta ſex nata, quum ante ſex annos ex ſcalis decidiſſet, in lapidem caput adeo grauiter impegit, vt in oſſis parietalis medio cutis laederetur, inde ab hoc tempore doloribus cruciabatur vehementiſſimis. Hanc laeſionem tam parui fecit, vt omnem ſperneret chirurgi operam, atque adeo cicatricis formatio ante vulneris depurationem integram ſuccederet inaequalis, craſſa et ad tactum dolens, quae quidem incommoda temporis ſucceſſu auferri ſpem alebat magnam. Biennio vero poſt cicatrix multo turgidior fieri et acerbe dolere ita, vt noctes, diesque inſomnes tranſigere cogeretur, vſque dum ipſa diſrumperet, quo tandem inſignis dolor adhibitis quoque remediis ceſſit. Quo citius autem ulcus coibat, eo grauius dolebat caput; adiit igitur Cl. CARET, qui quum diſquiſitionem faceret, duas inuenit cicatrices ſibi vicinas, recentiorem et primam, easque tumidas, inaequales, duras et tactus impatientiſſimas. Itaque has ad os vſque carie iam eroſum incidit, qua operatione quoque lenimen percepit aegra haud paruum. Praeterea totam oſſis carioſi ſuperficiem cauſtico tentauit remedio, quod ob dolores inſuper cum conuulſionibus admodum grauiter tulit. Trepanationem igitur inſtituit, quam aegra ob conuulſiones et animi deliquium mox interrumpebat, interim tamen ſubinde quasdam coronas applicuit.

Quo facto ad ſeparandam carie deſtructam partem properauit, ſed ob duram matrem adhaerentem, et ob fungoſam excreſcentiam exciſio impediebatur, intercedentibus ex leuiſſima

 irri-

irritatione doloribus aegrae intolerabilibus. Poſtea dolores capitis, a quibus perplures menſes non vexata fuerat, redibant. Qualem poſtea ſortem ſubierit haec, ſe ignorare Cl. MURRAY ait, interim tamen aſſeuerat, non raro ſe nudum os variis in locis, inſcia aegra, tetigiſſe ſpecillo, eamque ſemper ex hoc leui tactu dolorem percepiſſe acerbiſſimum.

Non dubitat Cl. Auctor contendere, in nonnullis cariei ſpeciebus, quae originem duxiſſent ſuam a corruptis humoribus, vt in ſcorbutica, venerea et cancroſa, ipſa carioſa oſſicula tantam obtinuiſſe ſenſibilitatem, ut ſine acerbo aegri dolore tangi non poſſent, innixus auctoritatem NIC. MASSÁE, qui in femore carioſo, cum vlcere magno coniuncto hanc detigerit. Quam vero mirandam commutationem oſſa, morbo emollita ſentiant, ex obſeruationibus Cl. DEIDIER et PETIT ſatis conſtare videtur. Duplicem denique oſſium ſenſibilitatem eſſe aſſerit, cuius quidem cauſa, cur nerui hi ſubtiliores, ſubſtantiam ipſam intrantes et a dura materia per tot annos vndique ita compreſſi, vt in ſtatu ſano inſitam vim exſerere non valeant, imo vero eam occultatam retineant, et quaenam ratio ſit, cur in his morbis maiorem ſaepiſſime inueniamus ſenſum, quam qui a tam ſubtilibus metui poſſit neruis, vt a phyſiologis diligentius perueſtigetur, optat.

XXIV.

XXIV.

GE. GOTTLOB RICHTERI, Medicinae Doctoris, Magnae Britanniae Regis Conſiliarii Aulici et Archiatri, Medicinae in Academia Gottingenſi Profeſſoris Primarii cet. Opuſcula medica, antehac in Academia Gottingenſi ſeorſim edita, nunc vero collecta, ſtudio IO. CHRISTIANI G. ACKERMANNI, Medicinae Doctoris. Praefatus eſt DANIEL WILHELMVS TRILLERVS, Vol. I. pagg. 464. 1780. Vol. II. pagg. 462. eod. Vol. III. pagg. 566. 1781. Francofurti et Lipſiae, ſumtibus Ioannis Georgii Fleiſcheri. 4.

Dicata ſunt haec opuſcula a Cl. ACKERMANNO Venerando Seni TRILLERO, qui quoque hic praefatus eſt conſuetudinis potius iam dudum receptae et adhuc vigentis, quam neceſſitatis vrgentis cauſa, vti ipſe TRILLERVS hic fatetur. Alias enim Ill. TRILLERO res omnino videbatur inanis et ſuperflua, opus iam interna ſua virtute et praeſtantia per ſe commendabile, externa quoque inſuper commendatione operoſe nimis ornare, ſiue rectius onerare. Haec opuſcula igitur multas, variasque diſſertationes academicas ac diuerſa programmata ſparſim edita, complectuntur, quae maximam quidem partem pathologici, diaetetici et practici ſunt argumenti, partim vero etiam philoſophici, phyſici, philologici, ſubtilioris ingenioſi ac curioſi. Sunt itaque profecto Cl. ACKERMANNO grates habendae pro ſtudii aſſiduitate, qua haec opuſcula collegit, et indice rerum auxit. Quae praeterea ſub praeſidio b. RICHTERI ſunt defenſa, nec ab eo ipſo elaborata, annotauit. Nos vero iam cuiusque voluminis contenta hic communicamus cum Lectoribus noſtris.

Vol. I. In primo volumine continentur diſſertationes.

CH. G. HEYNE Progr. quo memoriam b. RICHTERI ciuibus, poſteritatique commendat, Gott. 1775.
De lacte inſonte, 1737. Reſp. *N. W. Cuhn.*
De morbo hypochondriaco, 1739. Reſp. *Lehmann Iſaac. Kohen.*
De diuino HIPPOCRATIS, 1739. Reſp. *C. Ph. Io. Matty.*
De malo hyſterico, 1741. Reſp. *Fr. Gottl. Meier.*
De fluxu ventris dyſenterico, 1742. Reſp. *H. Godofr. Liechte.*
De medicina ex Talmudicis illuſtrata, 1743. Reſp. *Beni. Wolf Ginzburger.*
De ſcorbuto, 1744. Reſp. *Herrm. Chr. Sartorio.*
De eryſipelate, 1744. Reſp. *G. Cph. Starke.*
De cunis infantum maxime nobiliorum, 1745. Reſp. *Io. Gottl. Friderici.*
De cachexia icterica, 1745. Reſp. *Io. Henr. Zopff.*
De medicina plagoſa, 1746. Reſp. *Georg. Alb. de Selpert.*
De inſolatione ſeu poteſtate ſolis in corpus humanum, 1747. Reſp. *C. A. de Selpert.*
De natura morborum per morbos victrice, 1747. Reſp. *Io. Eberh. Werkamp.*
De tuſſi, 1747. Reſp. *Io. Bernh. Martini.*
De tenuitate humorum temere laudata, 1750. Reſp. *Ed. Iac. Lupin.*
De cardialgia, 1750. Reſp. *C. Sal. Koeler.*
De tremore, 1750. Reſp. *C. A. Richter.*

Vol. II. Volumini ſecundo inſunt diſſertationes.

De voce naturae, ſeu ſenſibus internis variae corporis indigentiae adſtrictis, 1751. Reſp. *Io. Fr. Ackermann.*
De ſpe et praeſidiis longaeuorum, 1752. Reſp. *Fr. Chr. Seip.*

De

De natura, labe et praeſidiis memoriae humanae, 1752. Reſp. *Georg. Fr. Wegener.*

De ſilentio medico, 1752. Reſp. *Henr. Balemann.*

De iuſto febrium moderamine, 1753. Reſp. *Aug. Wilh. Berlin.*

De ſalubritate fructuum horaeorum, 1754. Reſp. *Gottl. Aug. Segnitz.*

De doctarum lucubrationum noxis, 1755. Reſp. *Io. Barth. Ieniſch.*

De ſtatu mixto ſomni et vigiliae, quo dormientes multa vigilantium munera obeant, 1756. Reſp. *Io. Fr. Müller.*

De ſene valetudinis ſuae cuſtode, 1757. Reſp. *Io. Sam. de Berger.*

De cura magiſtratus circa valetudinem ciuium, 1758. Reſp. *Ieſaia Iuda.*

De coctionum praeſidiis euacuantium ab vſu euerſis, 1758. Reſp. *Coſmann Vlmann.*

De valetudine hominis nudi et cooperti, 1763. Reſp. *Beyfuß Anſelm Schloß.*

De priſca Roma in medicos ſuos haud iniqua, 1764. Reſp. *Aug. Gottl. Richter.*

De pleuritide vera ſingulari caſu illuſtrata, 1768. Reſp. *Adriano Tattarinoff.*

Volumen tertium complectitur proluſiones. Vol. III.

De morte ſine morbo, tanquam extrema artis ſalutaris meta, et de legibus diaeteticis, quae ad illam maxime ducunt, 1736.

De cauſis inſtabilis medicamentorum effectus, 1736.

De iudicio virium medicarum pro variis vegetabilium partibus, 1737.

De celeri ingeſtorum mutabilitate non ſemper ſalubri, 1737.

De prudentia medica, ambiguos naturae motus et criſes determinandi, 1737.

De naturae apparente prodigentia ratione ſeminum, 1738.
De veterum empiricorum ingenuitate, 1741.
De naeuis theoriae medicae, 1741.
Breuis de voce κοιλίας diſquiſitio, 1741.
De repentina morte hominum ſpecie ſanorum, 1741.
De virtute ſtomachica vini calidi, 1741.
De purpurae antiquo et nouo pigmento, 1741.
De materia et ſede podagrae, 1741.
De mania erotica, 1741.
De viis ſputi pleuriticorum, 1744.
De cenſura nimiae laudis haemorrhoidum, 1744.
Breuis inquiſitio in Hippocraticas ſcorbuti antiquitates, 1744.
De aſſuetudine venena ferendi in drimiphagis, 1744.
De phthiſi ſine vlcere, 1744.
Iudicium de phthiſi neruoſa, 1744.
Vindiciae HERRM. BOERHAAVII aduerſus cenſorem Anglum, 1744.
Conieꝭturae quaedam de duplici nouo inflammationum exitu, rigeſcendo et deſquamando, 1748.
De criſibus veterum in morbis, iisque proprio tempore, 1748.
De balneo inprimis animali, 1748.
De ieiuniorum ac nimiae ſobrietatis noxis, 1752.
De conſtantia ſeniiis valetudinis, 1752.
De piſcium ſalutari cibo, 1752.
De limitandis laudibus perſpirationis, 1753.
De ſalutaris ſomni menſura et tempore, 1753.
De ſalutari ſitus corporei varietate litteratis etiam, qui ſcribendo, legendo, meditandoque occupantur, opportuna, 1756.

De ſalutari dormientium ſitu, 1756.

De lege conſuetudinis concilianda, 1756.

Qua oſtenditur, frigus capiti, fotum caloremque pedibus magis conuenire, 1756.

De inſalubri lactis et vini miſcela, 1756.

Succincta commentatio de morte Seruatoris in cruce, 1757.

De ſalutari, limitando tamen equitationis exercitio, 1757.

De medico morientis adſpectum magis, quam mortui fugiente, 1759.

Paralyſis alio ſenſu priſcis, alio recentioribus ſumta ad paralyticos N. T. accommodatur, 1759.

Contra mendaciorum immunitatem a PLATONE Medicis conceſſam, 1759.

De victus animalis antiquitate et ſalubritate, 1761.

De ſiccis et ſobriis, 1764.

De commodis ſenectutis, inprimis ſenili ſatietate vitae, 1764.

XXV.

Noua phyſico medica.

Societas medica *Pariſienſis* propoſuit ad annum 1782 quaeſtionem hanc:

Quales feminae ſint, quae ipſae a lactatione infantum ſe abſtineant neceſſe eſt? (Quelles ſont les femmes, qui doivent ſ' abſtenir de nourrir elles mêmes leurs enfans?)

Ex obſeruatione et experientia definiantur rationes, in quibus et matri, et infantibus vtilius ſit, a lactatione abſtineri. Praemium 300 librarum Gallicarum optimo tractatui dabitur. Commentarii ante primum Ianuarii diem anni 1782 mittantur.

Altera quaeſtio ad eundem annum propoſita eſt haec:

Exponantur natura, cauſſae, mechaniſmus hydropis atque eum tractandi ratio, ac indicentur praecipue ſigna, ex quibus indicationes certae ad remedia, variis in caſibus et vario in gradu morbi conuenientia, deſumi poſſint. (*D' expoſer la nature, les cauſes, le mecaniſme & le traitement de l' Hydropiſie, & ſurtout, de faire connoitre les ſignes, qui fixent, d'une maniere préciſe, les indications des différens genres de ſécours appropriés aux divers cas & aux diverſes eſpéces d'épanchement.*)

Optat Societas non de hydrope tractatum, ſed vt vniatur ſeries nouarum obſeruationum ſuper difficillima, ex natura huius morbi et curandi ratione petita, momenta. Praemium, optimo commentario deſtinatum, eſt 300 librarum: commentarii ante primum Iunii 1782 mittantur, vti priores, ſolutis vectigalibus, ad Cl. VICQ D'AZYR, qui Societati eſt a Secretis.

Academia Regia Scientiarum et Artium *Burdegalenſis* ad annum 1782 quaeſtioni ſequenti praemium duplum 600 librarum concreuit.

Eſtne ſignum quoddam, quo poſſint etiam obſeruatores, minus exercitati, cognoſcere tempus, quo arbores praeſertim quercus, deſinant creſcere, et quo incipiant perire: et, ſi quaedam ſint, habentne in genere locum, atque afficiunt neceſſario arbores, cuiuis terrae implantatas? (*Exiſte-t-il quelque indice ſenſible, qui puiſſe faire connoitre aux obſervateurs les moins exercés, le tems, où les arbres, & principalement les chênes, ceſſent de croître, & ou-ils vont commencer à déperir? Et ces indices (à ſuppoſer qu' il y en ait), ont-ils generalement lieu, & affectent ils néceſſairement les arbres venus dans toutes ſortes de terrains.*)

Commen-

Commentarii mittantur ante 1 April. 1782. ad Cl. LAMONTAIGNE, Secretarium Academiae ea, qua volunt, ratione ſupra a nobis indicata.

Quaeſtio phyſica Academiae Scientiarum, elegantiorum Litterarum et Artium *Lugdunenſis* in annum 1782 eſt ſequens:

Eſtne electricitati atmoſphaericae quidam influxus in vegetabilia? Quaenam ſunt huius influxus effecta? Si qua ſunt noxia, quibus remediis iis medendum? (L' electricité de l'atmoſphére a-t-elle quelque influence ſur les vegetaux? Quels ſont les effets de cette influence? & ſ' il en eſt de nuiſibles, quels ſont les moyens d' y remedier?)

Praemium eſt moneta aurea 300 librarum.

Quaeſtio hiſtorico naturalis:

Qualia fuere, et cuius generis ſunt alimenta et potus populi in diuerſis climatibus? Quales fuerunt, qualesque inde effectus oriuntur ratione ſanitatis, virium, durationis vitae atque propagationis. (Quels ont été & quels ſont les alimens & les boiſſons des grands peuples, dans les differents climats? Quels en ont été & quels en ſont les effets relativement à la ſanté, à la force, à la durée de la vie & à la population.

Conditiones eaedem, praemium duplex, alterum aureum 300, alterum argenteum 25 librarum. Commentarii Gallici aut Latini mittantur ad Cl. DE LA TOURRETTE, qui a Secretis Academiae eſt, ante 1 April. 1782.

Academia Regia Scientiarum et Artium *Berolinenſis* PAVLVM IOSEPHVM BARTHEZ, Monſpelienſis Vniuerſitatis Cancellarium, et ANTONIVM SCARPAM, in Mutinenſi archigymnaſio anatom. et chirurg. Profeſſorem et Mutinenſ. Ducis Chirurgum primarium, in numerum exterorum membrorum recepit.

Petro-

Petropolitana Scientiarum Academia D. PRIESTLEIVM, IACQVINVM, Profeſſ. Vindobonenſ. MOEHRINGIVM, Archiatrum Ieuernenſ. FORSTERVM, Profeſſorem Halenſem, et BANKSIVM, Londin. inter Socios retulit.

Sociis Academiae Naturae Curioſorum nuper adſcripti ſunt I. C. G. ACKERMANNVS et P. L. WITTWERVS, Medicinae Doctores.

I. C. F. VOITVS, Chirurgiae in Collegio Berolinenſi Regio medico-chirurgico factus eſt nuper Profeſſor.

IOH. REINHOLD FORSTER Profeſſionem hiſtoriae naturalis *Halae* obtinuit.

MEZGERI morte vacuam redditam Profeſſionem Aſtronomiae Mannhemenſem KOENIGIVS, ex Soc. IES. accepit.

D. CHRIST. FRIED. NÜRNBERGER in Vitebergenſi Academia Profeſſionem Medicinae extraordinariam adeptus eſt.

GEORG. HENR. BOROWSKY, Regiomonto-Boruſſus, munus naturalem hiſtoriam extra ordinem docendi in Francofurtana Academia nuper in ſe ſuſcepit.

I. C. STARKE Profeſſor Medicinae extraordinarius in Ienenſi Vniuerſitate factus eſt.

SAM. THOM. SOEMMERING, M. D. nuper Anatomiae et Chirurgiae Profeſſionem in Illuſtri Alma Carolina, quae *Caſellis* floret, obtinuit, adiitque hoc

munus

munus publico programmate *de cognitionis ſubtilioris ſyſtematis lymphatici in medicina vſu*, 1779.

GEORG. HENR. WEBER extraordinariam Medicinae in Chilonienſi Vniuerſitate Profeſſionem cum ordinaria commutauit.

Experientiſſimus IOAN. GODOFREDVS LEONHARDI *Lipſiae* Profeſſionem Medicinae extraordinariam accepit, quam programmate *de Aërologiae phyſico-chemicae recentioris primis lineis;* et oratione *de recentiorum chemicorum operibus ad medicinam illuſtrandam*, die XXVIII. menſ. April. 1781 auſpicatus eſt.

In memoriam CAROLI LINNEI cuſum eſt nuper *Holmiae* numiſma, quod ab altera parte effigiem ſummi viri, in altera Cybelen cum ſymbolis trium naturae regnorum, habitu lugubri ſtantem, monſtrat. Circumſcripta leguntur verba: *Deam luctus angit amiſſi;* infra: *poſt obitum Vpſaliae, d. IX. Ianuar.* CIↃIↃCCLXXVIII. *Rege iubente.*

Mortui ſunt:

D. XVI. menſ. Sept. 1778. D. CHRIST. ANDREAS VON MELLEN, Noſocomiorum Imperialium medicus, triceſimo octauo aetatis anno, *Petropoli.*

D. XIX. menſ. Nouembr. 1779. HENRICVS GODOFREDVS Comes DE MATTUSCHKA, anno aetatis quadrageſimo quinto. Sileſienſis florae editione ſe inprimis celebrem reddidit.

D. XXIV. menſ. Febr. 1780. IO. ADAM POLLICH, hiſtoria plantarum in palatinatu ſponte creſcentium clarus, *Lutrae Caeſareae.*

D. XXIII. menſ. Mart. 1780. IOH. IAC. LERCHE, primus exercituum Ruſſicorum medicus, *Petropoli.* Natus erat Potsdampii d. XXVII. menſ. Decembr. 1703.

XXVI.

XXVI.

Continuatio ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1777 prodierunt.

Anleitung zur Technologie, oder zur Kenntniſs der Handwerker und Manufakturen, von IOH. BECKMANN, *Götting.* 8. *m. K.*

Gegründete Verſuche und Erfahrungen von der zu unſern Zeiten höchſt nöthigen Holzſaat, zum allgemeinen Beſten herausgegeben von IOH. GOTTL. BECKMANN, *4te Auflage, Chemnitz, m.* 1. *K.*

EIVSD. *Forſtkalender*, V. VON WERNECK.

Herrn BERTINS *vollſtändige Abhandlung der Oſteologie, oder Knochenlehre. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von* I. P. G. PFLUG, I *Band. Koppenhag.* 8. *m. K.*

BERGMANN Diſſ. de arſenico (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 446.)

BERGII materia medica (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 412. *et* 653.)

IOH. HEINR. BENI. BERGSTRAESSER *Nomenklatur und Beſchreibung der Inſekten in der Grafſchaft Hanau-Münzenberg.* v. ſupra p. 403.

IO. IAC. DE BERTHOLDT Diſſ. anatom. phyſiol. medica exhibens primas lineas noſologicas morborum venae portae, Vindobon. 8.

FRANC. BEVTH Iuliae et Montium ſubterranea ſ. foſſilium variorum per vtrumque Ducatum hinc inde repertorum ſyntagma, 8 mai. c. f. (*Catalogus nominum quorundam nouorum petrefactorum et locorum.*)

G. I. BEVTH *Abhandlung von Fiebern, Leipzig,* 8. 2 *Theile.*

G. BICKER Diſſ. de recto atque tuto mercurii ſublimati corroſiui uſu in variis morbis, Gotting. 4.

STEPH.

STEPH. BLANCARDI Lexicon medicum per ISENFLAMM. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 367.)

BOERHAAVE V. DELIVS.

ERNEST. GOTLOB BOSE progr. de generatione hybrida, Pars I. et II, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. ſiſtens aduerſaria de febre lenta neruoſa, rheumatiſmo et hydrope. Auct. et Reſp. C. G. DEMIANI, ib. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de corporis humani laeſionibus externis caute diiudicandis. Reſp. P. I. D. LVTHERIZ, ib. 4.

BOEHMER de nono pare neruorum. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 277.)

G. R. BOEHMER Diſſ. inaug. ſiſtens ſpermatologiae vegetabilis P. I. de ſeminum exiſtentia, differentia et vſu. Reſp. *M. T. Graefe*, Viteb. 4.

Abhandlungen einer Privatgeſellſchaft in Böhmen zur Aufnahme der Mathematik, vaterländiſchen Geſchichte und Naturlehre, herausgegeben von IGN. *Edlen* VON BORN, *3ter Band, Prag* 8.

* * BOETTGERS *Einladungsſchriften. Verzeichniß der fremden und einheimiſchen Bäume und Stauden in dem Garten des Weiſſenſteines,* 1 *und* 2*te Abhandlung, Caſſel* 8.

I. P. BRINKMANNS *Beweis der Möglichkeit, daß einige Leute lebendig können begraben werden, nebſt einer Anzeige, wie man dergleichen Vorfälle verhüten könne, Leipzig* 8.

EIVSD. *Beyträge zu einer neuen Theorie der Gährungen, ib.* 8.

EIVSD. *von der Würkung des Blattereiters bey der Inokulation, ib.* 8.

Auserleſene Fälle der ausübenden Arzneykunſt von T. BRISBANE. *Aus dem Engliſchen überſezt und mit Beobachtungen eines deutſchen Arztes vermehrt, Altenburg* 8.

BRISBANE *auserleſene mediciniſch praktiſche Fälle. Aus dem Engliſchen überſezt und mit eigenen Zuſätzen vermehrt, Rothenburg an der Fulda* 8.

H. L. VON BROCKE *Wiederlegung der ſogenannten Beurtheilungen des Königl. Preuſs. Oberforſtmeiſters* VON WEDEL *wegen der Frage von der Vermehrung des Wachsthums der Bäume in Forſten etc. Leipz.* 8.

Storia della ſquinancia cancrenoſa epidemica e contagioſa da GIOVANNI BRUGNONI, Turin 8.

BRÜCKMANN *von dem Weltauge oder* lapide mutabili. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 34.)

HENR. IOS. BRVN duodecim quaeſtiones medicae, Monſpel. 8.

CHR. PET. BVCH diſſ. de tartari emetici praeſtantia, Erlang. 4.

Traité oeconomique & phyſique des oiſeaux de Baſſe-cour. Par Mr. BUCHOZ, à Paris.

EIVSD. *ökonomiſch phyſikaliſche Abhandlung vom Federvieh, welches zum Vergnügen in den Vorhöfen und Vorwerken pflegt gehalten zu werden. Als ein Unterricht dieſes Geflügel zu erziehen, zu erhalten, zu vermehren, zu füttern und in der Hauswirthſchaft zu benutzen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von* I. W. CONSBRVCH. *Als ein Supplement zu* BUFFONS *Naturgeſchichte, Münſter* 8.

BÜFFONS *allgemeine Hiſtorie der Natur* 10*ten Theils* 1 *Band. Aus dem Franzöſiſchen mit Zuſätzen überſezt, Leipzig.* 4. *m. K.*

EIVSD. *Naturgeſchichte der Vögel. Aus dem Franzöſiſchen überſezt, mit Anmerkungen, Zuſätzen und Kupfern vermehrt von* D. MARTINI, 5 *und* 6*ter Band, Berlin* 8.

EIVSD. *Naturgeſchichte der vierfüßigen Thiere, mit Vermehrungen aus dem Franzöſiſchen überſezt,* 5*ter Band, ib.* 8. *m. K.*

Flora Pariſienſis: ou deſcriptions et figures des plantes, qui croiſſent aux environs de Paris. Par Mr. BULLIARD, à Paris, Tom. II.

Grundriß der allgemeinen Haushaltungswiſſenſchaft zum Nutzen der Jugend entworfen von D. ANTON FR. BÜSCHING, *Hamburg* 8. *2te Auflage.*

Beantwortung zweyer Briefe, welche Herr BALDINGER *in ſein Magazin für Aerzte gegen* C. L. HOFMANNS *Abhandlung von den Pocken hat einrücken laſſen, durch* HEINR. CHARET, *Münſter* 8.

HENR. CALLISENII inſtitutiones chirurgiae hodiernae, Hauniae 8. mai.

EIVSD. *Abhandlung über die Mittel die Seefahrenden, und beſonders die Beſatzungen der Königlich Däniſchen Kriegsſchiffe geſund zu erhalten, überſezt von* I. P. G. PFLVG, *ib.* 8.

P. CAMPERS *Abhandlung von den Kennzeichen des Lebens und Todes bey neugebohrnen Kindern. Nebſt einigen Gedanken über die Strafen des Kindermordes. Aus dem Holländiſchen überſezt und mit neuern Zuſätzen des Verfaſſers, wie auch einigen Anmerkungen vermehrt von* I. F. M. HERBELL, *Frf. und Leipzig* 8.

Diſſertation ſur l'huile de *Palma* CHRISTI, ou l'huile de Ricin, que l'on appelle communément *huile de Caſtor;* dans la quelle on donne l'hiſtoire de cette huile; on expoſe ſes propriétés, & on en recommande l'uſage dans les maladies bilieuſes, calculeuſes & autres; par le Doct. PIERRE CANVANE, Med. à Basle &c Ouvrage traduit de l'Anglois par Mr. HAMART DE LA CHAPELLE, Doct. en Med. de la Fac. de Caen &c. à Londres 8.

FRANZ LVDW. CANCRINVS *erſte Gründe der Berg- und Salzwerkskunde 7ter Theil, 1ſte Abtheilung, welche die Mechanik, Hydroſtatik, Aërometrie und Hydraulik enthält, Fr. am Mayn* 8. *m. K.*

F. A. CARTHEVSER progr. de quibusdam vinorum adulterationibus ſanitati noxiis, quae additamentis mineralibus peraguntur, Gieſſae 4.

Thermarum Toeplicenſium in inferiori Carniolia exiſtentium examen et vſus, mandato et ſumtibus Celſiſſ. R. I. Princ. AB AVRSBERG ſuſcepta et deſcripta ab ANTON. CASTELLEZ, Med. Doct. et Phyſico Lubacenſi, *d. i. Prüfung und Gebrauch des warmen Bades zu Töplitz in der Ukraine, unternommen und beſchrieben, auf Befehl und Koſten des Durchl. H. R. R. Fürſten* VON AURSPERG *von* ANT. CASTELLEZ, *Wien* 4.

A complete treatiſe of electricity in theory and practice. With original experiments. By TIBERIUS CAVALLO, Lond. 8. (*vid. ſupra p.* 303.)

IAC. CLARKS *Anmerkung von dem Hufſchlage der Pferde und von den Krankheiten an den Füßen der Pferde, Leipzig* 8.

COLLIN *Heilkräfte des Wohlverley etc. aus dem Lateiniſchen überſezt, mit einer Vorrede über verſchiedene Tugenden dieſes Gewächſes vermehrt und durch neue Erfahrungen beſtätigt von* D. IOH. IOS. KAVSCH, *Breslau* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 137.)

COLLINI *Tagebuch einer Reiſe etc. Aus dem Franzöſiſchen überſezt und mit Anmerkungen begleitet von* I. S. SCHROETER. (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 252.)

Anfangsgründe der Metallurgie etc. von IO. ANDR. CRAMER, 3*ten Theils* 1*ſter Band, Blankenburg und Quedlinburg m. K.*

H. I. VON CRANZ *Geſundbrunnen der Oeſterreichiſchen Monarchie, Wien* 4.

F. I. CVNTISA diſſ. de viribus medicis nicotianae, eiusque uſu et abuſu, Vienn. 8.

Flora Londinenſis: or Plates and Deſcriptions of ſuch plants, as grow wild in the Environs of London, with their Places of Growth and Ti-

mes of flowering; their ſeveral Names according to LINNEVS and other Authors: with a particular Deſcription of each Plant in Latin and Engliſh; to which are added their ſeveral uſes in Medicine, Agriculture, Rural Oeconomy, and other Arts. By WILLIAM CURTIS, Faſc. I. fol. (*Vberior deſcriptio et alia multa ſcitu digna unicuique plantae ſubiunguntur.*)

IOH. AVG. DONDORFS *Verſuch eines Beweiſes wider die Exiſtenz der anziehenden Kraft. Nebſt einer Erklärung von der wahrſcheinlichen Urſache der Wirkung des Magneten, von der Beſchaffenheit der Elektricität, vorzüglich in Anſehung des Anziehens elektriſcher Körper in dem leeren Raum. Mit einer Vorrede von Hrn.* D. ZIEGLER, *Quedlinburg* 8.

De remediis contra formicas, Auctore IO. IVL. WILH. DEDEKIND, Helmſt. 8.

An experimental inquiry into the cauſe of the changes of colours in opace and coloured bodies, with an hiſtorical preface, relative to the parts of philoſophy, therein examined, and to the ſeveral arts and manufactures dependent on them. By EDW. HVDS. DELAVAL, Lond. 4.

Verſuch einer Kriſtallographie, oder Beſchreibung der verſchiedenen unter dem Namen der Kriſtalle bekannten Körper des Mineralreichs eigenen, geometriſchen Figuren, mit Kupfern und Auslegungsplanen, durch den Hrn. DE ROMÉ DELISLE. *Aus dem Franz. überſezt mit Anmerkungen und Zuſätzen. Nebſt Hrn.* HILLS *Spaterzeugung, und Hrn.* BERGMANS *Abhandl. von Spatgeſtalten. Aus dem Engl. und Latein. überſezt von* CHR. EHRENFR. WEIGEL, *Greifswalde*, 8. *m. K.* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 698.)

Principia diaetetica HERRMANNI BOERHAAVII auxit et praelectionibus Academicis accommodauit H. F. DELIVS, Erlang. 8.

POLYCHRON. DEMETRIVS ep. qua GALENVS adverſus VESALIVM defenditur, Lipſ. 4.

THOM. DENHAM'S *Abhandlung von dem Fieber der Kindbetterinnen. Aus dem Engliſchen, Altenb.* 8.

Analyſe et examen chimique de l'Indigo. Par. Mr. Q. DIJONVAL. à Paris 4.

C. DOSLERN diſſ. ſiſtens diuiſionem oleorum in genere, Vindobon. 8.

WILH. DRESKY de valeriana officinali LINNEI, Erl. 4.

Die verbeſſerte Landwirthſchaft, nebſt einem Anhange von der Glückſeligkeit eines Staats. Aufgeſezt von H. G. VON DRESKY. *Als der 3te Theil der Schleſiſchen Landwirthſchaft, Breslau* 8. *m. K.*

Atlas minéralogique de France, ou connoiſſance géographique des différentes ſubſtances minerales & corps foſſiles, que ce royaume renferme, entrepris par les ordres de Mr. BERTIN, dreſſé d'après le plan, les voyages & les mémoires de Mr. GUETTARD, executé en totalité par Mr. DUPAIN-TRIEL, Ingenieur-Geographe du Roy.

La theorie du chirurgien, ou Anatomie générale & particuliere du corps humain, avec des obſervations chirurgicales ſur chaque partie. Par Mr. DURAND, à Paris 8. Voll. 2.

De la vigne par Mr. DURIVAL le jeune, à Nancy. (*Hic tractatus coronatus ab Academia Regia Scientiarum et Artium Metenſi eſt.*)

Naturlehre für die Jugend, herausgegeben von IO. IAC. EBERT, *3ter Band, Leipz.* 8. *m. K.*

G. P. EHLEN de fontibus medicatis prope Kiſſingen et Boclet. Würzburg. 8.

Index in PHIL. AMBR. MARHERR praelectionum in BOERHAAVII inſtitutiones medicas Tom. III. res notatu maxime dignas exhibens a IAC. VOEGEN VAN ENGELEN, L. B. 8.

IO. CHR. POLYC. ERXLEBEN ſyſtema regni animalis per claſſes, ordines, genera, ſpecies, varietates

cum ſynonymia et hiſtoria animalium. Claſſis I. Mammalia, Lipſ. 8.

I. C. P. ERXLEBEN *phyſikaliſche Bibliothek oder Nachricht von den neueſten Büchern, die in die Naturgeſchichte einſchlagen, 4ter Band, Götting.* 8.

EIVSD. *Anfangsgründe der Naturlehre, 2te ſehr verbeſſerte und vermehrte Auflage, ib.* 8.

CHRIST. GOTH. ESCHENBACH ep. de glandularum meſaraicarum in chylum actione, Lipſ. 4.

EIVSD. ep. de ſpermate ad ſanguinem non regrediente, ib. 4.

I. F. ESCHENBACH diatribe de phyſiologia ſeminum, ib. 4.

Die Schmetterlinge in Abbildungen nach der Natur mit Beſchreibungen von E. I. F. ESPER, *2-6 Heft, Erl.* 4.

Vollſtändige Abhandlung von der Erkenntniſs und Kur der veneriſchen Krankheiten. Aus dem Franzöſiſchen des Hrn. FABRE *überſezt von* C. FR. SCHROEDER, *mit einer Vorrede und Anmerkungen von* D. IO. CLEM. TODE, *Koppenh.* 8.

FABRICII genera inſectorum (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 19.)

De ſalubritate et morbis Hungariae. Auctore FR. I. FUCKER, Lipſ. 8.

W. FALCONER's *Verſuch über die mineraliſchen Waſſer in warmen Bädern, 2 Bände. Aus dem Engliſchen überſezt von* C. F. S. HAHNEMANN, *Leipz.* 8.

EIVSD. experiments and obſervations in three parts: I) on the diſſolvent power of water impregnated with fixible air, comparated with ſimple water, relative to medicinal ſubſtances. II) on the diſſolvent power on the urinary calculus. III) on the antiſeptic power of water etc. Lond. 8.

Experimental enquiries, Part the third etc. Being the remarking part of the obſervations and experiments of the late Mr. WILLIAM HEWSON. By MAGNUS FALCONER, ib. 8.

FALK *vom Queckſilber* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 499.)

LE FEBURE V. ILDEPHONT.

CHRIST. GOTH. FELLER obſ. de vtero canino, Lipſ. 4. c. f.

Udförtig Afhandling om Bier, og en for Dannemark og Norge nyttig Bie-Arles Anlag, ved ESAIAS FLEISCHER, Koppenhagen 8.

HENR. FOUQUET praelectiones medicae, Monspelii. 8.

A voyage round the World, in his Britannic Majeſty's Sloop, Reſolution, commanded by Capt. JAMES COOK during the Years 1772-75. By GEORGE FORSTER, (*v. ſupra p.* 221.)

Recherches philoſophiques ſur la nature de l'air nitreux & de l'air dephlogiſtique. Par Mr. l' Abbé FELIX FONTANA, à Paris 8. (*Idem liber Germanice prodiit Vindobonae in forma octaua ſtudio* F. X. VON WASSERBERG.)

Kritiſche Unterſuchung der alten und neuen Art die Krankheiten der Harnröhre zu behandeln, nebſt einer verbeſſerten Methode ſie zu heilen von IESSE FOOT. *Aus dem Engliſchen, Altenburg* 8.

I. L. FOURNIER diſſ. chemico-medica de metallis, Vienn. 8.

MATTH. IOS. FRANZMADHES *Betrachtungen über verſchiedene Gegenſtände des Forſtweſens nach dem Leitfaden der Reiſen des Herrn* PALLAS *und* LEPECHIN, I *Band, Frankf. m. K.*

Förſök til en ſyſtematiſk inledning i ſwenska Landtbruket. Auctore GADD.

F. A. GALLISCH diſſ. corporum vi aëris mutatorum exempla continens. Reſp. *C. F. Ludwig*, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de aëris in corpus humanum vi, ib. 4.

EIVSD. ep. de valetudine verna, ibid. 4.

I. I. GARDANE'S *Unterſuchung der bey der Heilung der Venusſeuche gebräuchlichen verſchiedenen Arten. Aus dem*

dem Franzöſiſchen von D. I. H. GLADBACH, *Sorau* 8.

Der verbeſſerte Weinbau. Eine Abhandlung Herrn G. F. GAVPPENS, *Stuttgard* 8. *m. K.*

A ſelect number of ſcirrhous and cancerous caſes ſucceſsfully treated, with hout cutting by the peculiar remedy of MELMOTH GUY, 8.

F. GEBHARDI aduerſaria medica, Baſil. 8. c. f.

IO. CAROL. GEHLER diſſ. inaug. de oleoſis pinguibus rancidis, Auct. et Reſp. *Io. Chriſt. Fried. Aemil. Hendrich*, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de ſanguinis ex parte ſiderata per venam eductione. (*v. ſupra*)

EIVSD. diſſ. inaug. de eclampſia parientium morbo graui quidem, neque tamen adeo funeſto ſect. altera, Therapia. Reſp. *C. A. Geriſcher*, ib. 4.

Hiſtoire naturelle de Province de Languedoc, partie mineralogique & geoponique, Tom. III. Par Mr. DE GENSSANE, à Montpellier & à Paris 8.

Traité ſommaire des coquilles tant fluviatiles, que terreſtres, qui ſe trouvent aux environs de Paris. Par Mr. GEOFFROY, à Paris.

I. G. GERDESSEN ep. de anomalo animalium albidiore colore, Lipſ. 4.

CONR. GESNERI libellus de lacte et lactariis philologus pariter ac medicus, cum epiſtola ad IAC. AVIENVM de montium admiratione, iterum edidit, praef. indicemque adiecit IO. GE. FR. FRANZ, Lipſ. 8.

DE GEERS *Abhandlung zur Geſchichte der Inſekten, mit Anmerkungen von* IO. AVG. EPH. GOEZE, *2ten Bandes* I *Stück, Leipzig* 4. *m. K.* (v. genuinum librum in comm. noſtr. Vol. XIX. p. 671. et ib. dec. III. ſuppl. p. 92.

Entomologiſche Beyträge zu des Ritters VON LINNE *12ten Ausgabe des Naturſyſtems von* IO. AVG. EPH. GOEZE, *I. Theil, ib.* 8.

IOS. GIBBONS de quibusdam puerperarum morbis, Edimb. 8.

GENZA'S *Erläuterung der chirurgiſchen Lehrſätze des* HIPPOKRATES. *Aus dem Ital. Wien* 8.

Vollſtändige theoretiſch praktiſche Geſchichte aller in der Arzeney, Haushaltung und ihren verſchiedenen Nahrungszweigen nüzlich befundenen Pflanzen, nach hiſtoriſch philoſophiſchen Gründen, von D. IOH. GOTTL. GLEDITSCH, *I. Band, Berlin und Leipzig* 8.

WILH. FRID. *Freyherr* VON GLEICHEN *auserleſene mikroſkopiſche Entdeckungen bey den Pflanzen, Bluhmen, Blüthen, Inſekten und andern Merkwürdigkeiten.* I *Ausgabe, Nürnb.* 4. *m. K.*

GMELINS *Pflanzengifte* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 438. Ibidem p. 422 reliqua Gmeliniana ad venenorum hiſtoriam pertinentia legi poſſunt.)

JOHN GREGORY *Anfangsgründe der Behandlung der Krankheiten überhaupt, und der fieberhaften insbeſondre. Aus dem Engliſchen nach der 2ten Ausgabe überſezt, Leipzig* 8.

VON GROSSER Phoſphoreſcentia adamantum. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 39.)

PET. BENED. CHRIST. GRAUMANNS *Betrachtung über die allgemeine Stufenfolge der natürl. Körper, Roſt.* 4.

Anweiſung wie die äußerlichen Pulsadergeſchwülſte auf eine geſchickte Weiſe von den Wundärzten zu kuriren ſind, nebſt gehörigen Kupfern, von CARL GVATTANI, *Altenburg* 8.

Neue phyſikaliſche und mathematiſche Beluſtigungen, oder Sammlung von neuen Kunſtſtücken, zum Vergnügen, die man bishero ausgedacht hat, und noch täglich erfindet, nebſt den Urſachen derſelben, ihren Wirkungen und den dazu erforderlichen Inſtrumenten. Aus dem Franz. des Hrn. GUYOT, *7ter Theil, als ein Anhang zu den vorhergehenden. Mit 6 Kupf. Augsburg* 8.

ANTON. DE HAEN de magia, Edit. 2da, Lipſ. 8.

IDEM *von den Fiebern. Neue verbeſſerte Auflage, Warſchau und Dreßden* 8.

CARL GOTTFR. HAGENS *Lehrbuch der Apothekerkunſt, Königsb.* 8.

A. HALLERI bibliotheca medicinae practicae Tom. II. (*Primum vide comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 692. *et ſecundum ſupra p.* 447.)

EIVSD. bibliotheca anatomica Tom. II. (*De primo Tomo v. ſupra. p.* 39.)

IDEM de praecipuarum C. H. partium fabrica et functionibus 8. (*v. ſupra. p.* 29. *Eſt hic liber noua elementorum phyſiologiae Hallerianae editio hinc inde aucta et mutata. Sunt haec augmenta ſeorſim edita, veteri editioni adaptata et a nobis in prima huius voluminis parte indicata.*)

EIVSD. *Sammlung auserleſener chirurgiſcher Diſputationen in einen Auszug gebracht, und mit Anmerkungen verſehen von* D. FRIEDR. AVG. WEIZ, 1 *Band, Leipzig* 8.

Des Hrn. DUHAMEL. DU MONCEAU Pomona Gallica, *oder Abhandlung von Obſtbäumen, worinnen ihre Geſtalt, Erziehung und Pflege etc. angezeigt und beſchrieben wird. Mit ſehr feinen Abbildungen in Kupfer, 2ter Theil. Aus dem Franz. überſezt von* CARL CHRIST. OELHAFEN VON SCHELLENBACH, *Nürnberg* 4.

Die Pferde- und Maulthierzucht von GEORG. HARTMANN, *Stuttgart* 8. (Egregius liber.)

I. G. HAASE diſſ. inaug. Ima de vſu opii ſalubri et noxio in morbis inflammatoriis. Reſp. *M. C. I. Eſchenbach*, Lipſ. 4.

STEPH. HATHVANII thermae Varadienſes examini phyſico et medico ſubiectae, item de illarum vſu ſalutari, nec non de ſale medio et de natura ſalium ac de natro alcalino, Vienn. 8.

Beantwortung der Frage: was von Impfpredigern und von Empfehlung der Blatterneinimpfung auf der Kanzel zu halten ſey? von CHR. GOTTL. HAVK, *Leipzig* 8.

ERN. BENI. GOTL. HEBENSTREIT diatribe de vegetatione hiemali, Lipſ. 4.

I. F. HELD diſp. de hernia cerebri in adulta feliciter curata, Gieſſae 4.

ALOYS. HEINRICH diſſ. de aëris effectu in corpus humanum, Vindob. 8.

FRID. WILHELM HEIN *Verſuch der Kunſt alle Arten Biere nach Engliſchen Grundſätzen zu brauen*, I *Theil, Leipzig* 8.

Schreiben an Se. Hochwohlgeb. den Hrn. Geheimen Juſtizrath VON VNGER *über die Entſtehung des Nordlichts, und des am* 25 *Febr.* 1777 *Abends um* 8 *Uhr in Süden leuchtenden Bogens, von* IOH. HEINR. HELLMVTH, *Braunſchweig* 4.

Diſſertation ſur la nature du froid, avec des preuves fondées ſur des nouvelles experiences chemiques. Par Mr. HERCKENROTH, à Paris.

ENGELH. HERWIG'S *Beſchreibung des üblichen Eiſenſchmelzens und Schmiedens, nebſt einer Anleitung zum Stahlmachen, Gieſen* 8. *m. K.*

Briefe an Aerzte, 1*ſte Sammlung von* MARCVS HERZ, *Mietau* 8.

HEWSON V. FALCONER.

A philoſophical eſſay concerning light. By BRYAN HIGGINS.

Auflöſung der Preiſsfrage: welches ſind die leichteſten und ſicherſten Mittel, das Wachsthum der Bäume in den Forſten, ohne Nachtheil der Feſtigkeit des Holzes, zu verbeſſern und zu beſchleunigen? die den von dem Königl. Preuſs. Gener. Ober-Finanz-Kriegs- und Domainen-Direktorio ausgeſezten Preiſs von 100 *Thlrn. in Gold erhalten hat, von* IOH. LVDW. HILDEBRANDT. *Nebſt einem Schreiben dieſes Direktorii, Frankf. am Mayn* 8.

HILL'S *chirurgiſche Beobachtungen.* (Eſt verſio, de qua v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 685.)

FR. HOFMANNS *Abhandlung von der gewiſſen Vorherſehung*

herſehung des Todes in Krankheiten. Aus dem Lateiniſchen mit Anmerkungen von B. W. ROEDERN, *2te Auflage, Fr.* 8.

C. L. HOFMANNS *Rede von dem Nutzen, den ein gehörig eingerichtetes mediciniſches Fach in einem Staate ſtiften kann, Göttingen* 4.

PETR. FRID. HOFMANN diſſ. de vteri morbis a vita ſedentaria reſpectu menſtruorum, Hal. 4.

IO. IAC. HVBER progr. de ortu hominis, Caſſel. 4.

Oratio de re medica cognoſcenda et promouenda habita apud Soc. Med. Lond. a NATH. HVLME. Accedit methodus tuta et iucunda calculum ſolvendi in veſica vrinaria hiſtoria calculoſi confirmata, Lond. 4. (*Methodum hanc v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 681.)

I. L. HVTHS *ſicherſtes Mittel den Zug des Rauches durch die Schorſteine zu befördern, 2te Auflage, Halberſt.* 8.

EIVSD. *Nachricht von Entſtehung des Schwammes in den Gebäuden und von dem ſicherſten Mittel ſolchen zu verhüten, ib.* 8.

EIVSD. *Unterricht zu Bauanſchlägen, wie alle Baumaterialien und übrige Baukoſten, von jedem Bauherrn ſelbſt berechnet und die Bauanſchläge verfertigt werden können,* I *Theil, ib. in fol.*

EIVSD. *Gründliche Unterſuchung der Urſachen von der Feſtigkeit des alten Mauerwerks, nebſt einem aufrichtigen Unterricht von gehöriger Zubereitung des Kalks zu einem feſtbindenden Kalkmörtel und ein eben ſo feſtes Mauerwerk, als in alten Zeiten, auf die wohlfeilſte Art zu machen, ib.* 8.

NICOL. IOS. DE JACQUIN florae Auſtriacae ſiue plantarum in Auſtriae Archiducatu creſcentium icones ad viuum coloratae et deſcriptionibus ac iconibus illuſtratae, Vol. IV. Vienn. fol. mai.

CHRIST. FRID. JAEGER diſſ. de cambogia guttae ſucco, ſiue Gummi Guttae officinali. Auct. et Reſp. *Car. Engelh. Gaup*, Tubing. 4.

GABR. JARS *Metallurgiſche Reiſen, zur Unterſuchung und Beobachtung der vornehmſten Eiſen-Stahl-Blech- und Steinkohlenwerke in Deutſchland, Schweden, Norwegen, England und Schottland vom Jahre 1757 bis 1769. Aus dem Franz. überſezt, und mit Anmerk. begleitet, von D.* CARL ABR. GERHARD, I *und* 2*ter Band, Berlin* 8. *mit* 10 *Kupf.*

Le Manuel des femmes enceintes, de celles, qui ſont en couches, & des meres, qui veulent nourrir; par Mr. LE FEBURE DE ST. ILDEPHONT, Doct. &c. à Paris 12.

A ſtrict and impartial Enquiry into the cauſe of death of the late W. SCAWEN. To which is added an account of accidental Poiſons, to which families are expoſed, with their Antidotes. By D. JUGRAN.

W. L. KAEMPF *Denkbuch für die Hebammen, Frf. am Mayn* 8.

GOTL. HENR. KANNEGIESER inſtitutiones medicinae legalis in uſum auditorum concinnatae, cum praefatione ANDR. EL. BÜCHNERI. Editio altera, aucta et emendata, Kil. 8.

I. L. KATZENBERGERS *Hebammenkatechiſmus für Wundärzte und Geburtshelferinnen auf dem Lande, Münſter* 8.

H. A. KEISER *Abhandlung von der Geſundheit und derſelben Einfluß auf die Glückſeligkeit der Menſchen, Gießen* 8.

ANDR. FR. KEMMERICH diſſ. de proceritatis corporis humani cauſis praecipuis, Hal. 4.

C. C. KRAVSE diſſ. poſterior de partibus irritabilibus humani corporis. Reſp. *I. L. B. Kergel*, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de pathologia haemorrhagiarum. Reſp. *I. P. Langguth*, ib. 4.

THOM. KIRKLAND'S *Verſuch über die Kindbettfieber, nebſt zwoen Abhandlungen,* 1) *über das Gehirn*

und

und die Nerven, 2) *über die Mitleidenſchaft und Reizbarkeit. Aus dem Engl. von* I. C. F. SCHERF, *Gotha* 8.

KLEIN echinodermata aucta a N. G. LESKE (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 711.)

Abhandlung von Haaren, deren Beſchreibung, Nutzen, Zufällen und Mitteln dagegen, verfertiget von D. IO. GOTTF. KNEIPHOF, *Rotenburg* 8.

ALEX. KOELPIN de capitis laeſionibus meletemata medico-chirurgica cum adiectis obſeruationibus, Hauniae 8.

KOELREVTER *entdecktes Geheimniß der Kryptogamie,* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 247. Ibidem p. 251. CHRIST. FRIDER. LVDWIGII epiſtola de ſexu muſcorum detecto indicata eſt, qua Cl. HEDWIG hunc ſexum prius et alia ratione detexiſſe refertur.)

WENC. TRNKA DE KRCZOWITZ commentarius de tetano plus quam ducentis obſeruationibus et omnibus hactenus notis remediis inſtructus, Vienn. 8.

IO. ADAM KERSINGS *Unterricht Pferde zu beſchlagen und die an den Füßen der Pferde vorfallende Gebrechen zu heilen, Göttingen* 8. *m. K.*

Oekonomiſche Encyklopädie, oder allgemeines Syſtem der Land- Haus- und Staatswirthſchaft in alphabetiſcher Ordnung von I. G. KRÜNITZ, *Berlin 9ter Theil.*

EIVSD. *Dreſchkunſt ſowohl älterer, als neuerer Zeiten, mechaniſch beſchrieben und ökonomiſch betrachtet, ib.* 8. *m. K.*

C. GOTL. KÜHN ep. de via ac ratione, qua CLAUD. AELIANVS in conſcribenda hiſtoria animalium vſus eſt, Lipſ. 4.

A new method of curing the venereal diſeaſe by fumigation. By Sir PETER LALOUETTE: publiſhed by order of the King of France and now firſt translated in the Engliſh, Lond. 8.

IO. HEINR. LANGE's *Arzt für alle Menſchen, 2te vermehrte Auflage, Lüneburg* 8.

G. A. LANGGVTH progr. I. et II. de ortu piſcium absque nuptiis pulchre fabulari, Viteb. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de torpedine veterum, e genere Raiae. Reſp. *I. S. T. Frenzel*, ib. 4.

EIVSD. progr. de torpedinibus quibusdam nothis, ib. 4.

FRANZ IOSEPH LAVTERS *zweyjährige Geſchichte der Krankheiten, welche vom Frühlinge* 1759 *an bis zum Ende des Winters* 1761 *in Luxenburg und den umliegenden Städten und Dörfern geherrſchet haben, welche eine beſondre und ſeltne Epidemie von intermittirenden und remittirenden Fiebern beſchreibet. Aus dem Lateiniſchen überſezt von* IOH. HEINR. SCHOENHEYDER. *Neue Auflage, Warſchau* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 20.)

Verſuch über die Temperamente von HEINR. WILH. LAWAETZ, *Hamburg* 8.

Medical inſtructions towards the prevention and cure of chronic, or ſlow diſeaſes peculiar to women cet. By JOHN LEAKE, Lond. 8.

FRID. LEBERI praelectiones anatomicae. Edit. nov. et aucta. Vienn. 8. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 519.)

C. I. LERCHE diſſ. de cancro mammarum, Götting. 4.

NATHAN. GOTFR. LESKE additamenta ad KLEINII diſpoſitionem echinodermatum. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 711.)

Neue praktiſche Verſuche über die beſondern Heilkräfte des Bergpechöls in Lungengeſchwüren. Verfaßt von IO. NEPOM. ANT. LEVTHNER, *Ausgb.* 8.

LEVRETS *Kunſt der Geburthshülfe nach den Geſezzen der Bewegung und Naturlehre*, 1 *Theil. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von D.* C. F. HELD, *2te Auflage, Leipz.* 8.

Diſcurſos

Diſcurſos economicos ſobre l'eſtado actual de Eſpaña. Por Don FELIPE ARGENTI LEYS, en Madrid 8.

GEOR. RVD. LICHTENSTEIN progr. de ratione circuitus ſanguinis per cor et pulmones, Helmſt. 4.

Flora Scotica: or a ſyſtematic arrangement in the Linnean method of the native plants of Scotland and the Hebrides. By JOHN LIGHTFOOT, Lond. 8. c. f.

I. LIEUTAUD *Inbegriff der ganzen mediciniſchen Praxis*, 1 *Theil*, *Leipz.* 8. (Primum b. LIEUTAUD hanc ſynopſin vniuerſae medicae praxeos, quam quoque in commentariorum noſtrorum Volumine XV. p. 219. indicauimus, Latine edidit, nec multum poſt noua editio, eaque a priori haud valde diuerſa, prodiit. Hanc igitur in Germanicam translatam linguam et nonnullis additamentis auctam, breuiter hic recenſemus. Omnis omnino hic vtilis liber duobus conſtat voluminibus, et ſingulum volumen duas complectitur partes. Primum volumen eſt vulgatum 1777 et alterum 1779. Primum attinet in et externos morbos, ſecundum remedia cum pharmaceutica, tum diaetetica. Additamenta huius verſionis partim ſpectantur in variis et lectu dignis notis, ſiue illuſtrationi dictorum Cl. LIEUTAUDII ſeruientibus, ſiue recentiorum ſtudia prodentibus, translatoris: partim in colligendis illis remediis, vel a LIEUTAUDIO miſſis, vel a recentioribus inuentis, ſeu iterum, iterumque probatis occupantur, vti e. l. in voluminis ſecundi parte altera p. 317. variae plantae, quaedam mineralia producta et aquae minerales et p. 559. quaedam venena commemorantur. Totius huius operis finis eſt index rerum, illudque apud *Ioannem Fridericum Iunium* Lipſiae prodiit.

CARL

CARL VON LINNE' *vollſtändiges Pflanzenſyſtem nach der 13ten Lateiniſchen Ausgabe und nach Anleitung des holländiſchen Houttouiniſchen Werks überſezt, und mit einer ausführlichen Erklärung ausgefertigt. 1 Theil, von Palmbäumen und andern Bäumen, Nürnb.* 8. *m. K.* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 555.)

EIVSD. *auserleſene Abhandlungen aus der Naturgeſchichte, Phyſik und Arzneywiſſenſchaft, 2ter Band m. Kupfern, Anmerkungen des Überſetzers und einem Regiſter über die 2 erſten Bände, Leipzig* 8.

EIVSD. *Naturſyſtem des Mineralreichs nach der 12ten Lateiniſchen Ausgabe, in einer freyen und vermehrten Überſetzung, 1ſter und 2ter Theil, von* IO. FRID. GMELIN, *Nürnb.* 8. *m. K.* (Multa ſcitu digna in hac verſione addidit Cl. GMELIN.)

L. LOEBERS *Sendſchreiben von der Lungenentzündung Hanns Hubrigs, eines* 110*jährigen Greiſes, Dreßden* 8.

CAJETANI LOMBARTINI diſſ. de aneuryſmaticis praecordiorum morbis, Paviae 4.

ANN. CAR. LORRY tractatus de morbis cutaneis, Pariſ. et Lipſ. 4.

IO. COAKLEY LETTSOM *mediciniſche Nachrichten von dem allgemeinen Diſpenſatorio in London, vom April* 1773 *bis zum März* 1774. *Aus dem Engliſchen überſezt, Altenb.* 8.

CHRIST. GOTTL. LVDWIGS *Einleitung in die Pathologie. Aus dem Lateiniſchen überſezt, von D.* IO. HEDWIG, *Erlangen* 8.

C. F. LVDWIG de ſexu muſcorum detecto. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 251.)

I. M. LVTHER diſſ. de ſcarlatina maligna. Reſp. *I. G. Kniſpel,* Erford. 4.

I. A. DE LVC *Reiſen nach den Eisgebürgen von* FAUCIGNY *in Savoyen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt.*

Briefe über die Anlegung und Wartung eines Baumgartens

gartens für diejenigen, welche von den Blumen keine Kenntniß haben, von FRANZ HEINR. HERRM. LÜDER, *Hannover* 8.

D. MACBRIDE'S *Nachricht von einer neuen Art den Seeſcharbock zu behandeln, in* 10 *Geſchichten. Aus dem Engliſchen, Leipzig* 8.

F. W. MALER de commotione cerebri, Argentor. 4.

M. VON MARVM *Abhandlung über das Elektriſiren, enthaltend die Beſchreibung und Abbildung einer neu erfundenen Elektriſirmaſchine, nebſt einigen neuen Verſuchen, mit 2 Kupfertafeln, aus dem Holländiſchen von* I. W. MOELLER, *Gotha* 8.

FR. HEINR. WILH. MARTINI *allgemeine Geſchichte der Natur in alphabetiſcher Ordnung mit* 45 *K. 3ter Theil, Berlin und Stettin* 8. (v. ſupra.)

EIVSD. *Konchylienkabinet* (v. ſupra).

The art of healing, or a new practice of phyſic. By THOMAS MERRYAT. The fifth edition, with alterations and additions, Lond. 8.

P. A. MARTEAU *Abhandlung von den Bädern aus einfachen Waſſer, nebſt einer Abhandlung von Tropfbädern. Aus dem Franzöſiſchen von D.* C. F. HELD, *Leipzig* 8.

HEINR. GOTTFR. GRAFEN VON MATTVSCHKA Flora Sileſiaca, *2ter Theil. (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 575.)

MARCARD'S *mediciniſche Verſuche*, (v. ib. p. 123.)

MAYERS *Beſchreibung der Blutgefäße*, (v. ib. Vol. XXII. p. 657.)

IO. FRID. MAYERS *Siebente Fortſetzung, oder 8ter Theil der Beyträge und Abhandlungen zur Aufnahme der Land- und Hauswirthſchaft, nach den Grundſätzen der Naturlehre und der Erfahrung entworfen, Frf. am Mayn* 8.

IO. CASP. MAYRS *gründlicher Huffſchmidt, oder gründlicher Unterricht der Hufbeſchlagekunſt, Wien* 8.

R. MEADS *Abhandlung von den merkwürdigſten Krankheiten, deren in der heiligen Schrift gedacht wird, beſonders von den dämoniſchen Krankheiten, oder ſogenannten Beſeſſenen und Mondſüchtigen. Aus dem Lateiniſchen überſezt,* 8.

MECKELII diſſ. de labyrinthi auris contentis (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 99.)

Traité ſur le ſcorbut, traduit du Latin de Mr. LE MEILLEUR, par Mr. GIRAUD, à Paris, 12.

* VON MELON *gründliche Abhandlung vom Misbrauche des vielen Aderlaſſens, 2te verbeſſerte Auflage, Nürnb.* 8.

G. MERKELS *zwo Predigten für die Einpfropfung der Blattern, Leipz.* 8.

D. A. MESMERS *Schreiben über die Magnetkur, nebſt Fortſetzung, Wien,* 8.

I. Z. DE MEZA diſp. ſiſtens animaduerſiones febrium intermittentium therapiam concernentes, Praeſ. G. C. DETHARDING, Büzov. 4.

MILLAR'S obſervations, v. anonym. ſupra.

An illuſtration of the ſexual ſyſtem of LINNEVS. By JOHN MILLER, Lond. fol.

P. MILLERS *Abbildung der ſchönſten, nüzlichſten und ſeltenſten Pflanzen, welche in ſeinem Gärtnerlexikon vorkommen. Aus dem Engliſchen, 2ter Theil bis tab. 232 illuminirt, Nürnb. fol.*

Etiologie nouvelle de la ſalivation, par Mr. MITTIÉ, à Paris, 8.

DONALD MONRO'S *Abhandlung von der Waſſerſucht und ihren beſondern Gattungen. Nach der 3ten Engliſchen Ausgabe überſezt, mit Anmerkungen und einem doppelten Anhange vermehrt, Leipz. 8. m. K.* (Perutilem profecto hunc librum de hydrope, eiusque ſpeciebus cum annotationibus et duplici appendice, cuius primam editionem iamiam lau-

dau-

dauimus, multo vtiliorem reddit haec Germanica verſio, cuius rationem hic damus. Eſt ſecundum tertiam Anglicam editionem facta, et differt a prima verſione quoad rerum propoſitarum ordinem pariter, atque quoad res ipſas. Annotationes item additae a Gallico translatore in prima verſione et a Cl. MONRO non in cenſum vocatae hac in verſione ſunt memoratae cum Cl. KRAVSII animaduerſionibus interdum auctis. Inde et pendet alter appendix. In paragrapho vigeſima tertia verſionis ſenſus differt ab Auctoris ſenſu. Sed factum eſt hoc, volente et monente Cl. MONRO, cum Ipſe nouam amplius edere nollet editionem Anglicam, a Cl. KRAVSIO noſtro, qui hanc nouam et perfectiorem editionem Germanicam curauit et deſcriptionem cum icone noui torcularis addidit. Haec ſufficiant ad ſummam huius verſionis vtilitatem demonſtrandam; plura non addimus, partim quod ipſe liber, vti monuimus, iam a nobis eſt indicatus, partim quod neceſſario de hydrope quid plenum legere cupientes ad hunc librum legendum ſunt excitandi. *Primo haec res eſt tractata in diſſertatione de hydrope, quae prodiit Edinburgi* 1753. 8. *Auctore Noſtro. v. comm. noſtr. Vol. VI. p.* 688.)

A new medical dictionary, or general repoſitory of Phyſic. By G. MOTHEBY, Lond. fol.

OTTO FRID. MÜLLERI Zoologiae Danicae icones faſc. I. Hafniae, fol. c. f. (*In hac parte huius voluminis indicauimus hunc egregium librum. vid. ſupra p.* 396.)

EIVSD. icones plantarum ſponte naſcentium in regnis Daniae et Noruegiae, ad illuſtrandam floram Danicam, Faſcic. XII. ib. fol. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 235.)

* * MÜLLERI diſſ. de febribus inflammatoriis, Erford 4.

Allgemeine Anleitung zur Sächſiſchen Weinpflege im Berge und Keller, von CHRIST. ANDR. MÜLLER, *Dresden*, 8.

Abhandlung von dem Mahlen des Korns und verſchiedenen darzu gehörigen Gegenſtänden, von IO. LVDW. MVRET. *Aus dem Franzöſiſchen überſezt, Baſel* 8.

A. MVRRAYI diſſ. de lue venerea curanda (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 695)

EIVSD. diſp. de faſcia lata. (*v. ib. Vol. XXIII. p.* 101.)

EIVSD. diſſ. de paracentheſi cyſtidis vrinariae. Reſp. *Petr. Grillſon*, Vpſal. 8.

I. A. MURRAY *mediciniſch-praktiſche Bibliothek.* (*v. ſupra.*)

Contrepoiſons de l'arſenic, du ſublimé corroſif, du verd de-gris et du plomb, ſuivis de trois diſſertations ſur le mercure, le fer & l'éther. Par Mr. NAVIER, à Paris 12. Voll. 2.

NICOLAI *Pathologie* 5*ter Band.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 452.)

DAN. NOODTNAGELII diſp. de amauroſi, Erlang. 4.

I. A. NOLLETS *Vorleſungen der durch Verſuche beſtätigten Naturlehre. Nach der neueſten Pariſer Ausgabe überſezt*, 3*ter Theil, Erfurt* 8. *m. K.*

HEINR. NVDOV'S *vermiſchte Aufſätze über verſchiedene Gegenſtände der Zergliederung, der Phyſiologie und Pſychologie, Danzig* 8.

NVGENT'S *Verſuch über die Waſſerſcheu. Aus dem Engliſchen, Leipzig*, 8. (vid. comm. noſtr. Vol. V. P. II. p. 329.)

SAM. WILH. OETTERS *Arzt in Deutſchland in den ältern und mittlern Zeiten hiſtoriſch vorgeſtellt, Nürnb.* 8.

10.

IO. CHR. OTT. OSTERMANN diſſ. de tartaro emetico, Gotting. 4.

PET. SIM. PALLAS ſpicilegia Zoologica. Faſc. XII. (*v. ſupra.*)

EIVSD. *Naturgeſchichte merkwürdiger Thiere, in welcher vornehmlich neue und unbekannte Thierarten, durch Kupferſtiche, Beſchreibungen und Erklärungen erläutert werden. Durch den Verfaſſer verdeutſcht, 7-9 Sammlung, Berlin und Stralſund, 4. m. K.*

EIVSD. *Reiſe durch das Ruſſiſche Reich.* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 288 et 562.)

SIM. PALLAS *Anleitung zur praktiſchen Chirurgie und der Lehre von Knochenkrankheiten, 2te Auflage, Berlin* 8.

GEORG. WOLFG. FRANC. PANZERI diſſ. de dolore, Altorf. 4.

PAVLETS *Geſchichte der Viehſeuchen, nebſt deren Behandlung und Kur. Aus dem Franzöſiſchen überſezt, mit Anmerkungen und Zuſätzen herausgegeben von* G. L. RVMPELT, 2 *Theile, Dresden* 8.

Britiſh zoology, Vol. IV. By THOM. PENNANT, Lond. 8.

I. N. PEZOLD de prognoſi in febribus acutis. Editio ſecunda aucta et emendata, Lipſ. 8. (*Primam editionem v. comm. noſtr. Vol. XIX. p.* 707.)

IO. GOTTFR. PIETSCHENS *Geſchichte praktiſcher Fälle von Gicht und Podagra, 4 Theile, Halle,* 8.

Oſſervazioni mineralogiche ſulla minera di ferro di Rio ed altre parti dell' Iſola d'Elba, di ERMENEGILDO PINI. In Milano, 8.

ANT. WILH. PLAZ progr. ſiſtens continuationem commentatiuncularum ſuper variis argumentis medicis, Lipſ. 4.

EIVSD. progr. de mirabilibus in medicina, ib. 4.

EIVSD. progr. de cauſis contemtus medicinae, ib. 4.

ANT. WILH. PLAZ progr. I. de magiae vanitate, ib. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de chirurgia morbos faciente. Reſp. *F. E. Schulze*, ib. 4.

PLENK primae lineae anatomes. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 34. *Idem liber in Germanicam linguam translatus prodiit eodem anno Francofurti ad Moenum in forma octaua.*)

EIVSD. *Anfangsgründe der chirurgiſchen Vorbereitungswiſſenſchaften für angehende Wundärzte, Wien* 8. 3 *Theile.*

EIVSD. compendium inſtitutionum chirurgicarum, ib. 8. Voll. 3.

EIVSD. *Lehrſätze von den Krankheiten der Haut, nach ihren Klaſſen, Geſchlechtern und Gattungen eingetheilt. Aus dem Lateiniſchen überſezt, Warſchau* 8. (Eundem librum in Germanicam linguam translatum et additamentis auctum eodem anno et forma Vindobonae a Cl. F. X. DE WASSERBERG editum eſſe legimus.)

EIVSD. *Lehre von den Augenkrankheiten. Aus dem Lateiniſchen, Leipzig* 8. (Latine prodiit hic liber eodem anno, eademque forma Vindobonae.)

EIVSD. materia chirurgica. (*Eſt noua et aucta editio, quam Auctor Viennae edidit; de prima v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 511.)

WILH. GOTTFR. PLOUCQUETS *Abhandlung über die gewaltſamen Todesarten, nebſt einem Anhange über das gefliſſentliche Misgebähren, Tübingen*, 8.

I. C. POHLII progr. de abſceſſu veſicae vrinariae et inteſtini coli, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de morbis ex ſenio. Reſp. *C. H. Haenel*, ib. 4.

EIVSD. progr. de carcinomate mammae ſingulari curato, ib. 4.

EIVSD. progr. de venaeſectione grauidarum, ib. 4.

I. C. POHLII progr. de lethalitate vulnerum lienis, Lipſ. 4.

EIVSD. progr. de hydrocephalo infantis recens nati interno et externo, ib. 4.

IO. ADOLPH. POLLICHII hiſtoria plantarum in Palatinatu Electorali ſponte creſcentium incepta ſecundum ſyſtema ſexuale digeſta, Tom. II. Manhem. 8. c. f.

A treatiſe on hyſterical and hypochondriacal diſeaſes, translated from the fourth edition of POMME'S traité des affections vaporeuſes des deux ſexes. By I. BERKENHOUT, Lond. 8. (*v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 652.*)

Uber einige neue Verbeſſerungen der Mittel die Geſundheit der Seeleute zu erhalten, eine Vorleſung in der Londner Societät am 30 Nov. 1776 gehalten von J. PRINGLE. *Aus dem Engliſchen von D.* WICHMANN, *Göttingen* 8.

Vollſtändige Pferdewiſſenſchaft von IO. GOTTFR. PRIZELIVS, *Leipzig* 4. *m. K. 2 Theile.*

GEORG. PROCHASKA diſſ. de vrinis, Vienn. 8.

QUARIN'S *Heilmethode der Fieber. Aus dem Lateiniſchen ins Deutſche überſezt, und mit Anmerkungen von* I. Z. DE MEZA, *Koppenhagen und Leipzig.* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 96.)

Eſſais ſur les maladies des artiſans, traduit du Latin de RAMAZZINI, avec des notes & des additions. Par Mr. FOURCRAS, à Paris 12.

Parallele des eaux minerales d' Allemagne, que l'on transporte en France, & de celles de la même nature, qui ſourdent dans le Royaume. Par Mr. RAULIN, ib. 12.

Pratique moderne de la chirurgie. Par Mr. RAVATON publiée & augmentée par Mr. LE SUE le jeune, ib.

* * REHFELDI progr. ſiſtens rariorem caſum in-

ſignium indurationum in quamplurimis viſceribus corporis in infante trium annorum, ſectione corporis poſt mortem inſtituta, repertarum, Gryphisw. 4.

EIVSD. diſſ. de venaeſectionis vſu et abuſu in pleuritide. Reſp. *Herrm. Linderhahn*, ib. 4.

GERH. REINDERS *Beobachtungen und Verſuche durchs Einimpfen an dem Rindviehe gemacht, nebſt Unterrichte zu ſolchem Einimpfen. Aus dem Holländiſchen, Weſel und Leipzig* 8.

Rares experiences ſur l'eſprit mineral pour la préparation & transmutation des corps metalliques, par Mr. DE RESPOUR, nouv. Edit. corrigée par Mr. C. F. KELLER, à Leipſic 8.

RETZII *Anfangsgründe der Apothekerkunſt. Ins Deutſche überſezt und zum Gebrauch der Lehrlinge eingerichtet und vermehrt von* HEINR. CHPH. EBERMEIER, *Lemgo* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 450.)

AVG. FRID. REICHELT ep. de calculorum generatione in corpore humano, Lipſ. 4.

Theoretic Hints on an improved Practice of brewing Malt liquors; including ſome Strictures on the Nature and Properties of Water, Malt, and Hops, the Doctrine of Fermentation, the Agency of Air, the Effects of Heat and Cold on fermented Liquor, &c. By JOHN RICHARDSON, 8.

A. G. RICHTERI progr. in quo herniam incarceratam vna cum ſacco ſuo reponi per annulum abdominalem poſſe contra Cl. LOUIS defenditur, Gotting. 4.

EIVSD. *Abhandlung von den Brüchen, 1ſter Band, ib. m. K.* 8.

A. G. RICHTERS *chirurgiſche Bibliothek, 4ter Band.*

Landwirthſchaftlicher Unterricht eines Vaters an ſeinen Sohn zur Verbeſſerung des Wohlſtandes der

Mittel-

Mittelgattung von Landleuten, mit gegenwärtigen Anmerkungen begleitet von IO. RIEM, *Breſlau* 8.

EIVSD. *kurzer und geprüfter Entwurf für ökonomiſche active Bienengeſellſchaften zum Nutzen aller Landesgegenden, ib.* 8.

EIVSD. *phyſikaliſch ökonomiſche Bienenbibliothek, zweyte Lieferung, ib.* 8.

I. RINGELMANN diſſ. de phthiſi, Herbipoli 4.

D. DE LA RIVIERE *wohlgeprüfter Urinſpiegel, worinnen nach Erfahrung der berühmteſten, ſowohl alten, als neuern Aerzte die verſchiedenen Temperamente vordringende Feuchtigkeiten des Geblüts, und Urſprung der Krankheiten zu erſehen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von D.* IO. GOTTFR. ESSICH, *Augsburg* 8.

De la vieilleſſe par Mr. ROBERT, à Paris.

DION. ROBERTSON *Pferdearzneykunſt, oder gründlicher Unterricht die äuſſerlichen und innerlichen Gebrechen der Pferde zu heilen, 6te mit dem 3ten Theile vermehrte Auflage, Breſlau* 8.

ROMANI *landwirthſchaftliche Reiſen durch verſchiedene Landſchaften Europens. Eine getreue Uberſetzung mit Anmerkungen von* IO. FRID. MAYER, *Nürnb. 3ter Theil,* 8. (Cl. MAYERVS etiam Auctor huius libri eſſe dicitur.)

EBERH. ROSENBLAD diſſ. de haemorrhoidibus prouocandis. Reſp. et Auctore *Dan. Heinr. Soederberg*, Londin. Gothor. 4.

De la fermentation des vins, & de la meilleure maniere de faire de l'eau de vie. Par Mr. ROZIER, à Lyon & à Paris 8.

EIVSD. obſervations ſur la phyſique, l'hiſtoire naturelle & ſur les arts cet.

Journal de médécine, chirurgie cet. Par Mr. ROUX. (*v. ſupra.*)

IO. CASP. RUEFFS *Unterricht von Kriminalfällen,*

nebſt einem Anhange von der Viehſeuche, Nürnb. 8.

Obſervations on the London and Edinburgh diſpenſatories, with an account of the virtues of various ſubjects of the materia medica not contained in either of thoſe works. By JOHN RUTTY 8.

EIVSD. materia medica antiqua et noua repurgata et illuſtrata, ſiue de medicamentorum ſimplicium officinalium facultatibus tractatus 4.

Experiences propres à faire connoitre, que l'alcali volatile fluor eſt le remede le plus efficace dans les aſphyxies; avec des remarques ſur les efféts avantageux, qu'il produit dans la morſure de la vipere, dans la rage, dans la brûlure, l'apoplexie &c. Par Mr. SAGE, à Paris 12.

EIVSD. elemens de mineralogie. (*Secunda eſt editio; prima vid. comm. noſtr. Vol. XX. p.* 335.)

IOS. STAHLS *Abhandlung von der Hornviehſeuche und derſelben Heilungsart, Frf. am Mayn* 8.

I. C. STARKE diſſ. de tetano, eiusque ſpeciebus praecipuis, Ien. 4.

ANT. L. B. DE STOERK praecepta medico practica in vſum chirurgorum caſtrenſium et ruralium ditionum Auſtriacarum, e lingua Germanica in Latinam verſa per IO. MICH. SCHOSVLAN, Vindob. 8.

SANDIFORT obſeruationes anatomicae practicae (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 462.)

Examen de pluſieurs prejugés & uſages abuſifs, concernant les femmes enceintes, celles, qui ſont decouchées & les enfans en bas âge; lesquels prejugés & uſages abuſifs font degenerer l'eſpéce humaine; avec les moyens d'y remedier, par Mr. SAUCEROTTE, à Strasbourg 8.

AVG. SCHAARSCHMID tabulae anatomicae ex Germanica in Latinam linguam traduxit, recenſuit, ſupplemento auxit F. X. DE WASSERBERG, Vienn. 8.

AVG. SCHAARSCHMID *nevrologiſche Tabellen. Neue vermehrte Auflage, Berlin* 8.

IAC. CHRIST. SCHAEFFERS *fernere Verſuche mit dem beſtändigen Elektricitätträger. Nebſt Beantwortung einiger dagegen gemachten Einwürfe, Regensb.* 4. *m. K.*

EIVSD. elementorum entomologicorum appendix, quinque noua inſectorum genera continens, *oder* 5 *neue Inſektengeſchlechter zur Einleitung in die Inſektenkenntniſs*, Tabb. V. vivis coloribus expreſſae, ib. 4. (*Nouorum generum nomina ſunt:* 1) *Bupreſtoides*, ſ. Elater bupreſtoides LINN. 2) *Cleroides*, ſ. Attelabus formicarius LINN. 3) *Dermeſtoides*, ſ. Elater dermeſtoides LINN. 4) *Elateroides*, nouum, vt videtur, animal. 5) *Notoxus*, ſ. Meloë Monoceros LINN.)

EIVSD. elementa entomologica cum appendice 140 fig. aen. non pictis, ib. 4.

I. C. SCHEUCHZERS phyſica ſacra *in einen Auszug gebracht und mit Zuſätzen vermehrt von* M. S. G. DONAT, 1*ſter Theil*, 1*ſter Band, Leipzig* 4.

L. W. SCHEELES *chemiſche Abhandlung von der Luft und dem Feuer. Nebſt einem Vorbericht von* TORBERN BERGMAN, *Upſal und Leipzig* 8.

CASP. CHR. SCHMIDELII icones plantarum et analyſes partium aeri incifae atque viuis coloribus inſignitae, adiectis indicibus nominum neceſſariis, figurarum explicationibus et breuibus animadverſionibus, Norimb. fol. max.

I. C. L. SCHMIDT diſſ. de nuper propoſita ſectione ſynchondroſeos oſſium pubis in partu difficili nonnulla proponens, Gieſſ. 4.

I. A. SCOPOLI introductio ad hiſtoriam naturalem (*v. ſupra p.* 126.)

EIVSD. fundamenta chemiae. (*Secundam huius libri editionem ſupra p.* 146. *laudauimus.*)

CHRIST. FRID. SCHVLZENS *Betrachtung über die brennbaren Mineralien, ingleichen die in Sachſen befindlichen Steinkohlen, vom Nutzen derſelben und des Torfs; Dresden* 8.

GOTTW. SCHVSTERS *vermiſchte Schriften, als eine Fortſetzung des mediciniſchen Journals. Vierte Layette, Chemnitz* 8

SCHREBERS *Säugthiere* v. anonymos.

FRID. IOS. WILH. SCHROEDERS *neue Sammlung der Bibliothek für die höhere Naturwiſſenſchaft und Chemie, 2ter Band, Leipz.* 8.

Fortgeſezte Nachrichten von den Foſſilien der Grafſchaft Oettingen von IO. SAM. SCHROETER, *Weimar* 8.

EIVSD. *Abhandlungen über verſchiedene Gegenſtände der Naturgeſchichte, 2ter Theil, Halle* 8.

EIVSD. *Journal für die Liebhaber des Steinreichs und der Konchyliologie, 4ter Band, Weimar, m. K.*

H. E. SCHROETER diſſ. de retroceſſione morboſa, Erlang. 4.

JOHN STEDTMAN'S *phyſiologiſche Verſuche und Beobachtungen. Aus dem Engliſchen, Leipz.* 8. *m. K.*

L. G. SELLE *Einleitung in das Studium der Natur- und Arzneywiſſenſchaft, Berlin* 8.

F. C. STOELLERS *Beobachtungen und Erfahrungen aus der innern und äußerlichen Heilkunſt.* (vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 103.)

Traité de la ſtructure du coeur, de ſon action & de ſes maladies. Par Mr. DE SENAC, à Paris 4.

De camphora, eiusque virtutibus, Auctore SEBASTIANO SEVERIO, Pauiae 8.

SNIPS *Abhandlung vom Steinſchnitt. Aus dem Lateiniſchen überſezt, Wien* 8.

Mediciniſches Handbüchlein, enthaltend eine gründliche Lehrart, die öfters vorkommenden Krankheiten ſicher zu kuriren, nebſt einer kurzen Anweiſung, wie

man

man die mehreſten Krankheiten aus dem Urin erkennen möge, von SINCERO, *Augsburg* 8.

A. M. SIEFFERTHS *Verſuche mit einheimiſchen Farbematerien zum Nutzen der Färberey, 2ter Theil, Altenburg* 8.

MAXIMIL. STOLLII rationis medendi in noſocomio practico Vindobonenſi obſeruatae, Pars prima, Vienn. 8.

G. K. L. STORR *Entwurf einer Folge zur Einleitung in die Naturgeſchichte, zwey Theile, Frankfurt* 8.

Anfangsgründe der Elektricität, in welchen hauptſächlich von den geriebenen elektriſchen Körpern, der Elektricität, welche ſie den unelektriſchen mittheilen, derjenigen, ſo ſeidene Bänder und Strümpfe durch Reiben und Gegenreiben erhalten, von den Dunſtkreiſen, dem Elektrophor, und verſchiedenen demſelben ähnlichen Erfahrungen gehandelt wird. In 8 *Vorleſungen abgefaßt, und mit* 1 *Kupfert. erläutert, von* ABEL SOCIN, *Hanau* 8.

IOACHIM SPALOWSKY diſſ. de cicuta, flammula Iouis, aconito, pulſatilla, gratiola, ſtramonio, hyoſciamo et colchico, Vindob. 8. c. figg.

SPIELMANNI ſyllabus medicamentorum. (*v. comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 451.)

M. I. E. SPITZNERS *Anweiſung vorliegende Bienenſchwärme ohne den geringſten Antheil der Alten zur rechten Zeit und auf eine leichtere Art auszutreiben, Leipzig* 8.

F. M. STEINHAEUSER diſſ. ſiſtens experimenta Marggrafiana de terra aluminis, cum quibusdam annexis hiſtoriam aluminis complectentibus, Vindobon. 8. (*Experimenta inſunt, de quibus olim Comm. noſtr. Vol. VI. P. II. p.* 328. *retulimus.*)

GEORG. WILH. STEINS *theoretiſche und praktiſche Anleitung zur Geburthshülfe, zum Gebrauch der Vorleſungen mit Kupfern, 2te und vermehrte Auflage, Kaſſel* 8.

KARL

KARL STRACKS *medicиniſche Beobachtungen von der Petetſchenkrankheit etc. Koppenhagen* 8. (Transtulit Cl. IVSTVS ZADIG DE MEZA hunc librum Latinum (*v. comm. noſtr. Vol. XVI. p.* 415.) in Germanicam linguam et auxit eundem quindecim morborum hiſtoriis.)

Oekonomiſche Botanik zum Gebrauch der Vorleſungen auf der Kameralſchule von D. GYR. ADOLPH SVCKOW, *Manheim* 8. (Arbores primum, tum plantas oeconomicas conſiderat Cl. Auctor, atque notatu digniſſima ex LINNEO, GLEDITSCHIO et BECKMANNO congeſſit.)

Gründlicher Unterricht von der Pferdezucht und Anlegung der Geſtütte, in welchem gezeigt wird, wie dieſelbe durch eine wohlgeordnete Vermiſchung fremder mit einheimiſchen Pferden, vornehmlich in Deutſchland, verbeſſert, vermehrt, und zum allgemeinen Gebrauch der Kriegsvölker nüzlich gemacht werden könne. Nebſt einigen Beobachtungen, die bey Ernährungen der trächtigen Stutten, und bey Erziehung der Fohlen angewendet werden, mit 2 *Kupf. herausgegeben durch* I. B. VON SMIT, 2*te Auflage, Frankf. und Leipzig* 8.

THOM. SYDENHAMS *Anweiſung zur Kur der mehreſten Krankheiten, nebſt einem Anhang vom Podagra und der Waſſerſucht,* 2*te und über die Hälfte vermehrte Auflage, Nürnb.* 8.

Every farmer his own Cattle-Doctor. By JOHN SWAINE 12.

G. VAN SWIETEN *Abhandlung von der Luſtſeuche, nebſt* H. BOERHAAVE'S in aphrodiſiacum, ſiue Auctores de lue venerea, *vorangeſezter Vorrede, beydes aus dem Lateiniſchen überſezt, Frf. am Mayn* 8.

EIVSD. *Abhandlung von den Blattern, aus deſſen Erklärung der Boerhaaviſchen Lehrſätze genommen, und aus dem Lateiniſchen ganz neu überſezt, ib.* 8.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Atti dell' Academia delle Scienze di Siena, T. V. p. 387

II. MÜLLERI Zoologiae, ſeu animalium Daniae et Noruegiae rariorum icones, 396

III. EIVSDEM Zoologia Danica, ſeu animalium Daniae et Noruegiae rariorum deſcriptiones et hiſtoria, Vol. I. ib.

IV. BERGSTRAESSERI nomenclatura et deſcriptio inſectorum comitatui Hanouienſi cet. indigenorum Ann. I. II. III. 403

V. LINNAEI genera plantarum per REICHARDVM, 405

VI. EIVSDEM ſyſtema plantarum per EVNDEM. Pars I. II. III. et IV. 409

VII. Lettres ſur l'hiſtoire naturelle de l'Isle d'Elbe par KÖSTLIN, 410

VIII. WALLERII ſyſtema mineralogicum, 414

IX. VON FICHTEL *Beytrag zur Mineralgeſchichte von Siebenbürgen, 1ſter und 2ter Theil,* 429

X. CHARPENTIER *mineralogiſche Geographie der Churſächſiſchen Lande,* 436

XI. MARTINI *allgemeine Geſchichte der Natur,* 1, 2, 3 *und 4ter Theil,* 445

XII. KRÜNITZ *ökonomiſche Encyklopädie,* 1 - 20*ſter Theil,* 447

XIII. Kongl. Svenſka Vetenſkaps Academiens Handlingar for År 1774. Vol. XXXV. 450

XIV. HALLERVS de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus, T. II. 466

XV. EIVSDEM bibliotheca medicinae practicae, Tom. II. 477

XVI. CVLLEN *Anfangsgründe der praktiſchen Arzneywiſſenſchaft, 2ter Theil,* 487

XVII. REHMANNI aphoriſmi de cognoſcenda et curanda lue venerea, 494

XVIII. HVNGERBÜHLERVS de oleo ricini, medicamento

mento purgante et anthelmintico praeſtantiſſimo, 496
XVIIII. FERBERS *phyſikaliſch-metallurgiſche Abhandlungen über die Gebürge und Bergwerke in Ungarn*, 498
XX. A BORN index rerum naturalium muſei Caeſarei Vindobonenſis, Pars I. Teſtacea, 508
XXI. EIVSDEM teſtacea muſei Caeſarei Vindobonenſis, 510
XXII. LVDWIGII diſſ. de cinerea cerebri ſubſtantia, 521
XXIII. MVRRAY diſſ. de ſenſibilitate oſſium morboſa, 527
XXIV. RICHTERI opuſcula medica per ACKERMANNVM Vol. I. II. et III. 533
XXV. Noua phyſico medica. 537
XXVI. Continuatio ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1777 prodierunt. 542